www.e-rara.ch

Ioannis Danielis Mylii ... Opus medico-chymicum

Mylius Johann Daniel

Francofurti, 1618

Stiftung der Werke von C.G.Jung, Zürich

Shelf Mark: Online

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-7680

---

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library











IOANNIS DANIELIS MYLII
Vetterani Hassi M.C.

OPVS MEDICO-CHYMICVM:

Continens tres Tractatus siue Basilicas:
Quorum prior inscribitur BASILICA MEDICA.
Secundus BASILICA CHYMICA.
Tertius BASILICA PHILOSOPHICA.

Francofurti, apud LVCAM IENNIS. 1618.

HERMES.

HIPPOCR.







DEO OPTIMO MAXIMO CREATORI MEO INCOMPREHENSIBILI, SIT GLORIA, LAVS, HONOR, BENEdictio & Victoria Triumphalis, in secula seculorum, Amen.

PIGET & pudet me, Clementissime Deus, Principium & Finis A. & Ω. Turpissimæ & Horrendæ ingratitudinis meæ, quotiescunq; de infinita Omnipotentiq; tua bonitate & misericordia cogito. O Immensa illa Maiestatis summæ Prouidentia, qua me nondum natum, ab Aeterno in numerum Fidelium tuorum gratuito cooptasti.

Tuô Magnæ Altitud'nis Deus Misericors, gloriosâ Infinita misericordia animam meam ignorantiâ tabescentem, virtute splendoris regenerasti.

Tuô immense Deus, Bonitas nunquam deficiens, Rex Sanctorum & Regum, Deus misericors, ded'sti & feciſti mihi filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, sapientiam, iustificationem, sanct'ficationem & propeccatis meis, sacram immolationem.

Tuô Protector Fidelium, restaurator seculi, Victoria potens, Beatitudo sanctorum, AEquitas Iustitiæ, Depulsor Nequitiæ, Charitas vera, Deus misericors, Tu dediſti mihi omnia ad hanc & futuram vitam necessaria; Tu bonis innumeris me immeritum cumulasti; & ad veram honestam sacramq; anchoram Diuinæq; religionis institutionem deduxisti.

Tuô Christe, Messia Omnipotens cœli & terræ, Emanuel noster, Legislator AEternæ, Fulcimentum seculi, Puritas Excelsi Dei, Ligatio omn's creaturæ, sapientia Dei Patris, Conditor vniuersorum, Inspector Iustitiæ, Homi-

nis Deus Misericors, Tu immensa tua custodia, Pios sanctosq; Angelos apud me excubias agere permisisti ac iussisti, quo vita mea tutò te accedere & in te credere anima mea possit: In hac mansuetudine & beneficentia constanter ac fideliter ad finem vsq; vitæ meæ, omnemq; æternitatem perseuera.

Tu ô Domine Dominantium, Domine scientiarum, Dives potentia, Gloria in Excelsis, Fons inexhaustæ bonitatis, Ordinator omnium, Conditor omnium, Dator aquarum, Domine exercituum, infinita largitas, inæstimabilis scientia, Firmitas innumerabilis, munditia incorruptibilis, Deus manens super omnia, Deus misericors, Tu vulnera mea intuere, vt ea sanes, Tu deformia & fœda sanie, ac contrita mea ossa restitue ac reficce.

Tu ô Christe, Gratia Creatoris, Doctrina spiritualis, Misericordia Altissimi, Fortitudo Dei, magna dulcedo Dei, & fauor optimus Dei, ineffabilis, incomprehensibilis Deus misericors, Dux mihi esto Domine, & me tecum deducito: si enim solus illud iter, Diuinæ ad æternitatis fontem tendens, ingressus fuero, de via aberrabo: Tuo vero, comitatu ita confirmabor, vt præsentiam mei ipsius sustinere queam: Tu me fulci, ne animum despondeam: Firmiter me tene, ne me mihi ipsi surripiam & aufugiam. Præcipe Diabolo vt taceat, quia tu mihi aduocatus es.

Tu ô mens incorporalis, Princeps & Origo rerum, virtus inexplebilis, Pietas incomprehensibilis, sapor ac decor Angelorum, protector & adiutor iustorum, pauor & horror reproborum, Nullius indigens sibi ipsi sufficiens, Rector & Auctor Mundi, Maiestas innascibilis, Trinitas Spiritualis, essentia incomprehensibilis, visu indeterminabilis, sensu inæstimabilis, sponsus Thalami æuiterni, Paterfamilias Ecclesiæ, animorum nostrorum confirmator, humilitatis eleuator, superbiæ contemptor, Iudex summe, Deus misericors, Tu, inquã mihi dexteram porrexisti in studiis meis, paupertate mea & carceribus inferorum, deduxisti & liberasti: Locupletem me fecisti tum corporis tum animæ dotibus; ab Anima mea me reuocasti, eamq; aqua pretiosi sanguinis tui purgasti; Quis Diabolum persecutus & contemnatus, qui mihi struxit insidias? Quis eius calumnias facit irritas? Quis mihi cladem & mala hostium meorum afflicta & illata curauit & repressit? Quis supplicia Tyrannorum meorum, delcuit? Quis mihi iuratus dixit, se nolle mortem peccatoris? neque voluptatem capere ex hominum interitu? Quis dixit, se

no

non venisse vt quæreret iustos, sed vt peccatores vocaret ad resipiscentiam? Quis curare venit ægrotos? quis virgis cæsus acerbissimè tractatus pro peccatis alienis? Vnde tantæ vires vnius sanguinis ad omnia humani generis peccata delenda? per quem hominem, vnigenitum filium fit aditus ad patrem? Quis nomina nostra ex tenebris rapta in cœlo adscripta tradidit? Quis mandauit & docuit fundere preces in summis necessitatibus? Cui data est vis atq; potestas in cœlo ac terra? Quemnam adorant Angeli, Sanctus Sanctus, Sanctus Dominus Sebaoth? Quis Deus, & verbum Caro factum, natus homo est? Quodnam vnicornu sanctum, coram quo omnia genua coguntur flecti? Quis sacrificauit Hierosolymæ in templo? Quisnam Ægyptios manu potenti eduxit? Quis à Ioanne in Iordane Baptizatus? In Deserto per 40. dies & noctes fuit ieiunatus? In tentatione triumphatus? Actio Euangelii, Electio Gentium, vox Apostolorum, silentiũ Prophetarum, Lux Mundi, officium præconis, nostri mœroris jucunditas, doloris suauitas, amaritudinis dulcedo, molestiæ nostræ delectatio, vniuersæ Creaturæ gaudium, animarum suspiratio & inhiatio, nostri desiderium, noster sermo, nostra exauditio, immolatio, vitæ magisterium, forma sanctitatis, Norma Iustitiæ, speculum virginitatis, Templum Castitatis, Titulus Pudicitiæ, obedientiæ simulachrum, via pœnitentiæ, peccatorum venia, fidei disciplina, legis summa, præco Iudicii, totius Trinitatis medius? Quis Lazari resuscitatio, & mercatorum templi Hierosolom. confusio? cuinam facta fuit sanguinis pro sudore è membris eruptio? quæ calicis Adamicæ nostræ exhaustio? quæ homin's Mariæ Virginis incarceratio, castigatio, flagellatio, miserrima coronatio, sanguinis è pedibus, manibus, & lateris cordialis effusio? Quis nudo corpori cruci affixus, aceto in siti & agone mortis potatus, cõtumelia verberibusq; affectus est? Quis miserabiliter ingemiscens Deum septem sanctissimis verbis interpellauit? Quis concludens Testamentum electorum dixit vnquam, consumatum est? Vnde prodigia ac miracula post hominis vnius mortem? Ah jucundissimum, optatissimum, mellitissimum, florilegium sepulchrum, Ah lachrimæ Mariæ & beatorum, Ah Paradisus Latronis, Ah comitatus diuinus Angelicus funeris omnipotentissimi, Ah balsamus vulneratus filius hominis, Ah cœlifera linteamina Domini, Ah Adamica infernalis redemptio sed quid? ô Beatorum Beatitudo, Angeli enarrant gloriam Dei,

ô gaudium Electorum, Mariæ filius est rediuiuus, tertia die à mortuis resurrexit è sepulchro, abiit ex Inferno, ô consolatium omnium piorum & Apostolorum; Dominus gloriæ Æuiternæ Triumphus, Mariæ apparuit, Discipulos comitauit, Apostolos redamauit, Spiritueos sanctæ gratiæ obumbrauit, in horum facie ad cœlos ascendit, nunc sedet ad Dextram Patris inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Confitebimur itaq; ei qui fecit nobiscum misericordiam suam: Benedicamus Benedictione Æterna Patrem & Filium cum Spiritu sancto.

Κύριε, Fons bonitatis, essentia potentiæ omnipotentissimæ ac sapientissimæ Pater ingenite, à quo cuncta procedunt: ἐλέησον. Κύριε, Æternæ misericors, qui pati Natum, mundi pro crimine, ipsum vt saluaret misisti: ἐλέησον. Κύριε, qui septiformis das dona πνεύματα & à quo cœlum & terra replentur: ἐλέησον.

Χριστὲ ἅγιε, Aeterna, casta, verax, pura, intelligens essentia, cœli compos, Regiæ melos gloriæ, cui semper astans pro numine Angelorum, decantat apex: ἐλέησον Χριστὲ vnice Dei Patris genite, quē de virgine nasciturū mūdo mirificè sancti prædixerunt Prophetæ: ἐλέησον. Χριστὲ, cœlitus nostris adsis precibus pronis mentibus, quem in terris deuotè colimus adoramusq;, ad te piè IESV clamamus, ἐλέησον.

Κύριε, Spiritus alme, cohærens, Patri natoq; vnius οὐσίας consistendo, stans ab vtroq;, ἐλέησον Κύριε; qui baptizato in Iordanis vnda Christo, resulgens specie columbina apparuisti, ἐλέησον. Κύριε, Ignis diuine, pectora nostra succende, vt digni pariter te laudare possimus semper ἐλέησον.

Tuum nunc est Diuine parens, & ô natura naturans infinita & glorioſa animam meam ignorantia tabefactam, splendore virtutis, tuæ almæ, restaurare. Tuum est Spiritus disciplinæ sancti claritate admirabili, rationis ac sapientiæ scintillulas, post Adami lapsum superstites, & in tenebrarum corporalium abyssō miserrimè diu immersas, resuscitare, viuificare, & ad verum cognitionis culmen, fontem & apicem sublimare.

Fiat voluntas tua in parte mei, hominis, cœlesti & immortali, sicut in terrestri & mortali, vt quicquid ab iis & in iis producatur, illud omne, debita consideratione, sit bonitatis tuæ inexhaustæ particeps. Sic erit oblatio, consecratio, & quasi immolatio hæc mea cordialis, tuo Numini sacrosancto placida: sic bonitatis tuæ, in me fructus, incrementi sui radios à fronte tuo lucido

totius

totius & vnicæ bonitatis influxos, recipiens, Spiritu tuo Diuino præeunte, euolabit vera resurrectione cum suo toto transfigurato in altum, gaudebitq; suam Patriam supercœlestem visitare, in qua tu, summe Princeps & Imperator maxime viuis & regnas perpetuo. Malevolorum Lectorum corda in meliora conuerte, obsecro, distinguant oculis apertis Lumen tuum verum à Tenebris Diaboli, Sis ô bone Deus, mihi faustus atq; propitius, qui viuis in æternum.

Tua Creatura

Omnium indigniſſima

Ego, Homo.


IOHANN·DANIEL MYLIVS WETTERANVS HASSVS. MEDICINAE CANDIDAT. ÆTATIS SVÆ 33. Aº 1618
Vin Speculũ, Lector, Paracelsi? Vingz Galeni?
Mylius, en! Speculum certé Vtriusqz tibi.

JOANNIS DANIELIS MYLII
Vetterani Haßi M.C.

Tractatus Primus.

Seu

BASILICA MEDICA

CONTINENS TRES LIBROS SEV PARTES

De salutifera Medicina Antiqua Hippocratica:

1. *Physiologiam.*
2. *Pathologiam.*
3. *Therapeuticam.*

Succincte demonstrat.



Francofurti apud LVCAM IENNIS.

M.DC.XVIII.

AMPLISSIMI, NOBILISSIMI, CLARISSIMI, CONSVLTISSIMI ET PRVDENTISSIMI, INCLYTÆ HVIVS Reipublicæ Consules, Doctores, ac Senatores, Patriæ Tutores & Conseruatores, Domini Mœcenates, Fautores & Affines omni animi obseruantia Humiliter in æternum mihi colendi.

O FELICIA *antiquorum tempora! In quibus ipsi Imperatores Mundum regentes seipsos Philosophiæ dederunt, vt patuit de Alexandro Magno, de Iulio Cæsare, de Rege Ptolomæo: Inquit Doctissimus Hugo. Cuiuslibet enim regni gloria creuit in immensum, quamdiu armilitiæ, gloria & Philosophia simul creuerunt. Et merito, quia Philosophia vera docet iustè & rectè regnare. Per me enim Reges regnant, ait Sapientia. Cic. lib. 1. offic. dicit: Quid est per Deos optabilius sapientia? Quid præstabilius? Quid homini dignius? Hanc qui expetunt Philosophi nominantur, nec quicquam aliud est Philosophia, quam studium sapientiæ: Sapientia autem est rerum diuinarum humanarum causarumq; quibus eæ res continentur scientia. Hinc inde ait Philosophus: mens humana suæ originis fit memor, summæ sapientiæ Diuinæ cõtemplator, & Diuinitatis sanctæ consors. Hinc lucerna Dei, homo (prouerb. 20.) luce diuina particeps factus; Hinc sapientiæ antiquæ, admiratio, homines Deos vocauit. Philolophus quidam interrogatus, quando philosophari cœpisset? Respondit, quando cœpi meipsum nosse. ô Diuinum illud de cœlo delapsum* γνῶθι σεαυτὸν, *identitas & similitudo Micocrosmi cum Macocrosmo. Hinc inde cognitio & agni-*

tio opificis Dei manifesta apparet, ostendens nobis diuinissimi creatoris sapientiã, potentiã, bonitatẽ simulac inuitans nos ad sui admirationẽ ac prædicationẽ. Nazianzenus. Quare dicimus, Qui, naturæ nudæ atq; detectæ arcana & mysteria sacra, nobis à Deo Opt. Maximo oblata, intellegere negatur; ei seipsum & ad veram Spiritus intelligentiæ sacrosancti fruitionem aspirare erit impossibile. Sedulo igitur diuina præeunte cõtemplatione, naturæ promptuarium detegendum, vt ad Dei, eiusq; sapientiæ sacrarium tandem perueniamus, & beatitudinem Diuinam in cognitione eius sitam hauriamus.

Sis itaq; ô Amplissime senatus, Inclytaq; Respublica Heliopolitana, sis, inquam, Diuini Luminis radio illuminatus, à nebulis & spurcitie humana clarificatus, mente donis cœlestibus ornatus, terrestrium contemptor, cœlestium & Diuinarum contemplator, arrogantiâ Diabolica immunis, humilitate Christiana præditus, & iustitia sacrosancta plenus. Sit tibi ô Amplissime Parens, vera cognitio naturæ, & scientia rerum, charitate temperata, sit vobis ô Dii, vt cum scriptura sacra loquar, scala vnica Patriarchæ Iacobi ad cœlum iter dirigens: Nam sine medio hoc ad cœlum à terra non fit transitus. Benedictus sit Deus, & tibi quoq; tuoq; Imperio benedicat, quo nos eius creaturæ, V. vero A. subditi ciues ac subiecti sub illorum iustitia, non ficta sed syncera fideliter ac feliciter viuamus.

Cum autem multis abhinc sæculis, Amplissime Senatus, Inclyta Respublica, *consuetudine diurna sit receptum vt libri Noui, Viris Dignitate, Amplitudine ac Nobilitate præcellentibus (quos omnium maximè mysteria maxima nosse, & hæ donari præ aliis decet) consecrentur, quo illorum patrocinio & fauore ceu Mineruæ ægide muniti, ab iniuria inuidorum calumniantium (prout est immundi huius mundi, vbi semper alter in alterius liuet & grassatur ingenium, corrupta consuetudo) eò magis vindicentur: non dubitaui hos meos labores, & hoc mearum vigiliarum munus V. A. meritis asscriptum, offerre, cum huic instar Mœcenatis & Patroni summè de me meriti deligere, vt si improbi quidam sophistæ crassa liuoris & calumniandi insania illud arrodere velint, ipsum iam vestrũ factum discretionis perspicacia, ac iudicii candore feliciter protegatis atq; defendatis. Offero autem V. Amplitudini nouum de Medicina opus & addico, non vero par-*

ro partem eius artis vobis consecro, sed totam Medicinam tam Hippocraticam quam Hermeticam, ab artificibus præstantissimisq; sapientibus longo rerum vsu inuentam, nondum tamen hactenus in methodicam formam redactam, id quod me conatum esse, quantum Deus suppeditauit auxilii confido si non præstiti. Sed non est vt V. Amplit. pluribus detineam. Res ipsa se commendabit ipsam. Plena sunt V. A. pulpita præstantissimorum vobis addictorum operum: si iuxta illa huic aliquem concesseritis angulum, satis est. Si quid virtutis inest, id splendebit etiam in tenebris.

Deuotus vero ad V. Ampl. confugio omni submissione & diligentia, petens ac contendens me & studia mea sibi quam commendatissima habeant, & quibus possunt modis (possunt autem quamplurimis) ea adiuuent & promoueant, adeoq; aura fauoris sui ad optatum portum prouehant, meq; in suam Tutelam & seruitium suscipiant. Ego non solum indesinenter ardentibus precibus misericordem Patrem nostrum Deum pro V. Ampl. sanitate, & prosperitate totiusq; status florentissimi salute sollicitabo, verum noctu dieq; in id sedulo incumbam, vt vestris beneficiis me dignum reddam & præstem, motæ spei respondeam, omnig; in vita me talem exhibeam, vt vestri vos patrocinii & beneficii nunquam pœnitere debeat.

Qui V. A. se suaq; consecrat
& offert

IOANNES DANIEL MYLIVS
Vetteranus Hassus
Medicinæ Hipp. ac Herm.
Candidatus.

Lectori Salutem.

MVltæ ſane cauſæ ſunt, quæ me impulerunt ad conſcribendum hoc opus Medicochymicum ſeu Baſilicas Medicas, Amice Lector, inprimis verò ſola Chymia magna parte inexculta: Ariſtoteles refert ſuo tempore Dialecticam in exemplis potius quam præceptis hæſiſſe: De Chymia idem ſi pronuncias, nullo modo aberras. Exemplis operationum nullus non ſcatet angulus, ſingularia vbiuis proſtant, & in abditis partim latitant: Catholica ſilent, nec eſt amuſſis ad quam reuocari ſingularitates & iudicari queant. Sed quid? Huic Baſiliſco ſeu malo, auxilium & medicina inuenta per artis legitimum ſyſtema, ſiue Baſilicam, arbitror. Eſt & hoc Compendium, quod manifeſta ſint facta ea, quæ in paucorum ante notitia, & poteſtate latitabant. Non cogeris amplius inquirere & redimere arcana ab impoſtoribus, non magna vi Aurum inutilem aut vmbratilem copioſamq; ſchedulam ab Imperitis impetrare, non ſolicite rogare, non omnes Deos Deasq; de non manifeſtando adiurare, omnia patebunt tibi ipſi: non ignoramus, etiã præſtantiſſ. probatosq; authores occultandi ſua inuenta & arcendi improbitatem cauſa, variis monſtroſisq; nominibus ſua ſecreta appellaſſe: Verum hoc velim tibi perſuadeas, concordem conſtantemq; ipſorum ſemper fuiſſe mentem, quam non dictio fallax, ſed rerum concurſus & experientia aperuit: Non eſt vt hos Impoſtorum ſimiles facias; Multi enim ſapientum & plerique omnes vnanimiter, verbis occultis, filiis ſapientiæ ſolum apertis, res ſuas manifeſtarunt; vti patet ex Baſilica noſtra Philoſophica. Sed non hic opus eſſe verboſo patrocinio, iudico: Quædam ſaltem mihi in hoc nouo, & fere vltra Fidem Audace conatu es admonendus.

Negabunt multi, atque inficiabuntur, me artem integram dare potuiſſe, quod fieri non queat, vt occulta illa de Philoſophorum lapide, & reliquis arcanis decreta mihi innotuerint, cum conſtet neminem, niſi Deo per oracula docente, Magiſtrisve coram monſtrantibus, ad Myſteria illa peruenire poſſe. Non quidem eſt vt Dei potentiam noſtro æuo contractiorem putemus & iniquiorem quam vetuſto, cũ beneficiis maioribus fecem mundi beauerit, quam florem: ſed vtut non aſſecutus iudicor, quod ſenſerunt ipſi, non tamen locum caputque artis, quod ei tractationi debetur, ignorare Methodus ſiuit. Mihi quidem (liceat enim parumper apud te ſtulto eſſe) ſatis euidens apparet Philoſophorum dictio, & proceſſus: ſi tu eum non intelligis, id tibi, non mihi, aut Philoſopho imputa & tuæ inſcitiæ, ſed ob id etiam de arte non deſpera, nec eam im-

am imperfectionis argue. Sunt equidem non pauca, quæ requirunt perfectum atque experientissimum Magistrum, quo minus à Tyrone conficiantur, ob id non sperandum aut ex arte profligandum; sin hac parte non fit feliciter successus, non vt multum impendas sudoris, sunt etenim alia & plura, in quibus facies periculu m & operæ pretium; Neque etiam illotis manibus in nostram artem irruas, rogo, nec, si non ex templo Vulcanus ad nutum tuum arridet aut respondet, me fraudis accuses; nam nulli Tyroni tam felix est ingenium, vt primo intuitu seu prima aggressione omnia teneat firma aut inueniat rata; Nam sapientes in labore errarunt, vnde coacti opus de nouo redintegrare, vti patet in Basilica nostra philosophica. Discendum experiendumq; sæpius est, ne autem fiat cũ naufragio & detrimento facultatũ, tu Deum in primis consule, deinde in paucis specta naturam, sic artem experieris. Stulti enim sunt qui magnos sumptus profundunt & impendunt, in re sibi nondũ perspecta & penitus incognita, hinc enim fit vt magisteria ab Imperitis damnentur & dicterium commune, verum: ars nullam habet osorem nisi ignorantem. Non deerunt sane, qui me nec veterum arcana cognouisse diuulgabunt, sed sua clamabunt, ac sibi mirifice de his gratulabuntur: Verum tu, Amantissime Lector, pro certo scito, me tam lynceum nunquam esse voluisse, nec tam furtiuum, vt aliorum scrinia perspicerem, & ipsis inuitis euolare, aut rapere præparationes tacitas concupiscerem. Quando ita volunt, sua arcana retineant; modo sciant, solem non obscuratum iri, nec peius victurum Mundum, etiamsi nec ipsi, nec arcana ipsorum unquam in lucem proreperent. Si vtamur fruamur præsentibus, quæ manifesta sunt per viros bonos Deo instigante facta, sat commodè ævum quod superest, transigemus. Ad quid proderit, si tunc illa mysteria atque arcana primum inveniantur, cum mundus conflagrabit? cum authores vel potius occultatores inter serpentes putrefient? Adeone iniqui sunt societati humanæ? Tam ne monstrosi partus, & prodigia abortusque naturæ, vt qua prognati sunt, eam celebrare, iuuareque nolint? Tam ne inuident Diuinæ gloriæ, vt quod ipsis datum est, nolint concessum pluribus? male vtentur, inquient, ingrati. At tu bene vtere, nec sepeli. Non occultandum ideo vinum & aurum erat; quia pleriq; abusuri istis. Nec etiam dubito quin aliqui in aduersam partem erunt inclinantes, qui turpe iudicabunt arcana quædam publicari tam manifestis verbis, & Philosophos imitandum esse, qui rem manifestam nominibus, modoq; docendi occultarunt: filiisq; doctrinæ reliquerunt: aduersus hos mihi non opus responsione iudico. Mihi enim nihil est arcani, si quid est, Deus per artifices sapientes ac præstantes disciplinam & experientiam patefecit. Monstrosa nomina, plurium errorem pariunt lernam, præsertim in

sim in indagatione seu inuestigatione dubiorum quare ea, vbi consultum fuit, sapientia tanta, quanta potuerimus, omisimus, sed his, qui disciplinæ Chymicæ morem non callent, omnia dicuntur occulta, etiamsi manifestis notis atque signis exponantur, verum intelligentiæ filiis satis. Nec vereor, futuros quosdam, qui mea à me Experimenta requirent, & non aliorum artificū, quoniam horum libri pleni & plurimi: Confiteor sanè me meam artem non docere, sed artem chymicam vsu artificum antiquorum sapientum comprobatam excultamque, dispono, & Dei auxilio, quantum ille vult expono: Meam expositionem methodicam traditionem, modumque docendi esse, sat est ac sufficienter. Scito tamen, Lector Beneuolentiss. etiam me aliquid studii in chymicis posuisse, & si opus ac necessitas requisuerit, ostendam tibi me quoque posse destillare Elementum mineralium, & ne quid dicã de aqua in ignem mutando: Addidi etiam multa exigua mea experientia comprobata, quæ quamuis non habeant appositum nomen, attamen ea tibi dono publico donata sunto.

Neque etiam refugio iudicia ingenua de laboribus meis, si aliqui sunt liberali ingenio nati ac boni, qui me in aliquibus deficere videbunt, ipsi edant meliora; nec etiam pertinax ero in defendendis erratis; Discam à quouis legitimo monitore. Videbuntur etiam aliquibus notæ meæ exemplis authorum appositæ Intoncinnæ, videantur sane & stultæ: Mirum est in tantis tenebris impingere? Quorum sententia melior erit, iis cedet mea.

Methodi ratio, Tituli Diuisio item Definitiones, ingeniis spinosis oblectamenta parient mirifica: Facile est reprehendere, meliora dare difficile: Illud vel stultis licet, hoc sapientibus. Erit mihi sapiens, qui meliora exhibebit: Forsan Fraternitas Rosæ crucis? si Diis placet intra centum annos; Ramisticas argutias ineptiasque nugas quas ineptiunt hodie multi, ad Cynosarges abire iubeo: sed non omnia possunt anteuerti impedimenta: si quid dubitabitur vel obliuione tradetur, id in 3. Tract. Basil. Philosophicæ sat abunde, coadiuuante

Deo Opt. Maximo declarabitur. Hisce tu Lector

benigne Viue & Vale.

PRÆFATIO IN TRACTA-
tum primum Basilicæ Medicæ.

NUlla pars Philosophiæ cognitu pulchrior, & homine magis digna existit, quam sui ipsius cognitio, & probe cogniti despectio. Ex ea enim mens humana, quæ Dei Imago est, cœlestem fabricam naturæ, & Originis suæ admirandum in se conspicit mundum. In sacris extat Gen. 1. Faciamus hominẽ ad Imaginem & similitudinẽ nostram. Gen. 9. Ad Imaginem quippe factus est homo. Psal. 8. Minuisti eum paulò minus ab Angelis. Sap. 2. Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad Imaginem similitudinis suæ fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Nazianzenus de hominis opificio ait: Homo à Deo post reliqua factus, vt Deus in ipso exprimeret, sub breui quodam compendio quicquid diffuse antea fecerat, omnia videlicet membra totius mundi sapientissimus opifex, inquit, Philosoph⁹ hanc vniuersam pulcherrimamq; rerum omnium compagem propter hominem condidit, homo autem propter Deum factus est: Homo itaque est istius totius vniuersi incola, vt & illud & se cognoscat, Deumque perpetuis laudibus deprædicet. Ad quam sane Diuinitatis legem omnes, quotquot ab Adamo in hanc scenam diuersis actibus seculorum producti sumus, non docti sed facti, non instituti sed imbuti meritò videmur. Quid est in Republica quæso corporis humani quod non sparsim in maiore illa totius vniuersi dispositione repositum elucescat, quid est in mirabili structura mundi, quod homo in Ergastulo suo non circumferat? ex nihilo enim omnia, & ex

Lactant. Firm. lib. 2. c. 13. Diuin. Instit. ait: Cum ergo marem ad nem suam fœminam configuraait ad ipsius hominis sexus, pro- pagare so- bolem pos- sent, & o-

a omnibus

ram multitudine opplere. In ipsius autem hominis fictione, illarum duarum materiarum, quas inter se diximus esse contrarias, ignis & aquæ concluſit, præfecitque rationem. Ficto enim corpore, spirauit ei animam de vitali fonte spiritus sui, qui est perennis, vt ipsius mundi ex contrarijs constantis Elementis similitudinem gereret. Constat enim ex anima & corpore, id est, quasi è cælo & terra, quandoquidem anima, qua viuimus, velut è cælo oritur à Deo: Corpus è terra, quod è limo diximus esse formatum.

omnibus homo, vltimum videlicet diuinæ creationis Tecanurgema. Homo complexu ſuo omnia compræhendit, & ipſe gerit omnia in ſe: Ex quo enim factus eſt homo, illud in ſe quoque gerit & continet. E mundo factus eſt, & mundum in ſe compræhendit, & à Mundo compræhenditur. Magnus itaque mundus cum mundo paruo arctiſſimo vnitatis & neceſſitatis vinculo conſpirat, vnde ſapientiſſima antiquitas perſpicaci conſilio hominem appellauit microcoſmum (paruum mundum) longe ſane alia & diuiniori interpretatione, quam à multis hodie, craſſa admodum & ignaua negligentia penſitatis veterum & antiquorum ſapientum myſterijs, fieri videmus. Inter ſapientes Philoſophos iunior quidam ſic ait: ſicuti ſumma Philoſophia eſt animum illuſtrans ſeipſum recte noſſe, ita extrema turpitudo atque morbus animi peſtilentiſſimus ſe ipſum ignorare. Huic cor reſpondet Hermes Triſmegiſtus Philoſophorum antiquiſſimus: Ignorantia ait ad filium Tatium, eſt maximus hoſtis & primarius vltor intra vnumquemque. Doctiſſimus ille Fernelius ait: Rerum omnium quæ naturæ lege imperioque continentur princeps homo, etſi diuinorum caducorumque particeps, amborum ſocietate gaudet, excelſiorum tamen ardenti deſiderio inflammatus, parcè ea ſequi debet, quæ ſordida, vilia atque abiecta perſequitur impetus beluarum. Id execrandum profecto & deteſtabile videtur, ſi quam ſui partem ſuſcepit homo cœleſtem atque diuinam, ſic eam aut turpitudine vitiorum, contaminari aut blanditijs voluptatum irretiri, aut mortalium cura atque ſolicitudine obrui ſinat: aut oppreſſa nequeat aliquando recreare ſeſe & altius extollere. Qui enim eum vitæ curſum tenent, vt Solis ſenſuum blandimentis illaqueati ferantur nihilo mutis animantibus, videntur præſtantiores: quoniam & beſtiæ neceſſaria vitæ præſidia inquirunt & parant, ſummaque tum ſui tum prolis cura ipſis ineſt, vti & voluptatum. Sed quid ſacra inquiunt? Væ tibi homo qui negligis immenſum patrimonium & Talentum ac depoſitum tibi commiſſum Theſaurum, ſeu in vaſe fictili reconditum, & effodiendum non animaduertis: Non vides Deum in te ipſo, quem mundus non videt nec recipere poteſt, licet nobis intimior ſit, quam nos nobiſmet ipſis ſumus, ſiquidem in medio cordium noſtrorum Dei ſpiritus habitat. D. Auguſtinus ait: Deus nuſpiam vult habitare, quam in homine vbi eſt concruentus. Gregor. lib. 8. Homo ad contemplandum creatorem ſuum con-

Plinius lib. 8. cap. 27. Cerui paſtu Dictamni excutiunt corpore ſagittas; à Phalangio percuſſi cancrorum eſu

conditus est. Chrysostomus in Matth. Omnem creaturam sensibilem Deus armatam & munitam creauit, alios veloci pedum cursu, alios vnguibus, alios pennis, alios cornibus, hominem solum sic disposuit, vt virtus illius sit ipse Deus, & in eo quo inferiorem fecit, in ipso fortiorem esse voluit, vt necessitate infirmitatis coactus, semper quæ necesse habeat Dominum suum requirere. Lactant. Firm. l. de Opificio Dei vel formatione hominis c. 2. Dedit enim homini artifex ille nostrer ac parens Deus, sensum ac rationem, vt ex eo appareret, nos ab eo esse generatos, qui ipse intelligentia, ipse sensus, ac ratio est.

sibi medentur: Lacerte à serpentibus ictu herba quadam se reficiunt: hirundines vexatis pulli oculis chelidonia succurrunt: Terra voluptatis studo cuniculæ pastu vires adquirunt: corruptionis eius pœnæ: noxius Iræ Dei & peccato Psal. 51 v. 6. Ephes. 2. v. 3. natus ad laborem pentes resistit: Musteam in muriâ venatu Rutæ confirmat: Vani Iob. 1. v. 21. & 8. v. 9 & 25. v. 6. mat: Cicoria. 8. v. 5. & 39. v. 6. 9. & 49. v. 18. & 62. v. 10 & 82. v. 7. & 94. v. 20. & 103. nia Origanum. 14. & 144. v. 4. & 146. v. 3. Eccles. 4. v. 3. & 5. v. 14. Esa. 31. v. 3. & 40. no: Hedera

Addamus de hominis statu sacra: Homo ad imaginem Dei formatur Gen. 1. v. 27. & 5. v. 1. & 9. v. 6. A Deo rectus creatus Eccles. 7. v. 30. è Limo terræ factus Gen. 2. v. 7. 1. Cor. 15. v. 15. 45. collocatur in paradyso voluptatis Gen. 2. v. 8. 15. illic corrumpitur Gen. 3. v. 6. 7. Rom. 5. v. 12. Eius natura corrupta Gen. 6. v. 5. & 8. v. 21. Iob. 15. v. 16. Ierem. 17. v. 9. Matth. 17. v. 11. Ioan. 3. v. 19. Rom. 3. v. 4. & 8. v. 7. Ephes. 2. v. 3. Tit. 2. v. 3. corruptionis eius pœnæ: Gen. 3. v. 17. è paradyso Gen. 3. v. 23. obnoxius Iræ Dei & peccato Psal. 51 v. 6. Ephes. 2. v. 3. natus ad laborem Ioh. 5. v. 7. peccatores Gen. 6. v. 5. & 8. v. 21. 1. Reg. 8. v. 46. Ioh. 14. v. 4. Psal. 14. v. 3. & 143. v. 2. Prou. 29. v. 24. Eccles. 7. v. 21. Esa. 53. v. 4. Matt. 19. v. 25. Ioh. 3. v. 6. Rō. 3. v. 9. &c. & 5. v. 12. & 11. v. 32. Gal. 2. v. 17. & 3. v. 22. Eph. 2. v. 3. 1. Ioh. 1. v. 8. 10. sortis miseræ & infelicis. 2. Sam. 14. v. 14. 1. Paral. 29. v. 15. Iob. 7. v. 1. & 14. v. 1. Psal. 39. v. 6. Vani Iob. 1. v. 21. & 8. v. 9 & 25. v. 6. mat: Cicoria. 8. v. 5. & 39. v. 6. 9. & 49. v. 18. & 62. v. 10 & 82. v. 7. & 94. v. 20. & 103. nia Origanum. 14. & 144. v. 4. & 146. v. 3. Eccles. 4. v. 3. & 5. v. 14. Esa. 31. v. 3. & 40. no: Hedera

v. 7. *apri sibi medentur in morbis, item cancrorum esu: Anguis fœniculi succo abijcit exuuium: Draco vernam nauseam Syluestris Lactucæ succo restinguit: Pantheræ aduersus aconitum, hominis excrementis sibi medentur: Elephas Chamæleonte fronde (nam similis est animanti color) deuorata: Vrsi cum Mandragoræ mala degustauere formicas lambunt: Ceruus venenatis pabulis herba cinaræ resistit: Palumbes, graculi, merulæ, perdices, lauri folio annuum fastidium purgant: Idem faciunt columbæ, Turtures, gallinacei, herba quæ vocatur Helxine: Anates, Anseres, cæteræque aquaticæ, herba siderite: grues & similes, iuncto palustri: coruus occiso chamæleonte qui etiam victori nocet, Lauro infectum virus extinguit: Breuiter nullum est animal, quod non intelligat sua remedia, solus homo nescit, vnde vel corporis vel animi remedia petere debeat.*

v.7, & 51.v.8. 12. Ierem.17. v.5. 1.Cor.3.v.20. 1.Tim.6.v.7. Heb.2.v.6. 1.Pet.1.v.24. Morti obnoxij Psal.89.v.49. 1.Sam. 6.v.9. Eccles.3.v.2. 10. & 9.v.3.10.11.Rom.5.v.12.Heb.9.v.27.1.Cor.15.v.15.1.Thess.4.v.15. hominis partes anima & corpus.Mat.10.v.28. 1.Thess.5.v.25. non frustra creatus Psal.89.& 48. Hominum corda in manu Dei. Gen.31. v.24. & 43.v.14. Exod.4.v.21.& 7. v.3. Leuit.26. v.36. Deut.2. v.30. & 28. v.65. Ioh.11.v.20.Iud.9.v.23.1.Sam.10.v.26.& 11.v.16.2.Sam.17.v.14.1.Reg.8. v.58.& 18. v.37. 2. Paral. 36.v.32. 1.Esdr.1. v. 1.5.& 6.v.22.& 7.v.26. Nehem.7.v.5.Iob.12. v.20.24. Psal.33. v.15. & 105.v.25. & 106. v.44. 46.& 107.v.40. & 119. v.36. Prou.15. v.11.& 16. v. 7. & 21.v.1.Esa.1. v.26. & 7. v.18.& 10.v.15. & 63. v.17.Ierem.24.v.7. Ezech.7. v.26. & 11.v.19. & 12. v.13. Dan.1.v.9, Agg.1.v.14.Mar.11.v.3 6.Act.2.v.17.47.& 7.v 10.2.Cor. 8.v.16. 2.Thess.2.v.10, Apoc.17.v.17.Hominum corda à Deo probantur. Prou.17.v.3.& 21.v.2. Fide ille purificat Act.15.v.9. Hominis præ reliquis Dei creaturis excellentia Psal. 8. v. 6. Mat.2. v.26. & 12.v.12. Heb. 2. v. 7. &c. De hac excellentia & similitudine noster hic erit sermo.

Lucius Aupelius de Deo Socratis. Nihil est Deo similius & gratius, quam vir animo perfecto bonus, qui hominibus cæteris antecellit, quod ipse à Dijs immortalibus distat &c.

Crollius ille Philosophus ait: sicuti Deus est centrum, & circulus omnium à se productorum (vniuersæ siquidem Diuinæ bonitatis opera circularia sunt & perfecta, ad ipsum à quo prodierunt, Sphærice rotata) centrum quod omnia ab ipso manant, & quia omnium rerum essentia omnia etiam penetrat: Circulus autem quod veluti omnicapax tabernaculum omnia concludat ac complectatur: Intra Deum enim omnia, extra quem nihil tam ante productionem, quam post productionem rerum, sublato videlicet hoc mundo visibili. Ita etiam homo ad creatoris sui imitationem, est centrum creaturarum, & circulus omnium earundem. Nam non solum ad ipsum omnia, in mundi machina respiciunt, tanquam ad Ducem & Rectorem, propter quem omnia etiam sunt creata: Verum etiam supra ipsum vt punctũ medium & retinaculum, omnes Sphæræ suos radios, operationes flexus & reflexus & influxus, omnes item creaturæ suas vires effundunt. Circulus verò homo dicitur, quod in se omnes creaturas contineat, & omnia ex summo bono manantia secum reducat ad fontem æternitatis, ex quo originaliter singula fluxerunt, & emanarunt. Hugo

in

in Didascal. l. 1. ait: Vide, homo, dicit mundus, quomodo amauit te, qui propter te fecit me, seruio tibi, quia factus sum propter te vt seruias illi, qui fecit & me & te: me propter te, & te propter se. Si sentis beneficium redde debitum: si accipis benignitatem, redde charitatem.

Lactantius Firmianus l. de opificio Dei vel formatione hominis c. 8. Cum igitur statuisset Deus, ex omnibus animalibus solum hominem facere cæleſtem, cætera vniuersa terrena, hunc ad cæli contemplationem rigidum erexit, bipedemque constituit, scilicet vt eadem spectaret, vnde illi & origo est. Illa verò depressit ad terram, vt quia nulla his immortalitatis expectatio est, toto corpore in humum proiecto, ventri pabuloque seruirent. Hominis itaque solius recta ratio, & sublimis status, & vultus Deo patri communis, ac proximus originem suam fictoremque testatur.

Stob. lib. 6. de legibus Plato hominem mansuetum animal esse dicebat. Quod si recta disciplina, institueretur in mansuetissimum & diuinum prorsus animal euadere: sin verò non satis aut non bene esset educatus, ferociſſimum omnium quæ in terris nascuntur animal reddi. Idem sem. 116. Musonius quid esset homo describens, homo solus (inquit) omnium in terra degentium Dei Imago est, & similes ei virtutes habet. Nam ne inter Deos quidem præstantius aliquid cogitari potest, quam iustitia, fortitudo, temperantia &c. Idem Stob. serm. de virtute, Perictio: Pythagor. dicebat, conditum & compositum esse hominem in hoc, vt contempletur naturæ rerum ipsiusque sapientiæ rationem: eidemque laborem esse iunctum comparandi contemplandique rerum quæ extant sapientiam. Anaxagoras Philosophus interrogatus, curnam se natum arbitraretur? Respondit, Cæli ac Solis videndi causa. Quam quidem vocem à sapientibus summa exceptum admiratione, risu prosequitur Lactantius (lib. 3. instit. cap. 9.) existimans, nescientem quid responderet, in hæc prorupisse. Ego verò contra contenderim, non temere effusam. Si quis enim exacte pensarit rem totam, comperiet liquido, Deitatis maiestatem in perenni ac vitali luce eluceſcere, ad quam celebrandam facti natique sumus, vt videatur hominem Deus quasi porrecta manu alleuatum ex humo, ad contemplationem sui operis, quo nihil pulcrius, excitasse.

Thriue. in Apoptheg. 30. Vt chamæleō cutē habet adeo tenuem ac pellucidā, vt omnem eorum quibus vel ipse insidet, vel ad ipsum accedunt, imitetur colorem: sic quoque genius & natura hominis quo est subtilior, generosior, eo ad omnē affectionem opportunior.

Laert. lib. 6. Diogenes quoties considerabat in hominum vita ciuitatum gubernatores, Medicos aut Philosophos, nullum animal dicebat esse homine sapientius. Idem contemplans somniorum interpretes, coniectores, diuinos, & huius generis cæteros, aut qui gloriæ diuitijsque seruirent: aiebat, sibi nihil homine videri stultius. Indicans hominis ingenium ad res optimas accommodum si exerceatur, sin ad vitia degeneret, longe esse infra mutas pecudes.

Sed quid? In rei veritate, toto vitæ curriculo nil aliud discere possumus, quam diuinum illud sapientum ac Philosophorum, è cœlo delapsum γνῶθι σεαυτόν: Philosophus ergo sapiens pie & docte dissecrit veram viam (secundū Apollinis Delphici oraculum præ foribꝰ eius templi scriptum) ad veram sapientiam, perpetuamque Beatitudinem consequendam, si teipsum cognoueris, quia est in homine omnium rerum, naturarumque vera & realis possessio: Insuper vel ipsius omnium creatoris peculiaris perfectaque Imago: Ideo oportere omnium rerum ac naturarum ipsiusque creatoris cognitionem (in qua solum vera sapientia Beatitudo consistit) à se ipso primum exordiri: sic quod homo intelligens seipsum, in se ipso, tanquam in quodam Deifico speculo intueatur, intelligitque omnia, quo nomine Dauid Psalm. 139. dicit, Domine mirabilis est facta tua scientia ex me: è contra qui seipsum ignorauerit, nullam rerum veram, intrinsecamque ac essentialem cognitionem habere possit, sed similis brutis animantibus, quicquid extra se cognoscit, extra se permanebit: Nulla enim cognitio siue è cœlo influxa, siue ingenij labore terrenaque diligentia acquisita, perpetuo manebit in anima, sed obliuioni subiecta transibit, nisi sola illa, quæ in abdito intellectu essentiali cognitione intrinsecus recepta est: Ipsa autem essentialis intrinseca cognitio non est ex carne & sanguine, neque in multitudine librorum & lectionis, nec in pluralitate experientiæ & antiquitate dierum, nec in persuasionibus humani verbi, & contentione rationis, sed in ipsa passione Diuinorum, non in discendo, sed in patiendo Diuina, hominis mens perficitur. Totum situm est in cognitione, quia sumus ex omnibus & omnia in nobis portamus, non aliter vt ipse Deus Pater noster. Ioh. 4.

Philoso-

1. Cor. 15. Primus homo de terra terrenus, secundus homo Dominus de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & Imaginem cœlestis.

Philosophus quidam interrogatus, quando Philosophari cœpisset? Respondit, quando cœpi meipsum nosse. Hinc homo seipsum non cognoscens, rapitur cœco amore sui, quæ dicitur φιλαυτία, de qua Augustinus sic infert: Amare se, est amare latronem morte condemnatum: Et si perditur homo, amando se, profecto invenitur negando se. Idem alibi: Homo si te videres, tibi displiceres: nunc autem quia te non vides, tibi places, & mihi displices.

Homo qui Deum ignorat, à Deo ignoratur, & qui relinquit Dei notitiam, à Deo relinquitur. Ignorantia autem Dei, omnium malorum fons, omnium scelerum radix est, per quam omnia vitia conualescunt & augentur: sicuti è contra è probitate & innocentia, omnium rerum cognoscere & amare principium ipsum, omnium creatorem Deum, summa pietas, summa iustitia, summa sapientia, summaque hominis felicitas est: Sed placet hic tantum de microcosmo loqui in secunda Præfatione tract. nostri 2. Diuina annuente gratia de Creatore & Saluatore nostro Iesu Christi. Item tertia persona Deitatis sermonem nostrum continuabimus: redibimus hic itaque ad priora: Homo seipsum intelligens in seipso, tanquam in quodam Deifico speculo intuetur atque intelligit omnia: per hoc Diuinam beatitudinem ac sapientiam haurire ac consequi datum est, nobis enim probe cognitis in vtroque lumine, secundum spiritum & naturam ope Diuina ianuam apertam in nobis intramus, & ante ostium cordis pulsanti Deo aperimus, viuentesque secundum Dei voluntatem, omnia habemus necessaria, ad præsentem & æternam tam sapientiam quam vitam. Non enim fruſtra

1. Cor. 4. Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: Tamen is, qui Intus est, renouatur de die in diem. Coloss. 3. Nunc autem deponē tes vos omnia, Iram, Indignationem, Malitiam, blasphemiam Turpem sermonem de Ore vestro. Nolite mentiri inuicem: Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & inducentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem Dei secundum Imaginem eius, qui creauit illum.

Ephes. 4. Vos autem non ita didicistis Christum: Si tamen illum audistis, & in ipso docti estis, sicut est veritas in Iesu. Deponite secundum pristinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.

frustra Christus quærere iubet, nisi à Deo dati ac depositi essent Thesauri cælestis ac terrenæ sapientiæ in nobis absconditi. Ex sui contemplatione & sedula cognitione, oritur immediate vera Dei cognitio (neutra enim sine altera exacta & absoluta esse potest.) & potest homo bonam, magnamq; partem cognitionis eius, qui est, ex sui ipsius consideratione venari, siquidem omnes ad Dei cognitionem, pro data capacitatis gratia obligamur. Dionysius ait: Nos Deum non ex ipsius natura cognoscere posse, sed ex creaturarum omnium ordinatissima dispositione ab ipso producta, vt imagines quasdam ac similitudines diuinorum ipsius exemplarium præ se ferentes. Si quęratur, quodnam omniũ difficilimum? Respondet vnus ex Philosophis, seipsum nosse. Homo enim abyssus sibi est qui perscrutari nequit vnquam. Nõ enim solus oculus alia intuens, seipse non cernit: sed etiam mens nostra acute aliena errata videns, ad se & suorum cognitionem tarda est. Is autem maxime se nouit, qui se nihil esse reputat. Augustin. lib. 10. Confess. ait: Eunt homines mirari alta montiũ, ingentes fluctus maris, altissimos lapsus fluminum, Oceani ambitum, & gyros syderum, & relinquunt seipsos nec mirantur. Et alibi: Quoniam dictum est vt cognoscam meipsum, sustinere non possum, vt me habeam incognitum. Barbarus quidam interrogatus, quid in hac quasi mundana scena maxime putaret admirabile? Hominem, respondit, omnem plane admirationis captum excedere. Fauorinus dicebat, nihil in terra magnum præter hominem, nihil in homine præter mentem. Si eò vsque scandis cælum transcendis. Corpus si despicis, moxque cælum suscipis, muscam te vides, & muscæ quid minus. Annon magna & admirabilis maxime, in eo

Bernhardus super Cantic. serm. 35.

Homo cum in honore esset non intellexit. In quo honore? Habitabat in Paradiso, & in loco voluptatis cõuersatio eius: nihil molestiæ nec indigentiæ sentiebat, odoriferis stipatus malis, fulcitus floribus, gloria & honore coronatus, & constitutus super opera manuum plasmatoris. Magis autem ob insigne diuinæ similitudinis præcellebat, & erat illi sors, & societas cum plebe Angelorum, & cum omni militia cælestis exercitus. Sed mutauit istam gloriam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Heu tristis & lachrymosa mutatio; Vt homo paradisi Accola, Terræ Dominus, cœli ciuis, domesticus Domini Sabaoth, frater beatorum spirituum & cælestium virtutum cohæres, repentina se conuersione inuenit, & propter infirmitatem iacentem in stabulo, & propter pecorinam similitudinem indigentem fœno, & propter indomitam feritatem alligatum præsepio, sicut scriptum est: in chamo & fræno maxillas eorum constringe, &c. vide hominem prius quatuor virtutibus amictum: quid huic deerat, quem misericordia custodiebat, veritas docebat, iustitia regebat, pax fouebat.

in eo Dei potentia summumque artificium elucet, quod in tot hominum millibus vix vnquam vnus alium exprimit. Quemadmodum autem mirabili naturæ consilio (canit poeta: Pers. Sat. 5. Mille hominum spectes, & rerum discolor vsus; sic etiam velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

Ovid. 1. Metamorph.

Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est siue hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum mundi melioris origo.

Et post:

Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum:
Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumq; tueri
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Porro si quæstionem instituamus cur itaque operum Dei vltimum sit homo, vti extat Genes. 1. Huius multæ sunt causæ & præcipue tales. Primo enim Deus sic monstrat nobis ordinem quem obseruarit, atq; etiamnum in natura obseruet, vt ab imperfecto ad perfectum progressus fiat. Condiderat prius inanima, materiam primam, lucem, cælos, diem ac noctem, maria, fructº, arbores, Solem, Lunam, Stellas, Signa, Aquatilia, volatilia, terrestria &c. Denique hominem. Mirum igitur esse non debet, quod homo perfectissimus omnium conditus est ad extremum, cum & corporis & animi dignitate omnia antecellat animalia. Secundo, voluit, vt homo μικρόκοσμος esset, in quo summatim & cælestia & terrestria omnia, tanquam in parua mappa depicta, continerentur: Idcirco prius oportuit totum mundum fabricari, ante quam eius summa in homine describeretur. Tertio conditurus Deus hominem animo & corpore constantem, quæ ad vtriusque felicitatem pertinebant, voluit præparare, prius quam conderet ipse. Ad animæ felicitatem pertinebant cœli eorumque ornatus, quem contemplaretur: rerum enim cœlestium contemplatione mirifice afficitur humana mens, & in cognitionem etiam opificis, inq, eius amorem adducitur facilius: reliqua omnia ad corporis beatitatem pertinebant, quæ nimium infra cælos sunt, & quæ illi ad fruendum tradita esse videmus. Quartò, quid? quod prius etiam oportuit domum

totam exædificari, rebusq; necessarijs instrui, actum demum inhabitatorem induci &c.

Veterum ac sapientum regulæ homini quotidie perpendendæ hæ sunt. 1. Memento homo vnde sis ortus. 2. Quid sis. Homo tanquam gramen exarescit. 3. A quo & per quem sic creatus. 4. Quo prolapsus. 5. A quo, quomodo, cur redemtus. 6. Quid tibi minetur, qui potest perdere. 7. Quid promittat, qui potest saluare. 8. Quid à te Deus exigat, & quomodo id sit præstandum. 9. Quam fragilis sit caro, quam fragilis mundus. 10. Quam πολύπεχνος, præsens, potens, inuidus, & ad perdendum indefessus hostis satan. 11. Quam breue tempus huius vitæ. 12. Quam citò & terribiliter mundus sit perituru. 13. Quam longa æternitas. 14. Quam stupenda & subita rerum omnium in extremo die permutatio. 15. Quam intollerabilis futura Ira Dei. 16. Quam intolerabilia gehennæ tormina. 17. Quam glorioſum Christi & Christianorum regnum. 18. Quam seriò verbum Dei peccatis suis indormientes, ad hæc semper meditanda veluti classico excitet.

Annon sapiens antiquitas his regulis perplexe videtur inclusisse suo originem, vnde homo; Quis sit, à quo & per quem sit factus &c.

Hugo de arc. lib. 2. cap. 3. sic ait de triplici voce omnis creaturæ irrationalis: Omnis creatura tribus vocibus nobis loquitur: Prima vox est, Accipe Beneficium. Secunda: Redde debitum. Tertia: Fuge supplicium. Nam prima vox est Famulantis, qua cœlum dicit: Ministro tibi lucem in die, vt vigiles; tenebras in nocte, vt pauses. Aër dicit:

Si quæratur quonã Elemento suam maximam tum Iram, tum clementiã mundo Deus patefacere voluerit. Est hoc (aquam dico) vere inter opera Dei admirandum, & Diuinum opus. Iram suam ostendit Deus, cum diluuium immisit, eoque scelera mundi grauissime vsus est. Clementiam vero, cum Baptismum in aquæ instituit, quo se nobis placatum esse per Christum palam data quasi arrha, testificatur & obsignat. Qua de causa suum quoque spiritum, per quem regeneramur, aquarum nomine in S. literis significare voluit. Quid? Quod ex aquis cœli omnes educti sunt, & aer ipse atque ignis: Aquæ sunt causæ omnium meteororum: transcendunt enim terram aeremque, & ad ignem vsque pertingunt exhalationes ex ipsis eductæ: Inde descendunt, terram irrigant, aerem refrigerant, reficiunt Animalia, vegetant plantas: Ex ijsdem pisces & Aues & Reptilium multa genera educta sunt. Non sine stupore, scriptura affirmat, Deum circumuallasse mare, ne erumperet è claustro suo, & dixisse, hucusque venies, & hic quiescent superbi tui fluctus Psal. 104. Iob. 38. & 30.

dicit: Vitalem tibi præbeo flatum,& omne genus auium ad tuum obsequium. Aqua dicit: Potum tibi do, sordes purgo, arentia rigo,& piscium genera præbeo ad tuum vsum. Terra dicit: Ego te porto,pane nutrio,& vino,omnibus generibus fructuum & animalium mensas tuas repleo. Secunda vox est admonentis,qua mundus dicit: Vide homo,quomodo amauit te, qui propter te fecit me; seruio tibi, vt tu seruias illi,qui fecit me & te. Tertia vox est comminantis,qua ignis dicit; à me combureris: Aqua dicit,in me submergeris: Terra & inferni dicunt: à nobis diglutieris propter peccata,si non seruieris. Meditatio sane hæc pio homine non indigna est,cuius generis vetusti patres in suis confessionum,meditationum & soliloquiorum libris habent plurimas commendationes haud dissimiles. In eandem sententiam sanctus ille D. Bernhardus haud abs re à nonnullis melliflui cognomen adeptus sic ait: Verus Dei amator, quocunq; se vertit, familiarem admonitionē sui creatoris habet. Rebus pro speculo vtitur, & à creaturis ad creatorem sic cogitans eleuatur: si ista bona, pulcria & dulcia videntur,quæ creata cum tempore mutantur? quid bonitatis,quid pulchritudinis & dulcedinis habebit author eorum Deus?

Quæritur porro num ex omnibus creaturis nostra opinione vel fœdissimis vel minimis,possimus quærere aliquam vtilitatem? Multam certè. Quidam dicebat,se in omnibus creaturis agnoscere & habere,vnde Deum laudaret. Ait ad hæc alter quidam: Quomodo in Bufone potes laudare Deum? Respondit ille: Laudo in hoc,quod non fecit me Deus talem, scilicet Turpem & Venenatum sicut Bufones. Quoniam autem omne præclarum facti decus, crebra memoria in seipso reuiresci,vt ait Val. Max. lib. 4. cap. 8. Exstat de quodā Bubulco exemplum,qui cum humi conspexisset Bufonem, (in histor. Eccles.) subito exclamare & eiulare cœpit: cumque duo Episcopi, qui tum forte hac iter faciebant, eum interrogarent,cur ita Lachrymis indulgeret? Respondit; se illius Bufonis conspectu, suæ erga Deum ingratitudinis commonefactum, q nunquā in vita pro beneficio creationis Deo egisset gratias: Illud adijciens: Cum enim in potestate Dei fuerit me aut hominē,aut tam tetrum aut venenatum animal creare, maluit tamen immensa bonitate, me ad Imaginem suam condere. Hæc iam primū cogitans,cœpi exsecrari meam ingratitudinem,veris lachrymis & gemitu cordis,& in posterū promitto maiore studio me Deo gratias

acturum pro ſummis ipſius beneficijs. Hoc tam pio Bubulci reſponſo obſtupefacti Epiſcopi, ſeſe mutuo contuentes, mirari ſatis hanc hominis indocti vocem non poterant. Tanta ſapientia ſub quam ſordido latuit pallio: ſic ſæpe etiam holitor valde opportuna locutus &c.

Bernhard. de conſiderat. vilitatis humanæ.

Quo diuinum illud γνῶθι σεαυτὸν & hominis cum mundo ſimilitudinẽ ac pene identitatem pulchrius inducamus, & accurata conſideremus delineatione, calamum tabulæ huic aliquantulum adhuc admouebimus, inque hunc, cum Deo, modum.

7. Sunt de eſſentia hominis, quæ ſi conſideraret in æternum nõ peccaret, ſcilicet materia vilis, operatio turpis, exitus flebilis, ſtatus inſtabilis, diſſolutio miſerabilis, damnatio deteſtabilis & conſideratio gloriæ ineffabilis. Microcoſmi humilitas extat Gen. 2. Iob. 10. Pſ. 143. Sap. 7. Eccl. 17. Eſ 41. lac. 1.

Quando ſpiritus totius mundi molem agitat infuſus per omnes artus, Æneid. 6. Sic hominis ſpiritus hominem agitat omnibus ſuis partibus, vt pleriq; totum in toto, & totum in qualibet parte locarint. Sol & Luna clariſſima totius ſunt mundi lumina, de quibus Virg. Vos ô clariſſima mundi lumina labentem cœlo quæ ducitis annum. Vide Præfat. in 2. Tract. Baſilic. noſtræ. Sic oculi bini, clariſſima lumina, quæ labentem indies ætatem illuſtrent, profutura nocituraque iudicent. Seneſcente ætate non minus, quam Sole Lunaque collabentibus, ijſdem occiduis, paulatim vi deficiunt ſua &c. Tellus quodammodo viuit, habetque ſua ſpiramenta, inæquales ventorum flatus, tum frigidos tum calidos, tum putri infeſtâue palude, tum vbere gratoque ſolo exhalatos. Sic ſunt homini ſpiramenta, ſunt anhelitus inæquales item, vt hominis conſtitutionem certo præmonſtrent &c. Terra vapores emittit ſurſum, in pluuiam vertit, leniterque remittit aër. Sic ſtomachi cum cerebro idem eſt fœdus: eo vtrimque rupto, incompoſiti elati vapores peius ruunt, vt alij terram grandine intempeſtiuiſque imbribus: alij corpus calculo, moleſta pituita, diriſq; tumoribus verberent &c. Habet terra latentia occultaq; vitia, quæ inter terræ motus, hiatus, ignes deſinunt. Tali modo ſunt homini ſua morborum genera, quæ in hiatus tabo profluente, quæ in tremorem ac ignes deſinere videntur &c. Habet ſua oſſa terra. Ovid. Magna parens terra eſt, lapides in corpore terræ Oſſa reor dici. Annon quoq; & homo ea habet? quidni vide hoc ſequenti libro cap. 6. de oſſibus.

Sunt terræ montes valleſque ſiluis veſtitæ. Sic in homine Barba comæque in ſiluas abeunt, iuga ſunt humeriq; manuſq;. Quod caput eſt hominis, terræ eſt in monte cacumen &c.

Sunt

Vitæ breuitas extat Iob. 8. & 10. & 16. Pſalm. 38. & 89 & 101. Eccl. 9. & 12. Sap. 2. Eſa. 40. 1. Pet. 1. Microcoſmi miſeria extat Gen. 3. Iob 5. & 7. & 14. Eccl. 3. & 5. Sap. 9. Eccl. 40.

Sunt terræ suæ partes siccissimæ: Ita in homine aliæ alijs exsiccatiores, humentiores aliæ &c. Vide Basilicæ Medicæ cap. quintum: Terra habet Maria, sunt fluminum fluxus & reflux⁹ perpetuo ordine: Est homini mare sanguis circa cor in medio hominis &c. Spiritus domini ferebatur super aquas: Annon spiritus hominis in sanguine habitat. Aqua irrigantur semina in terram iacta: sic irrigantur, fouentur, & nutriuntur sanguine concæpti fœtus. Habet terra pontusque sua ocia. Ouid. Ocia terra ferax, otia pontus habet: Habet & homo. Non enim quisquam potest sine intermissione agere. Etenim quod caret alterna requie, durabile non est &c. Annon ex his sapientissimam creatoris videmus Symmetriã: In humano corpore mirabili quadam ratione, quatuor Elementa miscentur: Venæ tanquam fluuij, in extremas vsque partes diffunduntur: tot sunt sensuum Organa, quot sensibiles in mundo naturæ: Nerui, arteriæ, ligamenta innumera, caput singulari quodam priuilegio in cœlum erectum, manus ad omnes operas aptæ promptæque. Qui instrumentum tantum hoc intueatur, vitæ, sensus, motus expers, profecto ad res magnas statuet. At si paulò post hoc idem corpus, vidente tanquam extra se homine, animetur & vitam recipiat? Exserant tunc sese celeres illi toto corpore motus, faciant officium ambæ manus decenter & varie, sensus verò vires procul explicent suas, nec tamen loco moueantur quicquam: Annon qui hæc conspiciat, extra se futurum putas, & quando Analogiam corporis rudi & indigestæ moli anteferebat, tantò etiam vitam, motum, sensum, corpori illi indita, ipsi prælaturum? Quod si verò tandem animatum corpus introspicere possit, vt vno momento ad extrema terræ perferatur, nec tamen locum mutet, vt ad centrum mundi descendat, ὡς ἀφέστηκεν nihilominus superambulet, vt sexcentis

In homine, inquit Philosophus, nõ solum creatorẽ ipsum, verum etiã vniuersam creaturam deprehendimus. Prouidentia ad dextrè obundũ mundum, in quo naturæ consultum meminere oportet, eum ad naturam bene moueandam quicquam stabile perpetuumque adhibitum negasimul

tur, nisi probe omnia maioris mundi opera cum minore conferre didicerit: Nisi concatenatam pulcherrimam rerum in superiori inferiorique orbe, inter se conspirantium seriem hauserit, & diuina quadam Analogia perpetuo ordini subiecta ad scopum, quem vnice sibi propositum tuetur, collineare nouerit. Posteaquam maioris mundi œconomiam deductis omnibus rationibus probe perscrutatus fuerit, cœlum & terram, & quæ in ijs continentur, familiaria sibi reddiderit, tandem ad minorem mundum conuersus in eodem omnia illa explorat, quæ antea è totius vniuersi Oceano sparsim collegerat, simili plane & ad amussim mundanam recognita Philosophia gubernans singula, tum ad conseruationem, tum ad restitutionem ipsius facientia. &c.

simul locis adsit, vniuersum absq; contactu complectatur, orbem perrepat, nec minus comprehendat, cœlum è terra suspiciat, cœlos tamen cœlorum altissime præteruehatur; annon cogatur fateri, in corpore maius quid corpore, quin & orbe & vniuerso ipso habitare? huc facit illud Ouid. Met. 15.

Mente Deos adijt, & quod natura negauit
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Veruntamen ea ipsa mens, cum in aliqua est cogitatione, commeare videtur ad pectus, & quasi ad secretum aliquod penetrale secedere, vt consilium velut è thesauro recondito eliciat & proferat. Ideoque cum intenti ad cogitandum sumus, & tum mens occupata in altum se abdiderit, neq; audire quę circumsonant, neq, videre quę obstant solemus: Res contemplatione annon per quam digna hæc est ex his sane quam perspicue constat miraculorum omnium maximum esse hominē, qui & vere Lucerna Dei vocatur prov. 20. v. 27. Annon propter Lucem ei cælitus infusam, quia id habet in se Diuini, vt latentes sensus suos perscrutetur, quod Dei proprium est. Sirach. ait 37. v. 18. Animus hominis renuntiare interdum plura solet, quam septem speculatores, sedentes in sublimi specula. Hinc hominis est sapientissimi ac generosissimi, mentem corporis inquinamentis obsitam ad rerum summa diuina sapientia præstabilium, contemplationem totalem erigere: vt quantum vnus inter hæc omnia excel'it, perspiciat, & corporis hisce compagib⁹ licet implicatus, mentis tamen agitatione fiat originis suæ memor & consors diuinitatis. Ex his summa vitæ humanę perfectio, hæc summę sapientiæ Ianua, hæc optima maximeq; Diuina ratio viuendi, qua qui insignes excelsiq; olim fuerunt, ab antiqua & sancta ætate, Dij rite sunt habiti, & vt hodie amplissimis honoribus ac gradib⁹ affecti, tum quod alta admirandaq; sapinntia essent admirabiles, tum quod maxima, immortalia fructuosaque beneficia, non in se solum sed & in proximum contulissent.

Hinc diuina annuente gratia quibusdam animus ardens redditus, adque gloriam accensus inflammatusq; fuit, vnde varia studiorum ac disciplinarum genera, quæ partim necessitate, partim studio cognoscendi, ab antiquis inchoata, & ad posteros translata fuere. Ex sui ipsius cognitione, quorundam animus ad sublimiora impulsus, inq; res diuinas acerrime intentus illas quidem sempiternas, immutabiles separatas,

B. Thom. 1. par. q. 1. art. 10. Theo-

tas, nulloq; sensu compræhensas, secernens, quoad humana fert fragilitas, hinc Theologia (quæ de Deo & diuinis est sermo) seu Deorum (verba sapientum) prodidit. Quando nonnulli concentum Harmoniacũ formamq; eximiam ac pulchritudinem operum naturæ admirati, earumque suauitate correpti ac pellecti, quæ corporibus innixæ, mutabiles, mortalesq; sub sensum cadunt: ortus earum causasq; magnis sudoribus sedulaq; vigilantia perscrutati, naturalem Philosophiã condiderunt. Alij medio contemplationis genere ducti, mathematicas disciplinas exercuerunt, illustres & demonstrandi subtilitate (de Astrorum & Stellarum Regionibus) certissimas.

Quidam in hominum moribus conformandis, & recte viuendi instituto omne collocarunt studium, ij aditum fecere ad moralem Facultatem, & ad Ciuilem seu Oeconomicam, quæ moderatrice sapientia administrantur. His rerum gestarum memoria & antiquitatis commemoratio accedit Historia: Et Geographia, locorum gentiumque descriptio. Ut animi sensa exprimeretur locutio, Grammatica inuenta, quæ emendate loquendi ars est: Poesis Numeris adstricta est: Arithmetica in subducendis calculis subsistit: Rhetorica ornate copioseque dicendi doctrina est: Musicam artem bene canendi vocarunt, & Dialecticam, quæ bene differendi Ratio. Hinc Iustitiæ ac Veritatis Fundamentum ipsa Iurisprudentia tenet. Sic naturæ cognitionem, rationem atque explicationem docebit Physica: Ad Ædificiorum Extructionem Architectura inuenta & exculta est. Alij innumeri artes suas hominũ commodis aptant, quales sunt Aurifices, Fabri, Textores, Sutores, Lanij, Pictores, Coci, Librarij &c. Hinc quidam artes suas ad hominum delitias atque voluptatem accommodarunt, verum prorsus sordidæ, ac minus ingenuæ: Tales sunt Piscatores, Venatores, Histriones, Saltatores, Aucupes, Lenones, Tibicines, Gladiatores, Aleatores, Scurræ, & id genus alij.

logia est doctrina necessaria homini præter scientias naturaliter inuentas ab eo. Hugo. O felicia antiquorum tempora! in quibus ipsi Imperatores munidum regentes seipsos Philosophiæ dederunt, vt patuit de Alexandro Magn. de Iulio Cæsare, de Ptolom. Rege. Cuiuslibet enim regni

Hæc *gloria crescit in immensum, quamdiu artium liberalium studia in ipso floruerunt. Victoria enim militiæ, & gloria, & Philosophia simul creuerunt. Et merito, quia Philosophia vera docet iuste & recte regnare. Per me enim reges regnant, ait sapientia. Cic. lib. 1. offic. Quid est per Deos optabilius sapientia? quid præstabilius? Quid homine dignius? hanc qui expetunt Philosophi nominantur, nec quicquam aliud est Philosophia, quam studium sapientiæ: Sapientia autem est rerum diuinarum humanarumque causarumque, quibus eæ res continentur scientia.*

Luc. Apul. de dogmate Platonis: Considerranti mihi sæpe alias virtutes: Indagatrix, expultrixque vitiorum, diuinarum particeps rerum Philosophia videbatur, & num maxime cum naturæ increpatione cum remotarum ab oculis rerũ inuestigationem sibi vendicet. Nam cum cæteri magnitudine rei territi, eiusmodi laborẽ arduum & profundum existimarent, sola Philosophia suum non despexit ingenium, nec indignam se existimauit, cui diuinarum humanarumque rerum disceptatio deferatur. Quid enim mundo præstantius? Lauda quam putas speciem, portio à te laudabitur mundi.

Hæc sunt Philosophiæ (matris bonarum artium) studia, hæc cognitæ prudentiæ, artiumque discrimina, summaque disciplinarum genera, quæ tum diuersa mentis agitatio, tum rerum varietas disiunxit. Hoc vero inde scrutari licet, quam sit ars vnaquæque vel disciplina præstantior atque illustrior, quantoque dignitatis splendore aliæ alijs excellentia præluceant, sapientiaque superentur. Deorum cælestiumque animorum actio præstantissima sententijs omnium iudicatur (inquit antiquus Philosophus) & quod in rerum optimarum contemplationem penitus incumbat, Beluarum vero (vitæ necessitati inseruiens, voluptatibusque suffocata) vilis ac obscæna. Hæc ad humanas si transferimus actiones nobilissima summeque liberalis & ingenua videbitur hominis microcosmi contemplatio, omneque genus Philosophiæ præclarum: è contra illiberalis & sordida omnis opificum industria, quorum labor & opus, ardua vis animi non censeatur. Ars autem inter hæc consedit, quæ suo genere, tanto digniore quæque loco ponetur, quanto animum sublimiore contemplatione præter cæteras excolit, per quam intelligentiores sapientioresque sumus ac meremur appellari: idque maxime si illa non odium, hominumque offensionem (inprimis Deum) affectet, sed haud mediocriter frugifera sit & fructuosa, cum alijs omnibus tum ipsi quoque artifici. Artes singulæ nomen suum sortiuntur à virtute, ἀπὸ τῆς ἀρετῆς inde & veteres artem pro virtute appellarunt, hinc excludimus obscœnas & viles, & meritò, quia, quod non fit secundum virtutem, recte se non habet, secundum mentem Philosophorum.

Quænam igitur inter artes videbitur principatum ac prædominium obtinere, cuius adminiculo vitam possimus agere beatam, diuinam, piam ac tranquillam: Nazianzenus dicit: Absque vlla dubitatione, cognitio naturæ ac partium eius, est Dux ad agnitionem opificis Dei, ostendens eius sapientiam, potentiam ac bonitatem, simulque ad admirationem ac prædicationem illius, tanquam tacitus præco nos inuitans. Quid ait diuus Apostolus Paulus? tam prope adesse Deum, pene

Aristot. lib. 6. metaphys. Philosophus siue sapiens naturaliter est virtuosus, secundum omnes species virtutum moralium, quæ sunt: iustitia, castitas, liberalitas & similia.

pene vt manibus prehendi & contrectari possit. Demonstrant sane hæc expressa vestigia atque indicia Diuinitatis in natura extare, quæ tantam demonstrant & docent viam, vt rerum naturam inquiramus eamque sequamur ducem ad agnitionem Dei, confirmandamque in animis religionem. Plato in Phœdr. dicit: Naturæ scientiam pernecessariam est illi, qui cupit euadere dissertus. Crollius dicit: Solam veram sapientiam ac Beatitudinem consistere in cognitione creatoris ac naturæ. Cicer. dicit eos Philosophos esse iustos, qui in inquirenda rerũ natura studium ponant omissis alijs vitę ac ciuitatum negotijs. Arist. 7. Ethic. cap. 14. ait: Παύτα φύσει ἔχει πίθεσιν. Marco Tullio sola naturæ cognitio contemplatioque arridet. Menander canit:

Ἡ δῶσα πάντα, καὶ κομίζουσα φύσις.
Quæ dat omnia & colligit natura
Ἡ φύσις ἁπάντων τῶν διδαγμάτων κρατεῖ.
Natura omnibus Doctrinis imperat
Ἡ φύσις ἑκάστου γλυκεῖα πατρίς.
Natura vnicuiusque enim generis est patria.

Bernh. in Cantic. Serm. 83. ait: Naturæ industria nunquam in nobis dormiret, grande profecto in nobis donum natura ipsa est. Boeth. de consol. lib. 3. Dat cuique natura quod conuenit: & ne (dum manere possunt) intereant, laborat. Hugo ait: Natura creatrix est quædam vis & potentia diuinitus rebus insita, alia ex alijs in suo genere producens. Cassiod. Epist. 38. lib. 4. Repugnante natura quælibet cedit industria. B. Thom. 1. part. q. 29. art. 1. Natura facit omnia nasci. Zeno lib. 2. de nat. Deorum naturam definit, ignem artificiosum, ad gignendum progredientem via. Horat. in arte Poet.

Tu nihil inuita dices, facieſque minerua.
Format enim natura nos intus ad omnem
Fortunarum habitum, iuuat, aut impellit ad iram &c.

D. Basilius: Natura nihil patitur imperfectum. Philo: Iud. in lib. de Cherubim: Quemadmodum omnis aqua suapte natura quieta est, quoties secundus ventus à puppi adspirat, omni rudente modo, plenis

Omnes natura duce vehimur 1. de nat. deor. homo naturæ obediens, homini nocere non potest. 3. offic. Naturam Ducem ſi ſequamur, nunquam aberrabimus. offic. Omnia quæ ſecundum naturam ſunt, habenda ſunt in bonis Cato maior. Idem ille: Nihil eſt aliud gigantium more pugnare cũ Dijs, quam naturæ repugnare. Si tales nos velis natura genuiſſet, vt eam ipſam intueri & perſpicere, eaque optima duce curſum vitæ conficere poſſemus: haud erat ſane quod quiſquam rationem ac doctrinam requireret, cum natura ſufficeret. Nunc vero nobis dedit paruulos igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque

deprauatis ſic reſtinguimus, vt nuſquã naturæ lumẽ appareat. Sunt n. ingenijs noſtris ſeminæ innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatã vitam natura perduceret. 3. Tuſc.

velis naues in portum inferuntur: quoties autem repente aduersus à prora incumbit, multam iactationem ac strepitum excitat, interdum etiam subuertit nauigium: & tamen innoxio mari crimen hoc ingeritur, cum satis appareat, remissione vehementiaque ventorum aut fluctus aut tranquillitatem fieri: Ita natura quæ rationem auxiliatricem habet, quieta quidem per se, eumque fœlicem merito reddit, qui contra omnes Impp. potest bene vti.

Laert. lib. 5. c. 1. Aristoteles tria ad solidam parandam sapientiam præcipue necessaria esse dicebat, naturam, doctrinam, & exercitationem. Invita enim minerua, & ingenio refragante, frustra etiã in minimis laborabis. Natura nihil facit temere Scal. Exerc. 77. sec. 5. Natura facit quod optimum Scal. Exercit. 249. sect 2. Naturæ scientia omni Medico necessaria Hippo. de veteri Medicina. Ea est corporum sapientissima. Hippo. de arte.

Senec. de benefic. Tenenda est via, quam natura præscripsit, nec ab illa declinandum: Illam sequentibus, omnia facilia & expedita sunt: Contra illam viuentibus non alia vita est, quam contra aquam nauigantibus. Idem dicit insita sunt omnium artium nobis semina, magisterque ex occulto Deus producit. Ingenia, natura, inquit hoc mihi præstat, non intelligis te, cum dicis, mutare nomen Deo. Quid enim est aliud natura quam Deus, & Diuina ratio, toti mundo, partibusque eius inserta? Ergo nihil agis, ingratissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturæ: quia nihil natura sine Deo est, nec Deus sine natura: sed idem est vterque nec distant officio. Plutarchus in moralibus: Qui de natura quæritur, quod quædam genuerit Homini noxia, dissimulatis tot bonis, perinde facit ac si quis Nilum calumnietur alioqui frugiferum Ægypto, quod Crocodilum habeat, aut aspidem: nec postea velit frui prognatis frugibus, sed tantum quæratur de venenis, quæ nutrit. Aut si quis in copiosa oratoris oratione, quæ multis exuberet virtutibus, de pauculis voculis temere elapsis cauilletur.

Verum enimverò, si omnes omnium artium commoditates, Facultates, atque copias dispiciamus, nihil Medicina (quæ Dei ac naturæ ministra) optabilius, præstantius, nihil hominum generi datum præstabilius atque iucundius. Si enim vita cunctis mortalibus charissima, si Lux ea cum primis expetenda, in qua viuimus, spiramus, & iucunda consuetudine inter nos coniungimur, si ea primum est præstantissimum munus animantibus attributum; Ars quæ illam seruat, continet ac tuetur, quo pacto non sit omnium præstantissima? Quid ea potest homini magis in votis esse, quæ infestissimos humani generis hostes, morbos (inquam) & aduersam valetudinem propulsat: vt cor-

vt corporis firma constitutione, nullæ opes, nullæ fortunæ ampliores, sic imbecilla & labante illa nihil laboriosius, nihil calamitosius.

Hoc Antiquissimorum Philosophorum studium, à Lumine naturæ singulari Dei inspiratione datum, admirandam & infinitam Creatoris nostri potentiam, incomprehensibilemque demonstrat sapientiam, omnibus creaturis communicatam, omnium etiam mysteriorum ineffabilium omnipotentem infinitatem prædicat. *Medicina Donum Dei Altissimi, non ab Ethnicis, sed à suprema vniuersitatis vnico Recto re solo videlicet Deo, dierum antiquissimo & errare nescio, lumine patre, data sapientia.*

Annon Medicina cæli demonstrat matrimonium cum his inferioribus, ordinemque ac seriem Diuinæ prouidentiæ rerumque omnium quæ in tota vniuersitate consistunt, gradaria, concatenatamque sympathiam decantat: Hæc societatem & vicissitudinem superiorum & inferiorum mutuo inter se fouentium docet. Hinc inde Annuli Platonici, & Catena Homerica, naturæ abstrusa in intimis, Philosophia clara luce aperta.

In hac elucet maxima Concordantia & cognatio cum cœlesti Astronomia, quod illa Parens Magistra ac Domina superiorum, hæc verò inferiorum ratio, veraque Imago existat. Sic natura hominis nihil aliud est, quam sui ipsius Medicus & Medicina, morbum morbique originem ostendens: Hinc Crollius dicit, Medicus necesse est vt ex natura crescat, quia in ipso, ab ipso, ex ipso nil est, nisi ex natura, Medicum instruit natura non homo. Recte ab Herophilo dicta sunt: Medicus solum minister naturæ est, non Dominus cui paret, non imperat, seruitio non mandato, Medicamentorum, quasi instrumentorum; quæ aliquando Deorum manus, si bene, aliquando nihil si secus vsurpentur. *Quid est iucundus, honestius, pulchrius, q̃ in hoc immundo mũdo contentiosa quadam immortaque animi perseuerantia ea consectari,*

Hippocrates Medicinam pro Numine colere iubet, vt quæ præclara ac nobili contemplatione rerum plurimarum naturas persequatur atque perueftiget, quæque admirabilem hominis fabricam naturamque explicet & euoluat, rerumque cunctarum ortus & occasus ipsamque omnium ex Elementis compositionem, animalium, stirpiumque proprias vires inquirat ac paret, imo & quæcunque ex terræ faucibus eruuntur scrutetur, inde etiam cœlorum ac syderum conuersiones, *quæ ad tu-*

tius conseruandam citiusq; reddendam à morbis, & calamitatibus immunem vitam nostram, non nisi Deum ipsum lumenq; naturæ authores habent.

siones,& quæ inde fluunt, dimanantq; virtutes orbis inferioris, moderatrices obseruet.

Medicus nasci debet,inquit Crollius,nasci debet è Lumine gratiæ ac naturæ ab interno & inuisibili homine,interno Angelo Luce naturæ,quæ instar veri Doctoris homines instruit,prout spiritus sanctus Apostolos linguis instruxit igneis: producitur autem in Lucem & confirmatur exercendo,non humana sed Dei & naturę Institutione stabilitur,& fundata est non supra figmenta humanam,sed supra naturam,quam Deus sancto suo digito sublunaribus, vt animalibus, vegetabilibus mineralibus & metallis,impressione sua omnipotenti indidit, & sic verum fundamentum Medicinæ Deus est, non Academici libri, sed mera gratia, nihilque aliud quam creata & incarnata misericordia à Patre cœlesti,egentibus & ærumnosis mortalibus erogata, vt patiens sensibiliter videat & experiatur benignum erga se in Afflictionibus suis, creatoris sui amorem, misericordiam & auxilium,sicque Deus in mirabilibus suis glorificetur.Hinc & concludimus Medicum à Theologia alienum esse non posse,quia Deus ipsum eiusque Medicinam creauit Eccles.38. v.1. &c. Medico honos tribuendus eodem cap. Locus dandus v.12. Et Lucas Medicus cum esset, nihilominus Theologiæ studium perdidicit. ἀσθενεῖ τις (inquit D.Iacobus) ἐν ὑμῖν: προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ' αὐτὸν ἀλείψαντες αὐτὸν, ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου, καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος, κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκώς, ἀφεθήσεται αὐτῷ. Ex quibus verbis morborum causam & curationem accipimus. Causa morborum peccatum est, quam & prophetæ referunt: propter peccata aiunt, nostra patimur,& Deus est qui nos vulnerat,ac medetur,percutit,& manus eius iterum sanat.Sic Giezi lepra in sempiternum percussus est ob peccatum. Et cum Christus hominem illum qui triginta & octo annos decubuisset, sanitati restitueret, dominus,& morbi

Iacob.5. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eũ

si in peccatis sit,remittentur ei.Matt.25.Infirmus eram & visitastis me.Eccles.38. In requie mortui requiescere fac memoriam eius,& consolabere illum in exitu spiritus sui.Eccl.31. Infirmitas grauis sobriam facit animam. 2.Cor.12. Virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis,vt inhabitet in me virtus Christi Eccl.38. Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum,sed ora dominum,& ipse curabit te. Prouerb.20. Liuor vulneris absterget mala.Eccles.18 ante languorem adhibe Medicinam: & ante iudicium interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem. Eccl.30. Melior est mors amara, & requies æterna,quam languor perseuerans.

morbi eandem causam adijcit, dicens: ἴδε ὑγιὴς γέγονας, μηκέτι ἁμάρτανε, ἵνα μὴ χεῖρον τί σοι γένηται. Curatio hinc morborum triplex cernitur, pœnitentia, medium seu res externa & inuocatio. Nam Medicus ægrotum, recte curaturus ad peccati commissi pœnitentiam reducat: Deinde Medicamenta à Deo de terra procreata accommodet, postremo in nomine Iesu preces ad Deum fundat pro ægrotantium salute & remediorum suarum q; curationum benedictione Diuina.

Medicus spiritualis: Esa. 61. Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me Dominus. Ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde. Matt. 9. Non est opus valentibus medico, sed male habentibus Luc. 4. Utiq; dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum. Luc. 5. Non egent, qui sani sunt, Medico: sed qui male habent. Medicus corporalis: Eccles. 10. Languor prolixior grauat Medicum. Breuem languorem præcidit Medicus. Eccles. 38. Honora Medicum propter necessitatem: Dominus enim eius author est. Nam omnis Medicina manat ab altissimo. Idem: Disciplina Medici exaltabit caput illi⁹, & in conspectu magnatorum collaudabitur. Altissimus de terra procreauit Medicamenta, nec abhorrebit illa vir sapiens. Ad agnitionem hominum virtus illorum. In his curans mitigabit dolorem. Eccles. 37. In multis escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsq; ad choleram. Qui autem abstinens est, adijciet sibi vitam. Gregor. super illud Lucæ 12. Beatus seruus, quem cum venerit Dominus. Venit Dominus, quum ad iudicandum properat. Pulsat vero, quum per ægritudinis molestias mortem vicinam denuntiat, cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Hugo lib. 1. de claustro animæ: Qui dolorẽ capitis non patimur benigne, quomodo pro Christo capitis abscissionem pateremur? Qui flagellũ timent, quomodo tormenta sustinerent. Idem lib. de anima: Quosdã præsciens Deus multa peccare posse, flagellat cor infirmitate corporis, ne peccent, vt eis vtilius sit frangi languoribus ad salutem, q̃ remanere incolumes ad damnationem. Hieronym. in quadã Epistola: Corporis debilitas nimia etiam vires animæ frangit, mentis quoque ingenium marcescere facit; quicquid cum modo & temperamento fit salutare est. Plutarch. in Apoph. regum, & Eras. Antigonus à graui morbo postquam conualuerat: Nihilo prius est, inquit, si quidẽ hic morb. submonuit nos, ne animo effe-rarum, quũ simus mortales. Quis docuerat Ethnicũ Regẽ Philosophiã Christiano dignam animo? Deplorabant amici ceu magnum malum,

Exempla Ægritudinis: Ægyptij, Exod. 9.v.10. pestilentia ob peccatum Davidis immissa 2. Sā. 24.v.15. Giezi. 2. Regum 5.v. 27. Lepra Oziæ cœlitus inflicta. 2. Reg. 21.v. 18.19. Vlcera quibus percussus fuit David, Psal. 38.v.6. Paralyticus, Matt. 9.v.2. Homo triginta octo annos infirmus. Ioan. 5.v.5. Corinthij 1. Cor. 11.v. 29.30. Extraordinarius morbus Ionæ ob idololatriam 2. Paral. 21.v.19.

quod tam grauiter ægrotasset: ille interpretatus est, ex morbo plus accessisse boni, quam mali. Corpus extenuarat, sed animum reddidit modestiorem: Corporis robori nonnihil detraxerat, sed animo detraxit insolentiam, morbum longe periculosissimum. Proinde non pessime res habet quum leuior morbus arcet pellitve maiorem.

Brusonius lib. 4. cap. 15. ex Plutarcho. Itamus, quum apud Antigonum militaret, corporis aduersa valetudine laborans, rogatus à Rege palloris causam, ægritudinem incognitam causatus est. Rex verò animi magnificentia ductus, iubet remedia adhiberi ad eum sanandum. Restitutus igitur sanitati miles, postea omnia mortis pericula vitabat. Rogatus verò à Rege mutationis causam, ait: O Rex, tu me minus audacem fecisti, quod ijs malis me vindicasti: quibus vita à me mea contemptui habebatur. Sensit miles, ægritudinem hominibus in eo prodesse, vt omnia fortunæ bona, & ipsam etiam vitam miseram & ærumnosam contemnant, qua cum sani sumus, in nostram perniciem abutimur.

Ælianus de lib. 9. var. hist. Anaxarchus ridebat Alexandrum quod se ipsum Deum faceret: cum autem aliquando in morbum incidisset Alexander, & ei Medicus sorbitionem imperaret fieri, ridens Anaxarchus, inquit: At nostro Deo spes omnis in sorbillatione patellæ posita est. Irridet Philosophus Alexandrum Regem, qui ob fortunam propitiam & res tam feliciter gestas, Deum se esse putabat. At ostendunt humanæ vitæ miseriæ & incommoda, quæ indies nos circumueniunt, nos homines esse fragiles: quo fit, vt admoneamur subinde ne ex hominibus nos Deos esse fingamus, nullis malis obnoxios. Æneas Syluius lib. 2. commentar. de rebus gestis Alphonsi. Theodoricus Colonienſis Ecclesiæ Pontifex, religiosa vita tum etiam prudentia & authoritate inter Electores Imperij facile princeps, quærenti Sigismundo Cæsari, quonam pacto felicitatem consequi posset? inter mortales, ait, frustra requiris. Petenti rursum, ad cœlestem illam quo itinere pergeret? Recta, inquit. Instanti tertio quid agens recta

Infirmitatis exempla sunt etiam: Moses, Num. 11.v.22. Gedeon, Iud. 6.v.13. &c. Petrus Matt. 14.v 30.31. Discipuli Matt. 8.v.26. & 26. v.56. Marc. 14.v.15. Ioan. 11.v. 6. Nicodemus. Ioh. 3.v.2. Pater Dæmoniaci, Matt. 9.v.24. Multi principes. Ioan. 12.v.42. Ioseph Arimathæus Ioan. 19.v.38.

recta vaderet? si vitam tuam ita instituëris, duxerisque, inquit, vt factum te promisisti, dum Calculus, aut Podagra, siue alia valetudo adversa acrius te oppressit. Docuit autem morbum monere nos ad capessendam meliorem vitam. Possent quidem non solum ex sacris, verum etiam ex patribus, Philosophis, Medicis & alijs, infirmitatum & ægritudinum causæ adduci innumerabiles, sed hoc loco propositi nostri non est, paucis his, tantum probare voluimus Medicum absque Theologiæ orthodoxæ cognitione, esse Medicum imperfectum ac pium &c. de his alibi pluribus.

Verum quando vulgo sed impie dicitur, Medicus impune necat, inde & Iurisprudentia Medicis haud omnino ignara esse debet, quæ monet alios non lædere, & tribuere quod suum propriumque est vnicuique, tam pauperibus quam diuitibus corpore male habentibus. Caueant itaque veri Medici, ne ipsis obijciatur, quod moriturus Imperator Adrianus dictabat, Turba Medicorum me perdidit. Dixerat vero hoc scoma in Imperitos Medicos, quales sunt hodie Nugiuendi, Veteratores, Iudæi, Superstitiosi, παρακτεμάστροι, ἐξορκισαὶ, ψευδοχυμίαι, ἀφυσιόποι, ἄσοφοι, ἄθεοι, & alij qui falso titulo Medicinæ hominibus imponunt, quos ex Iure omni merito damnamus (vide Præfat. Iatrochymiæ nostræ) & fugimus. Contra hos συκοφάντας, Tergiversatores, omnemque in medendis morbis difficultatem & nocumentum, nos tam ægrorum infirmitati, quam Medicorum curæ, summo studio & assiduitate ingenti consulere statuimus. Inde & Medicum decet esse Ethicum, vt Hippocratis exemplo & iuramento bonis moribus, vitæ honestate virtutibus excultus cum ægris conuersetur: ne vitiosus vitiosum curet, & vitia vitijs addantur. Licet enim ex naturæ lumine & lege omnia sua quodammodo possideat Medicus, tamen vt pie, Artificiose, vere, non impie, non confuse non oscitanter aut falsè, sed prudenter, pure, dilucide, non barbare, obscure &c. quæ sunt luminis naturæ, tractet, operetur & proferat, summe necessarium est: Inque his summa fundamenta Medicinæ veluti anchora tenens nauium, posita & locata sunt. Quemadmodum olim, qui ad præclarissima Romanorum familias Scipiones, Lælios, Lucullos, Catones ob nominis celebritatem & immensas opes, Regum & Prin-

Is solus Philosophus seu verus naturæ consultus Medicus dicetur, qui posteaquam ab omnibus adminiculis ingenij, doctrinæ & artis affatim instructus fuerit, naturam bene mouere, hoc est, bene medendi didicerit.

Cur enim sæpe multos Medicos Medicina fallit? quia pauci norunt bene mederi, cum medendi ars non opinione, sed bene mouendo naturam perficiatur obsoluaturq;. Naturam autem mouere solius Philosophi seu naturæ consulti medici est.

Principum nostrorum diuitias & magnificentiam æquantes, aditum sibi exoptabant, seruos Atrienses prius adire, & ab ijs non tantum stemmata, virorum fortium imagines, resque gestas, sed totius familiæ vniuersam rationem videndi sigillatim edisscere consueuerant: Ita qui naturæ maiestatem affectant, primo seruos Atrienses sapientiæ, organa doctrinæ, prudentiæ manus, ciuilioris vitæ claues, hoc est artes ingenuas, adire, inque earum familiaritatem insinuare se debent, vt in sacrosanctum naturæ Apollinis templum celerius faciliusque intromittantur: Ratione siquidem & oratione, sapientia, diuino instructi cultu, quod summum maximumque, & eloquentia, numero, & mensura recte vti, non exiguum momentum confert ad abstrusissima naturæ arcana eruenda.

Ut Medicus, tanquam summum requisitum, cœli faciem, Astrorum ortus atque occasus, eorumque vires, naturas, proprietates, influxus & refluxus intelligat, Astronomum eum esse conuenit. Astrologum etiam desiderat Medicina, quoniam ea ex Stellarum & Planetarum naturis nouit morbos, morborum causas, τας κρίσιας, indicationes, euentus, curationes, Medicamentorum administrationes, venarum sectiones, scarificandi rationes & modum, atque alia quæ ex cœli stellarumq; natura & clementia dependent. At grammaticum etiam, vtique & omnium artium Magistrum, desiderat Medicina, qui recte loqui cum ægrotis, medicamentaque recte præscribere possit. Quantum enim orationis genus obscurum barbariei & periculi adferat, non in cæteris tantum artibus, sed in Medicinæ etiam scientia clarum est: in qua hominis vita agitur.

Dialecticum etiam expostulat, qui rite Medicinæ vocabula eiusque res exponat, partes enumeret, ac argumentis omnia ægrotantibus probet, aut improbet. Rhetorem requirit, qui exornato & suaui orationis genere ægros ad hoc ad illud commoueat ac persuadeat. Insuper & Arithmeticum vult, qui certam numerandi disciplinam, tam ad notitiam pulsuum, quam ad Medicamentorum proportionem & quantitatem numeris comprehensam accommodet. Et Musica Medicinæ socia est, nam eius dulcedine, corpora Melancholica & alia morbis affecta, vegeta redduntur & separantur. Macrob. lib. 2. de somno Scipionis his verbis laudat Musicam. Omnis habitus animi cantibus gubernatur: nam dat cantus somnos adimitque, nec non

curas,

curas, & immittit & retrahit, iram suggerit, clementiam suadet, corporum quoque morbis medetur. Hinc est, quod ægris remedia præstantes præcinere dicuntur. Ecquid mirum, si inter homines tanta Musicæ Dominatio est, cum aues quoque velut Luscinię & Cygni, aliæve id genus, cantum veluti quadam disciplina suæ artis exerceant. Nonnullæ verò aues, vel terrenæ, vel aquatiles beluæ inuitante cantu, in retia sponte decurrunt. Iure igitur Musica capitur omne quod viuit: quia cœlestis est anima, qua animatur vniuersitas, originem sumpsit ex Musica. Mortuos quoque ad sepulturam prosequi cum cantu oportere, plurimarum gentium & regionum instituta sanxerunt, persuasione hac post corpus animæ ad Originem dulcedinis Musicæ, id est, ad cœlum redire creduntur.

Hier. Phaletus Sauonensis de Laude Musicæ.

Musica Turbatas animas ægrumq; dolorem
Sola leuat merito diuumq; hominumq; voluptas:
Quæ sine nil iucundum animis, nec amabile quiquam.
Ad cuius numeros superi vertuntur, & orbis,
Et cœlo radiant ignes, quibus emicat ingens
Signifer, & leges, præscriptaq; tempora seruant:
Hac phœbus, Phœbiq; soror, duce, & aurea cœli
Astra suos agitans constanti fœdere motus.

Ioseph. l. 6. c. 9. antiq. Iudaic. Dauid ad Saulum recenti dæmonum incursu exagitatum accersitus est, vt cantu demulceret æstuantem mentis furorem, id quod præstitit: Nam quoties in morbum incidit Saul, stans Dauid ad caput, cum sacros hymnos voce & fidibus ceciniſſet, ad sanam mentem reductus est.

Medicinæ etiam coniuncta est Geographia, quæ ostendit variorum gentium & locorum naturas, situs, aerem, ventos, homines, morbos, simplicia, stirpes, arbores, herbas, folia, flores, fructus, ramos, surculos, radices, succos, liquores, gummi, resinas, cortices, stipites, ligna, semina, animalia eorumque partes: metalla, mineralia, Lapides, gemmas, terras, maria, aquas, sales, succina, spongias, bitumina &c. quę pro sua temperie, quam ex regione conceperunt, caute ac bene à Medicis complicentur & coaptentur nostratium hominum corporibus.

Adhæc postremo Physicus sit Medicus oportet, qui diligenter consideret res naturales, non naturales, & quæ sunt præter naturam.

Roterodamus in simi libus: Vt quidam magnetes ferrum attrahunt, ac theamedes quæ in Æthiopia nascitur, ferrum abigit, respuitque: Ita est Musices genus, quod sedet affectus, est quod incitet. Musica olim Diuinis Laudibus adhibita.

2. Sam. 6. v. 5. 1. Paral. 3. v. 8. & 15. v. 16. & 25. v. 1. 2. Paral. 5. v. 12. & 32. v. 28. & 29. Ps. 43. v. 25. & 57. v. 4. & 71. v. 9. & 81. v. 22. & 92. v. 3. & 98. v. 4.

v.5.& 108. *v.3.& 144.* *v.9.& 147.* *v.7.& 149.* *v.3.& 150.* *v.34. Eius abusus tollitur 1.Cor. 4.v.12.* *In summa naturæ consultus hoc operabitur & præstabit: Vniuersam totius naturæ tam superiorum quam inferiorum Harmoniã indefesso studio contemplabitur: In ipsius mundi censum descendet;*

Naturales quidem, vt quæ corpus humanum constituunt, sunt 1. Elementa: Ignis, aer, aqua, terra. 2. Temperamenta: Calidum, humidum, frigidum & siccum: Quibus annumerantur qualitates ac temperies veris, æstatis, autumni, hyemis; Ætatum, locorum, regionum, terræ situum; Ventorum, aquarum, astrorum, visibilium, olfactilium, gustatilium & tactilium. 3. Humores: sanguis, pituita, bilis flaua & atra. 4. Partes humani corporis, caro, os, membrana, neruus, vena, arteria, manus, pes, caput, cerebrum, cor, iecur, testes, aliæque minutissimæ partes. 5. Spiritus, qui aut animales, vitales aut naturales. 6. Sunt facultates, attractrix, retentrix, concoctrix & expultrix, & denique functiones, vt visus, auditus, odoratus, gustus, generatio, nutritio, concoctio respiratio &c.

Res non naturales sunt, quæ hominis naturam & sanitatem destruunt, alterant ac corrumpunt: Tales sunt aeris essentia, qualitas, mutatio: Cibi ac potus bonitas, quantitas, qualitas, consuetudo, delectatio, ordo, tempus, hora acceptorum & modus: Somnus ac Vigilia: Quies ac motus: Perturbationes animi atque affectus: Retentiones & excretiones seu euacuationes, phlebotomia, pharmaca, vomitus, scarificatio, balneum, exercitium, frictio, inedia, vrina, sudor, sputum, fluxus sanguinis, menses, hæmorrhoides, coitus &c.

Res præter naturam in Medici cognitionem recidentes, morborum sunt omnia genera, & interna, & externa: Capitis, cerebri, oculorum, aurium, narium, faciei, dentium, oris, pectoris, pulmonis, cordis, ventriculi, epatis, lienis, inteſtinorum, renum, vesicæ, genitalium, vteri, articulorum, pedum, cutis & Febres trecentæ. Morborum item nomina, signa, symptomata, curationes διαγνωστικὴ, φαρμακευτικὴ & χειρουργικὴ certæ, & ratione & experimento comprobatæ &c. de his in sequentibus.

Sed

In toto orbe viuet; cœli monumenta perrumpet; Maria transvolet; Siderum cursus numerosq; colliget; Elementorum dispositiones, tempestatum vicissitudines, generationum & transplantationum leges, naturam mundanam continentes, ac conseruantes sedulo inquiret: Impressiones præterea in sublimi factas, cometarum origines, ventorum, tonitruum, fulminum, pluuiarum, roris, pruinæ, niuis origines explorabit: Oceani æstus & reciprocationes: terrarum diuersitates, plantarum discrimina, metallorum, mineralium, ortus, progressiones & separationes, animaliumq; ac vegetabilium naturas ac regna inuestigabit &c.

Sed quomodo Medicus principia & demonstrationum fundamenta, à naturæ consideratione & auspicetur, intelligendum est: Assumit Medicus à Physico corpus humanum, principia, causas & accidentia eiusdem; sed differunt ab inuicem, quod Physicus ea absolute vt entia naturalia sunt, tantum contempletur; Medicus vero eatenus tantum cognoscat, quatenus inseruiunt ad morbos pellendos, sanitatemque conseruandam, vt testatur Galen: de san. ad Thrasyb. cap. 28. 29. &c.

Ex his iam enumeratis videre est, Medicinam veram totius naturæ esse mumiam, Nucleum atque Thesaurum, sub qua non minime virtutes, vegetabilium, mineralium atque animalium Balsamicæ latitant, quorum potestate (Deo Mediante) omnium morborum curationes absolui possunt, si debita ac legitima methodo ordinata ac præparata, puraq; ab impuris separata, legeque methodica conuenienter imbecilli, languenti ac prostratæ naturæ humanæ à pie docto administrentur Medico. Fernelius dicit tanta rerum cognitione præcellit Medicina, vt omnium quæ mundus complexu suo coercet naturam atque vires solerter consequatur, quas demum ad vnius hominis (cuius præcipua illa cura est) commoda salutemque referat, vt illorum vsu & appulsu integram corporis valetudinem conseruet, aduersam depellat &c.

Hic subsistemus de Laude Microcosmi, Naturæ ac Medicinæ necessitate, faciemusque explicationis initium de Medicina antiquorum, Hypocratica siue Galenica, præmissis his, quæ in Medicinæ Studioso ab antiquis requirantur ac necessaria sint. *Didasc. Hugo lib. 1. Tria sunt, quæ præcipue studijs legentium obesse solent: Negligentia est, quando ea quæ discenda sunt, vel prorsus prætermittimus, vel minus studiose discimus: Imprudentia est quando congruum ordinem in his, quæ discimus, non seruamus. Fortuna est, in euentu casuum, siue naturaliter contingente: quando vel paupertate vel infirmitate, vel naturali tarditate siue etiam Doctorum raritate, à proposito nostro retrahimur. In his autem tribus de primo, id est negligentia, Lector est admonendus, de secundo vero, id est prudentia instruendus, de tertio, id est, fortuna adiuuandus.*

Hippocrates in lege, requirit in eo, qui se Æsculapio deuouit.
1. Naturam. 2. Locum studijs aptum. 3. Industriam. 4. Tempus.
5. Doctrinam. 6. Institutionem à Puero.

Hug. lib. 3. Didasc. ait: Tria sunt studentibus Necessaria: Natura, exercitium, disciplina. In natura consideratur, vt facile audita percipiat, & percepta firmiter retineat. In exercitio, vt labore & sedulitate naturalem sensum excolat. In Disciplina, vt laudabiliter viuens, mores cum scientia componat. Ab alijs nouem itineris duces recensentur, quibus indigere videantur, ij, qui Asperum Musarum iter ingredi cupidi sunt: Horum tres esse in cælo, tres in animo, tres in terra, In Cœlo 1. Mercurius, qui impellit vt inuestigando Musarum iter aggrediamur. 2. Phœbus, qui & quærentes animos, & res quæsitas splendore vberrimo sic illustrat, vt perspicue, quod quærebatur à nobis inueniatur. 3. Venus, quæ almis lætisque radijs suis rem omnem adeo condit & ornat, vt quicquid instigante Mercurio quæsitum fuit, & monstrante phœbo in ventum; mirifica quadam & salutari venustate Veneris circumfusum delectet semper & prosit. In Animo 1. Voluntas ardens & stabilis. 2. Acumen ingenij. 3. Memoria tenax: Hi sex Duces à Deo subministrantur. In Terra 1. Prudentissimus Paterfamilias. 2. Probatissimus Præceptor: Hi è polyticorum scriptis comparantur. 3. Prudentissimus Medicus, hic, Deo dante, scientia sequentium instructus, generari potest. Faxit itaque Sancta Trinitas, cuius ineffabile nomen in æternum est Benedictum, faxit inquam, vt hoc nostrum intentum in solius Diuini sui Nominis Laudem, Honorem, Virtutem ac Gloriam Æuiternam vergat, Amen.

TRA-

Tractatus I.

BASILICÆ MEDICÆ

LIBER I.

De Physiologia.

CAPVT I.

De Medicina eiusq; Partibus.

SI sapientiam ad Medicinam, & Medicinam ad sapientiam traduxerimus, Artium omnium Nobilissima, tum ratione subiecti, tum ratione Finis existit: Illaque Ipsissima à varijs varie definitur. Ab Hippocrate lib. de flatibus sect. 1. ἰητικὴ γάρ ἐστι πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις μὴ τῶν ὑπερβαλλόντων, πρόσθεσις δὲ τῶν ἐλλειπόντων: Quasi diceret Additio, intellige necessariorum, & Detractio, vt inutilium. Hæc Definitio Medica duo præcipua Medici officia includit; Fiunt enim omnes morbi aut ab Inanitione, qui curantur Additione, aut ab Repletione, qui restituuntur Detractione.

Subiectum Medicinæ est corpus humanum

Dan. Sennertus in Instit. lib. 1. cap. 1.

Eius Finis est opus

Scal. exer. 1. sect. 3. de cõstit. artis.

A Galeno definitur in arte parua quod sit scientia salubrium, Insalubrium & Neutrorum: Salubrium & Insalubrium quæ tribus modis dicuntur: 1. vel vt Corpus, 2. vt Causa. 3. vt Signum. Corpus dicitur vel Salubre, quod suauitate fruitur, vel Insalubre, quod morbo tenetur. Causa dicitur Salubris quæ Sanitatem efficit, vel insalubris, quæ morbum efficit. Signum dicitur Salubre, quod sanitatem præsentem demonstrat, Insalubre quod indicat morbi magnitudinem & speciem, vel euentum.

Eius Finis sanitas

Senn. in Instit. lib. 1. cap. 1.

Neutrum est Corpus, & exquisite mediũ est, & saluberrimi & insaluberrimi corporis cap. 6.

Neutrorum scientia, hîc duplex occurrit: Neutrum, Decidentiæ videlicet vnum, aliud conualescentiæ: Decidentiæ dicitur cum quis declinat ab actionum integritate & iam incipit aliqua actio lædi.

Conualescentiæ neutrum dicitur quando quis primum à morbo resurgit.

Ab aliis definitur Medicina, quod sit scientia rerum Naturalium, non Naturalium, & Contra naturam.

Medicinæ vocabulum proprie refertur ad partem curatiuam Gal. lib. Num ratio tuen. sanit. ad artem Med. spectet.

Inque his tanquam tribus summis capitibus totam Medicinam eõsistere autumant. Sunt autẽ Res Naturales, quæ Naturam nostram constituunt; earumque scientia vocatur Physiologia, & sunt numero septem: Elementa, Temperamenta, Humores, Partes, Spiritus, Animæ, Facultates, & Functiones seu actiones.

Res non Naturales sunt, quæ naturam nostram non constituunt vt naturales, neq; eam destruunt, vt quæ sunt contra naturam, sed sunt medice & indifferentes, id est prosunt & nocent, prosunt vsurpatæ bene, nocent vsurpatæ male: harum sex sunt: 1. Aer. 2. Cibus ac potus. 3. Sonus ac vigilia. 4. Motus & quies. 5. Excreta & retenta. 6. Perturbationes.

Res contra Naturam sunt, quæ naturam nostram destruunt, earumque duplex est consideratio, Theorica nimirum & Practica; Theorica dicitur pathologia, practica dicitur Therapeutica.

Definitio Theoricæ.

Theorica ita aliæ sunt Pathologicæ vt morbus & symptoma: aliæ Ætiologicæ, vt causæ morbi: aliæ Semeioticæ, quæ signa explicant, quorum alia, Diagnostica, quæ præsentem morbi statum explicant: alia Prognostica, quæ morbi exitum denunciant.

Practica in quibus consistat.

Practica quæ & Therapeutica dicitur: illa consistit in tribus: Primo in Remedii genere, vbi considerandum, an requiratur remedium, vnum vel plura, si vnum, an hoc debeat esse simplex vel compositum: si plura 1. anne hæc omnia simul, vel vnumquodq; sigillatim: 2. quo ordine instituenda.

2. Secundo consistit Practica in quantitate vbi consideratur remedii 1. Valor, 2. Gradus, 3. Pondus, 4. Quoties & quandiu exhibendum.

3. Tertio consistit Practica in Vtendi ratione: vbi considerandũ 1. Per quæ loca morbus abigendus: 2. Cui sedi adhibendum remedium:

dium: 3. Qua forma, Quo morbi tempore, qua hora, remedium applicandum.

Dicemus φυσιολογικὴν, quæ complectitur septem Res Naturales, Elementa, Temperamenta, Humores, Partes, Spiritus, Facultates & Functiones Animæ. *1. Pars Medicinæ.*

Secundam Partem Nominabimus παθολογικὴν, quæ subdiuiditur 1. in νοσολογικὴν, tractantem de Natura morborum, & symptomatum. 2. in Αἰτιολογικὴν, de causis morborum. 3. Σημειολικὴν, de signis morborum. *2. Pars Medicinæ.*

Tertiam Partem vocabimus θεραπευτικὴν, cuius instrumenta sunt. *3. Pars Medicinæ.*

1. Διαιτητικὴ, quæ complectitur sex res non Naturales, vt sunt: Aer, Cibus ac Potus, Motus ac quies, Somnus ac vigilia, Excreta & retenta, perturbationesq; animi.

2. Φαρμακευτικὴ, quæ tractat de Medicamentorum Materia & applicatione debita; quo pertinet Methodus.

3. Χειρουργικὴ, quæ manus etiam in medendo adhibet. Faciemus itaque initium huius libri de prima parte, quæ Res contemplatur Naturales, inter quas Elementa tenent primas.

CAPVT II.

De Elementis.

PRincipiorum Doctrina etsi in Physicorum potius quam Medicorum scholis recepta sit; ad Elementorum tamen naturam melius intelligendam aliquid saltem inquirendum de ea est, & quidem Primo, quid sint Principia. Secundo, Quomodo ex his Elementa fiant. Tertio, Quomodo ab Elementis differant. *Principiorum doctrina in Medicorum scholis est heterogenea: facit tamen ad Elementorum naturam rectius intelligendam.*

Sunt igitur Principia quatuor illæ primæ qualitates, nempe summa Caliditas, Frigiditas, Humiditas, Siccitas: & Materia Prima quæ omnibus Elementis subiecta est, omnique qualitate caret: dicitur autem prima, non quod sit Æterna & ortus expers, sed quod Prima à Deo Creata sit vilisque massa fuerit, ex qua Elementa facta sunt: fiuntque iuxta Galeni opinionem Elementa ex principiis hoc modo: nam cum accedit ad materiam summa caliditas, fit ignis, ad materiam

summa Frigiditas fit Aqua, ad materiam summa Humiditas fit Aer, ad materiam summa Siccitas fit Terra.

Principij & Elementi differentia.

Differunt etiam Principium & Elementum in eo, quia Principium 1. est incorporeum, 2. primum & immediatum. 3. quia sola ratione comprehenditur.

Differunt etiam quia Elementum 1. est corporeum, 2. ex primis compositum: constat enim materia & forma. 3. sentitur, nam qualitate sua tactum afficit.

Elementa quomodo à Medico cõsiderentur.

Medicus autem considerat Elementa 1. vt cognoscat, constitui sanitatem ex temperatura elementorum legitima & conueniente. 2. vt cognoscat constitui morbos ex temperatura Elementorum illegitima & vitiosa.

Ab Elementis, non à Principijs Medicus artem suam exorditur.

Medicus exorditur artem suam ab Elementis non Principiis, duabus de causis. 1. Quia Medicus est Physicus sensualis: Elementa autem sensibilia Principia. 2. Quia Medicina subalternatur Physicæ, neque æquum est superioris & inferioris artis eadem esse Principia.

1. Exordium Medici à Rebus Naturalibus.

Exorditur etiam Medicus artem suam à Rebus Naturalibus, in ijs quæ sunt contra vel præter naturam, quia ridiculum est, quærere, quæ homini insunt præter naturam, ignoratis ijs, quæ illi insunt secundum naturam.

Elementi definitio generalis & specialis.

Definitur autem Elementum 1. Generaliter, quod sit minima pars eius, cuius est Elementum: 2. Specialiter & magis Medice, videlicet minima pars mixti.

Elementa considerantur dupliciter: aut prout partes sunt mundi, aut prout partes sunt mixti.

Considerantur autem dupliciter Elementa, aut prout sunt Partes Mundi, aut prout sunt Partes mixti: Prout sunt Partes Mundi, dicuntur grauia & leuia: harum siquidem qualitatum respectu, Elementa certum situm obtinent in vniuerso: & quidem alia Absolute, alia Comparate: Absolute: ita terra grauis imum occupat, Ita ignis leuis, in sublimi residet: Comparate: ita aër & Aqua, quoniam sunt comparate grauia & leuia, medium locum occupant: & quidem aqua comparata terra est leuis, Aqua vero comparata Aëri est grauis, & ita propius accedit ad Terram.

Aër comparatus aquæ, est leuis, igni comparatus est grauis, & ideo propius accedit ad Ignem: Quemadmodum enim graue deorsum, ita leue semper sursum fertur.

Elementa

Elementa considerata prout sunt partes mixti dicuntur Calida, Frigida,

Frigida, Humida, Sicca. Sic Calida Elementa sunt partes mixtorum, præcedente mixtione: Frigida Elementa miscentur, præcedente alteratione: Humida Elementa alterantur præcedente actione & pessione mutua: Sicca Elementa agunt & repatiuntur verum non grauitate & leuitate: sunt enim qualitates materiales & inefficaces; sed Calore, frigore, humore & siccitate: quia sunt qualitates formales & energiticæ.

vt partes mixti dicuntur calida, frigida, humida, Sicca.

Vltimæ tamen duæ qualitates videlicet humor & siccitas comparatæ primis duabus, videlicet calori & frigori dicuntur patibiles. Verum hæc locutio est comparata, non absoluta: reuera enim humor humectat, & siccitas desiccat, verum admodum remisse: ita vt dolor ab humiditate aut siccitate proueniens, comparatus dolori à frigore vel calore mananti, dolor fere dici non mereatur.

Qualitates patibiles.

Sunt autem Elementa quatuor Ignis, Aqua, Aer, Terra. Hæc Hippocrates primarum qualitatum concretis nominibus appellauit, vt Calidum, Frigidum, Humidum ac Siccum.

Quatuor sunt Elementa.

Primus enim labor Medici debet esse in ipsarum causarum effectis dignoscendis, vt Calorem & Frigus: Calorem dupliciter in genere 1. Cogere homogenea. 2. Separare heterogenea: Calorem in specie: videlicet moderatum vel immoderatum. Moderatum 1. Generare & viuentia conseruare. 2. Rarefacere, coquere & relaxare: Immoderatum 1. Corrumpere, vrere: 2. Densare, assare, astringere. Frigus dignoscet Medicus, vt cogere tam Homogenea quam Heterogenea.

Primus labor Medici in causarũ effectis. Calor generaliter & specialiter dignoscetur.

Cogimur autem propter ignorationem verarum & essentialium formarum Elementa primis qualitatibus definire, vt nihil referat, si dixeris primum Calidum an Ignem, primum Frigidum an Aquam, primum humidum an Aerem, primum Siccum an Terram. Hinc quærenti, quid sit Ignis Respondetur primum? calidum, quasi dicas, corpus simplex ex calore & caloris primo subiecto conflatum.

Hæc Galenicorum non Hermeticorum est sententia, vti videre est in Crollij præfatione.

De primo Calido controuertitur, quodnam sit: dicunt enim quidam illud esse cælum, quidam Ignem Elementarẽ: Cœlum, quia sit fons omnis caloris vt Plato & Astrologi. Inde apud Platonem Ignis tres sunt species. 1. Lux quæ est Ignis lucens non vrens, hæc refertur ad cælum. 2. Species, Flamma, quæ est Ignis Lucens & vrens. 3. Species, Pruna, quæ est Ignis vrens non lucens, hæque posteriores referuntur ad Ignem Artificialem.

Primum calidum quid dicatur.

Probatio de 1. Calido q̃ sit ignis Elementaris. Cœlum non esse Calidũ. Cœlum esse Calidum.

Qui dicunt de primo Calido quod sit Ignis Elementaris: horum sententia probabilior est. Primo: Quia primum calidũ oportet reipsa esse calidum, vt sit caloris πρῶτον δεκτικόν: at Cœlum non est calidum actu, quia haberet contrarium frigus, à quo pateretur, tandem & corrumperetur, cum cælo nihil repugnet, nisi priuatiue, vt tenebræ luci: Calefacit autem Cœlum ἐνεργητικῶς seu causaliter, quemadmodum cos non acuta acuit, nam vi sua & motu calorem excitat.

Ignis Elementaris neq; calefacit neq; videtur duobus modis.

Ignis Elementaris neq; calefacit, neq; videtur. Idq; propter raritatem materiæ: nam calor quo densiori subiecto inhæret, eo magis à sensibus percipitur.

Secunda probatio est: quia leuissimum & calidissimum re & subiecto sunt vnum. At cœlũ nõ est leue, quia naturaliter mouetur in orbem, nõ motu recto: leue autem definitur, q̃ sponte mouetur sursum.

Primum Frigidum quid dicatur.

Primum Frigidum etiam controuersum est: illud enim Stoici ac Galenus putant esse Aerem eò quod aqua congeletur non proprio sed ambiente frigore. Verum hæc sententia falsa est: Nam si Aqua ambiente frigore congelaretur, quiuis liquor obuius cõgelandus esset, at hoc nõ fit, vt apparet in liquoribꝰ quibusdam destillatis, q̃ tamẽ Aquæ naturam æmulantur. Oleum etiam frigore densatur quidẽ, nõ congelatur: tantum abest, vt aër congelationis causa sit, nam homogeneum potius oleum aëreum, q̃ heterogeneũ videlicet Aquam congelaret.

Sententia Peripateticorum de primo frigido.

Peripatetici primum Frigidum putant esse Aquam. Et hæc sententia probabilior est; Quia primò natura contrarium contrario non iungit, sed medium aliquid interijcit: atque Aër Igni calidissimo est contiguus, non est igitur frigidissimus.

Secundo Elementa ad faciliorem inter se mutationem, ad generationem mixtorum & conseruationem vniuersi symbolo qualitatis conuenire debent: id quod ex his patet.

1.

Ignis Calidissimus.	Ignis Calidissimus siccus.
Aër Calidus.	Aër Humidissimus calidus.
Aqua Frigidissima.	
Terra Frigida.	Aqua Frigidissima humida.

2.

Terra siccissima.	Terra Siccissima frigida.
Ignis Siccus.	
Aër Humidissimus.	Ignis Calidissimus siccus.
Aqua Humida.	

Tertio

Tertio, Mixta in quibus aqua dominatur, vt Cicuta, Papauer, Mandragora, summe refrigerant. Manet igitur immot m, Primum Humidum esse Aerem, quod apparet ex natura aëreorum, quæ humectant & calefaciunt, vt olea omnia oleosa. *Aer primũ humidum.*

Manet & immotum Primum Frigidum esse Aquam, quod apparet ex natura aqueorum, quæ refrigerant & humectant, vt Papauer, Cicuta, Mandragora. *Aqua primum frigidum.*

Primum vero Siccum Terra est affusum humorem per se sola siccans. *Terra, primum siccũ.*

Dicuntur autem quædam mixta Resiccata & non Resiccata: Resiccata quidem vel calore, vel frigore: Calore, quando videlicet humor resoluitur à calore: Frigore, quando humor comprimendo excluditur à Frigore. *Mixta resiccata.*

Mixta non Resiccata, sed natura seu prima constitutione sicca: vt Lapides, Bolus armena, Terra sigillata &c. in quibus manifeste Terra dominatur. *Mixta non Resiccata.*

Dicitur etiam Aër humidior Aqua, item Terra siccior Igne, quæritur quomodo? Respondetur, formaliter; non materialiter. Quanquam enim perfusa Aqua multo plus madent, quam respersa Aere, tamen hoc non putandum accidere ob pleniorem Aquæ humorem, sed quod is in pleniore fluxaque substantia positus, dum in vias recessusq; corporum inseritur, consistit, illaque madidiora efficit. *Aer cur humidior dicatur aqua? & Terra cur siccior igne.*

Ignis etiam inde, quod maxime desiccat, terra siccior non est: id enim non per se, sed caloris interiectu efficit, quatenus corporum humorem suo calore exhaurit & dissipat.

Quæritur etiam an duæ summæ Qualitates singulis Elementis insint? Illud affirmat Galen° & nonnulli sectatores: Quia si in singulis Elementis qualitas vna esset summa, altera remissa: Primo si Exempli gratia Ignis esset calidissim° remisse sicc°, daretur calidissimo calidius: Terræ enim siccissimæ cõtactu augereẽ Ignis siccitas: nã vt Auerroes loquitur: Siccitas est lima caloris: fieret igitur Ignis semetipso calidior. Secundo: omnia essent mixta, nihil simplex: remissio enim accidit permistione contrarii: si siccitas in Igne esset remissa, ab humore eam retusam esse oporteret. *Duæ summæ Qualitates, an singulis Elementis insint. Siccitas Lima caloris. Auerroes.*

Peripatetici negant, sed vnam esse summam, alteram remissam: Quia si duæ essent summæ qualitates in quolibet Elemento, summas quoque vires vtræque qualitates exerere cogerentur: at Aer & Aerea *Negatio Peripateticorum.*

summe

summe humectant, remisse tantum calefaciunt, Aqua & Aquea summe refrigerant, remisse tantum humectant. Non igitur sunt duæ summæ qualitates in quolibet Elemento.

Singulis Elementis accedit 2. Qualitas remissa.

Accessit autem singulis Elementis secunda qualitas remissa, hisce de causis. 1. Vt remissa summæ actionem intendat: calor enim augetur accessione siccitatis. 2. Vt Elementorum transmutationem facilitet & adiuuet: atque si Ignis esset calidissimus & siccissimus, impossibilis propemodum esset transmutatio, quia non mutatur vnum contrarium in alterum nisi per medium, facileque inter se transmutantur, quæ qualitatis alicuius symbolo conueniunt. Dicendum igitur esse Ignem Calidissimum remisse siccum; non calidissimum & siccissimum. Aerem Humidissimum, remisse calidum non humidissimum & calidissimum. Aquam Frigidissimam, remisse humidam non frigidissimam & humidissimam. Terram siccissimam, remisse Frigidam, non siccissimam & Frigidissimam: Quæritur autem quare sic? Respondetur, quia vnius primæ Qualitatis non possunt esse duo subiecta æque prima, & ne longius faciam hisque in hæream, sufficiant hæc de Elementis, plura ordine ab authoribus hinc inde petenda, sequuntur Temperamenta.

Canon Philosophicus.

CAPVT III.

De Temperamentis.

Definitiones Temperamentorũ.

TEmperamentum definitur ab aliquibus: Finis mistionis, quia semper Elementa miscentur, vt inde crasis exurgat: est enim mistio motus quidam, nempe primorum contrariorum conflictus: cum

1. *Finis Mixti.*

ad mediocritatem reducta sunt, cessat motus, quia finem sunt adepta, ad quem contendebant.

2. *Forma Mixti.*

2. Definitur Forma mixti, quia Forma & Finis in operibus naturæ re & numero vnum sunt, sola differunt ratione: Hæc definitio Auerrois est.

3. *Principium Facultatũ Naturaliũ.*

3. Definitur Principium naturalium facultatum, quia Temperamentum est Principium, sine quo illæ obiri non possunt: nam læso similarium Partium Temperamento, protinus naturales actiones læduntur.

4. *Concentus seu Harmonia Mistionis.*

4. Definitur Concentus mistionis seu Harmonia primarum qualitatum: vtà Fernelio, Fuchsio. Intelligitur autem Temperamentum Salubre, quod ad Physiologiam pertinet, Insalubre, æquale vel Inæquale, quod pertinet ad Pathologiam.

Est

Est autem Temperamentum duplex Temperatum vel Intemperatum: Temperatum diuiditur in Temperatum ad Pondus: In temperatum ad iustitiam: Temperatum ad Pondus dicitur, non quod pari mole & pondere Elementa mista sint: tale enim ne cogitatione fingi potest, quia ignis terram absumeret, fieretque vnius ortus alterius interitus: sed quod æquali 4. Primarum Qualitatum Mistione constare debeat exquisite temperatum, in quo nulla qualitas exuberat, sed omnium inest Æqualitas. *Diuisiones Temperamentorum.* *Tẽperamentũ duplex.* *Temperatũ vel Intemperatum.*

Hoc quamuis vix detur in rerum natura, de eo tamen à Medicis docetur, vt sit quasi norma, ad quam reliqua temperamenta iudicari possint. *Temperatũ ad Pondus.*

Temperamentum ad Iustitiam est, quod naturæ suæ congruenter, seu vsui cui destinatur, conuenienter Temperatum est: Exempli gratia, os est durissimum, quia eius vsus ita postulabat. *Intemperatum ad iustitiam.*

Temperamentum Intemperatum duplex est, Salubre & Insalubre: Salubre rursus duplex Simplex & Compositum. Simplex est, in quo vna tantum Qualitas excedit, reliquis duabus contemperatis: exempli gratia, si calor dominatur frigori reliquis duabus contemperatis: Huius 4. sunt ordines, Calidum, Humidum, Frigidum, Siccum. *Intemperatum Temperatũ, salubre & Insalubre.*

Compositum est in quo duæ Qualitates excellunt: Et Huius 4. sunt ordines, Calidum Humidum, Calidum Siccum, Frigidum Humidum, Frigidum Siccum: Hæc duo pertinent ad Physiologiam. *Salubre est Simplex & compositũ.*

Temperamentum Intemperatum Insalubre 1. est Æquale, quale est Tabidorum: 2. Inæquale, quale est Febricitantium & Hydropicorum. Hoc pertinet ad Pathologiam. Vt vero intelligatur, quid sit natura seu Temperamento Calidum, quid Frigidum: horum nominum ambiguitas explicanda est. *Insalubre duplex. Æquale & Inæquale.*

Calidum, Frigidum, Humidum & Siccum dicuntur tribus modis.

Primo dicuntur dupliciter, vel perse, vel per Accidens: Per se ita dicitur Calidum vel Frigidum quod Temperamento tale dicitur: Per Accidens dicitur Calidum vel Frigidum, quod alias calefactum vel refrigeratum magis proprie dicitur. *1. Per se vel per Accidẽs.*

Secundo dicuntur itidem dupliciter: Absolute & Comparate. Absolute: duobus modis 1. In genere seu indefinite, quando *2. Absolute & comparate.*

homo Absolute est Temperatus, hoc est, Temperatissimus. 2. Magis proprie & definite, quando inter homines est Temperatissimus, qui actiones habet perfectissimas. Comparate: ita exempli gratia, homo est Calidus comparatus asino: Frigidus, comparatus Leoni.

3. Actu & Potentia. Tertio dicuntur Actu & Potentiâ itidem dupliciter: Actu dicitur Calidum, quod tale sentitur, siue fuerit per se, vt Ignis, siue ex Accidente, vt Aqua feruens. Calidum, Humidum, Frigidum ac siccum hoc modo accepta distinguuntur prout quędam efficiunt, Tactu solo vt: Calidum Frigidum, vel Tactu & ratione vt. 1. Humidum; sic glacies iudicatur Tactu Sicca, Ratione Humida 2. vt Siccum sic Metallum liquefactum iudicatur Tactu Humidum, ratione Siccum.

Potentia calidum. Potentia Calidum dicitur, quod etiamsi Actu non calefaciat, potest tamen calefacere, vt Piper, Sinapi &c.

Potentia duplex. Est autem potentia duplex, Vna quæ actum antecedit, quæ inest materiæ, dum promouetur ad formam, & à secundis causis præparatur: ita medicamentum à viuentis calore ad Actum promouetur.

Altera quæ actum consequitur: ita introductæ formæ insunt naturales facultates, Nutriendi, Augendi, & procreandi.

Temperamentorum Critirium.

Homo quoniam inter animalia præcellit, cæteris debet esse pro regula: huic itaque potius, quam Leoni aut asino temperamenti iudicium committendum est: neque tamen cuivis, sed illi tantum, qui si non ad pondus, saltem ad iustitiam temperatus censeatur.

Naturæ Instrumenta Hominis 2. Homo Duo à natura instrumenta accepit, 1. est Ratio cuius ministerio verum à falso discernet 2. est Tactus cuius ministerio discernet vtilia à nocituris.

Ratio.

Tactus. Tactus igitur ope proficua à nocituris dignoscimus: percipiendo nimirum, sit ne aliquid iusto calidius an mediocriter Calidum, frigidius an mediocriter Frigidum, durius an mediocriter Durum, mollius an mediocriter Molle.

Qualitates primæ. Eodem præterea instrumento discernimus Qualitates tractabiles vt Primas & Secundas: Primas, vt Calorem, Frigus, Humorem, Siccitatem: Secundas, vt: duritiem, mollitiem, asperitatem, læuitatem; & temperamentorum differentias: vocamus enim Calidum cuius contactu incalescimus, Frigidum cuius contactu refrige-

Qualitates secundæ.

ramur,

tamur, Durum, quod contactui nostro resistit, Molle quod tactui nostro cedit.

Iudex igitur Temperamenti Tactus est: & quidem vel solus, vt Calidi & frigidi: vel cum ratione coniunctus, vt humidi & Sicci, omne siquidem Siccum est etiam durum, verum non omne durum est etiam continuo siccum, vt in glacie apparet. *Tēperamenti iudex Tactus.*

Neque tamen quæuis hominis, quamuis Temperatissimi, particula Tactus instrumentum est, sed sola cutis, neque omnis cutis, sed ea quæ in manu tantum est: Licet enim Tactus per solam cutem æquabiliter fusus sit, tamen cum ea, quæ in manu est, ab omnibus extremis, Calido, Frigido Humido & Sicco, pari absit interuallo, adeoque omnis excessus expers, ac media, huic recte internoscendorum Temperamentorum iudicium defertur, si modo ab extrinsecis nihilo sit immutata, vt à Calore vel Frigore, neque vt in remigibus & fossoribus callo obductæ.

Omnes partes sunt aut albæ aut rubræ: Albæ hæ sunt Exangues, Spermaticæ, Frigidæ, suntque rursus duræ, quæ Siccæ sunt, vt Os, Neruus, &c. *Partium similarium Temperies.*

Rubræ hæ sunt sanguineæ, molles, Calidæ, & hæ rursus molles, quæ Humidæ sunt.

Est tamen Pars vna altera Calidior, Frigidior, Siccior, Humidior.

Primo Calidior: ita Calidissimus est Spiritus, & magis Calida est substantia Spiritus, quam Cordis; ita Calidissimum est Cor, & magis Calida est substantia Cordis quam sanguinis; sic Calidissimus est sanguis & magis Calida est substantia sanguinis quam Carnis simplicis; sic carnis simplicis magis quam Hepatis; sic Hepatis magis quã Lienis; sic Lienis magis quam Renum &c. *1. Pars vna Calidior.*

Secundo Frigidior: ita frigidissima est Pituita & magis Frigida est substantia Pituitæ quam Pili: sic Pili Frigidissimi magis vero frigida est substantia pilorum quam Ossis: sic ossis magis quam Cartilaginis magis quam χονδροσυνδεσμῶ: Ita χονδροσυνδεσμῶ magis quam Ligamenti: sic Ligamenti magis quam Tendonis: sic Tendonis magis quam Membranæ: sic Membranæ magis quam Arteriæ: sic Arteriæ magis quam Venæ: sic Venæ magis quam Neruorum magis quam Medullæ spinæ: sic Spinæ Medullæ magis quam Cerebri. *2. Pars vna Frigidior.*

3. Pars vna Siccior. Tertio Siccior: ita Sicciſſimus eſt Pilus, & magis ſicca eſt ſubſtantia Pili, quam Oſſis: ſic Oſſis, magis quam Cartilaginis: ſic Cartilaginis magis quam χονδροσυνδεσμῶ: ſic χονδροσυνδεσμῶ magis quam Ligamenti: ſic Ligamenti magis quam tendonis: ſic Tendonis magis quam Membranæ: ſic Membranæ magis quam Arteriæ: ſic Arteriæ magis quam Nerui duri.

4. Pars vna Humidior. Tertio Humidior; ita Humidiſſima eſt Pituita, & magis humida eſt ſubſtantia Pituitæ quam ſanguinis: ſic ſanguinis magis quam Adipis: ſic Adipis magis quam Medullæ Oſſium: ſic Medullæ Oſſium magis quam Cerebri: ſic Cerebri magis quam Medullæ Spinæ: ſic Medullæ Spinæ magis quam Pulmonis: ſic Pulmonis magis quam Carnis ſimplicis: ſic Carnis ſimplicis magis quam Hepatis: ſic Hepatis magis quam Renum: ſic Renum magis quam Cordis.

Partes Calidiores ex mẽte Fernelij. A Fernelio tamen iudicantur 1. Pulmo Calidior & Siccior Hepate, ob compoſitionem, bilioſum nutrimentum & Cordis vicinitatem. 2. Cor Frigidius carne ſimplici, ſi ſubſtantia conſideretur: Imo & Cor calidiſſimum, ſi ſoli tactui creditur, quia in ſiniſtro ſinu maximus ſentitur Calor.

Partes Mediam Naturam continentes. Quædam etiam obtinent mediam naturam inter Calorem & Frigus: vt, Adeps, Pinguedo, & Cutis: inter Humiditatem & ſiccitatem: vt, Nerui molles ſenſorij & Cutis.

Tẽperamentum totius. Totius animantis Temperamentum ex ſimilium compoſitione, imitatione quadam exprimitur: Inſunt enim animantibus corporis partes eæque Calidæ: vt Cor, Hepar, ſanguis &c. vel Frigidæ vt Os, Neruus, Pituita &c. Ab his ſingulis communiter in omne corpus

A Partibus Humores, Vapores ac Spiritus. erumpunt 1. Humores. 2. Vapores. 3. Spiritus. Qui deinde varijs præditi qualitatibus & temperamentis in vnum confuſi, ſeſe demum temperant, & fit vnum quaſi totius Temperamentum, non illud quidem Simplex ſed ex multorum concurſione conditum.

Ea communione euecti tum Vapores tum Spiritus in corporis extima, in ipſam Cutem confluunt, eamque ſic afficiunt, vt hac moderatione prædita, eo prorſus ſit Temperamento, quo & vniuerſum corpus, ſiquidem ab extrinſecis nulla paſſa ſit mutationem: quo fit vt ſolius Cutis contactu, liceat de vniuerſi corporis Temperamento pronunciare.

Tẽperamenti per Ætatis mutatio. Ætas eſt id vitæ curriculum, quo perſpicue conſtitutio corporis per ſe immutatur: eſt autem ſexduplex.

Prima

Prima Ætas Puerilis, ἡλικία παιδῶν, quæ à primo ortu ad annum 14. protrahitur: & constat differentia quadruplici: sunt enim 1. Recens nati νεογνὰ παιδία. 2. qui dentes edunt. 3. Medij inter dentientes, & pubertati proximos, 4. qui iam ad pubertatem accedunt. Hæc Ætas Calida & Humida est, quia non procul abest à primis generationis principijs, sanguine & semine, rebus Calidis & Humidis. *Ætas 1.*

Secunda Ætas pubertas ἥβη vocatur, quod pueri in ea pubescere incipiant, incipit anno 14. vsque ad 18. *Ætas 2.*

Tertia Ætas Adolescentia, ἡλικία μέσων ἐφήβων, incipit anno 18. vsque ad 25. hi quoque vocantur ἔφηβοι & ab Hippocrate τέλειοι, quod vocem mutent, & incipiant τραχίζειν. Hæ duæ Ætates sunt medij, adeoque optimi Temperamenti. *Ætas 3.*

Quarta Ætas Iuuenum, ἡλικία νεανίσκων & ἀκμαζόντων, incipit anno 25. & desinit anno 35. aut etiam 40. Huius propria est 1. Venustas. 2. agilitas. 3. Ferocia. Calida siquidem est, parceque Humida, comparatione tamen præcedentium Ætatum, Calida & Sicca dicitur. *Ætas 4.*

Quinta Ætas constans & Media (videlicet inter crescentes & decrescentes,) quæ κατεσηκυῖα dicitur; huiusque Ætatis vocantur κατεσηκότες καὶ μεσήλικες. Incipit anno 36. & desinit fere 49. Hæc Ætas Frigida & Sicca est, Frigida tamen minus. *Ætas 5.*

Sexta Ætas, quæ incipit anno 50. & durat ad finem vitæ: ea adhuc apud Galenum est triplex: Prima eorum qui ciuilia possunt obire: hi vocantur ὠμοπέρονες, hoc est viridi senecta præditi. Secunda, qui non possunt obire. Tertia ψέμπελοι, si licernia: hæc Ætas prima est Frigida Sicca: postrema Frigidissima & Siccissima. *6. Ætas triplex.*

A Causa effectum denominationem accipere æquum est: Hinc dicitur recte Homo alius Sanguineus, cui est plurimum Sanguinis, vere etiam Homo alius, Pituitosus cui inest plurimum Pituitæ, & recte Homo alius Biliosus, cui inest plurimum Bilis, Flauæ sic & recte Homo alius Melancholicus, cui inest plurimum Bilis Atræ: sunt enim hæc Humorum dominantium nomina. *Temperamentum nullum est sanguineum, Pituitosum, Biliosum, Melancholicũ: Ferè nullius.*

Non recte dicitur Temperamentum sanguineum, Temperamentum Pituitosum, Temperamentum Biliosum, Temperamentum Melancholicum; quare, quia Temperamentum ex Elementorum

conueniente mistura prouenit, non ab humoribus, qui non sunt Partes corporis, sed corpore tantum continentur.

Hinc obseruare licet, Humorum redundantias confinibus Temperamentis non semper respondere: videmus enim Homines candidos, molles, Tactus iudicio Frigidos, qui quotidie multam Bilis copiam reijciunt: videmus & Homines hirtos, subnigros, graciles, Tactus iudicio Calidos qui nihil vel certe minimum Bilis congesserunt.

Tẽperamentũ aliquod dici potest Biliosũ &c. Heurnius. l. 2. c. 1.

Temperamentum dicitur etiam dupliciter: Primario, ab his quibus mixtio competit, videlicet Elementis, aliud Calidum, Frigidum, Humidum, Siccum.

Secundario ab Humoribus congenerantibus aliud Biliosum, sanguineum, Pituitosum, melancholicum. Dicitur autem Humor congenerans, qui est in semine non qui est in sanguine.

Homines quomodo sint Bilioſi.

Quidam Homines sunt Bilioſi: Primo, φύσει, hoc est natura, hique sunt tales 1. κρᾶσει id est Temperamento, vt qui Hepate sunt Calidissimo, Hepar enim præcalidum Bilem gignit copiosissimam. 2. ἕξει id est habitu.

Secundo homines sunt Bilioſi hoc est ascititio Temperamento, vt qui labore, vigilijs, irâ, corpus conficiunt, qui vescuntur acribus, salsis, piperatis &c.

Andreas Laurentius lib. 6 quæst. 24.

Tẽperamentũ Cerebri.

Cerebri Temperamentum duplex est: vel Temperatum vel Intemperatum: Temperatum 4. notis deprehenditur. 1. Excrementa, videlicet Oculorum, Narium, Aurium, illaque sunt naturalia. 2. Pili vt subruffi in Infantia, Flaui in Adolescentia, Nigrescentes in iuuentute, Medij inter Leues & Crispos. 3. Caluitium vix sequitur. 4. Caput quod vel mediocre est magnitudine aut Figura, vel ab externo qualitatum incursu non facile læditur.

Tempera tum Cerebrũ quatrupliciter consideratur.

Intempera tum Cerebri Temperamentum duplex.

Intemperatum Cerebri Temperamentum, est vel simpliciter Calidum vel simpliciter Frigidum: Calidi hæ sunt notæ 1. Opinionum constantia. 2. Celeritas, vel Ingenij, vel sensuum, ac motuum. 3. Somnus isque vel breuis, leuis vel parum altus. 4. Oculorum venæ manifestæ. 5. Caput totum vel calidius vel rubricundius. 6. Excrementa per Aures, Oculos, Nares, palatum & pauca, eaq; vel cocta vel Incocta: cocta cum moderate cibis indulgent: Incocta & plura cum liberius se inuitarunt vsu rerum calidarum & humidarum. 7. Pili

ab

ab infantia ſtatim nigri vel flaui, nigri ſi cerebrum valde caleat, Flaui ſi cerebrum non vſque adeo caleat 8. Iuuatur Frigidis Internis & externis 9. Læditur Calidis vt odore aromatum, & aëre calido.

Frigidi Intemperati 4. sũt notæ.

Temperamenti Cerebri Intemperati ſimpliciter Frigidi hæ ſunt notæ 1. Opinionum inconſtantia 2. Tarditas ſenſuum, motuum atq; intellectus. 3. Somni Longi vel profundi, 4. Caput nec feruens tactu, nec colore rubeus ſed palleus.

1. Homo Tẽperatus ex ſubſtantia trib. dignoſcitur modis.

Temperatus Homo primo, cognoſcitur ex ſubſtantia idque tribus modis.

1. Modus eſt partium ſimilarium vel diſſimilarium.

Primus eſt partium: earumque Similarium vel Diſſimilarium: ſimilarium, quæ iudicantur Tactu & Viſu: Tactu: ita ſunt Hominis temperati partes ſimilares nec Calidæ, nec Frigidæ, nec Humidæ nec Siccæ, ſed mediocritate quadam tangentis manum demulcent. Viſu, quod æmœno quodam colore eoque viuido perfuſus erit, non glaber nec hirtus.

Partium Diſſimilarium quæ ſe recte habebunt in Numero in magnitudine, ſitu ac Figura.

2. Modus.

Secundus modus eſt Pilorum qui ſint in Infantia flaui, in iuuentute nigricantes, Criſpi mediocriter.

3. Modus.

Tertius modus conſiſtit in habitu Corporis, qui ſit neque gracilis neque craſſus.

2. Homo Temperatꝰ notus ex 3.

Secundo cognoſcitur Temperatus Homo ex comitantibus, videlicet Actionibus & Facultatibus: ijſque 1. Naturalibus 2. vel Animalibus 3. vel vitalibus: 1. Naturalibus, ita Temperatus Homo moderate edit ac bibit, ita coquit bene aſſumpta, & demum excrementa feliciter excludit.

1. Naturalibus.

2. Animalib.

2. Animalibus: ita antecellit cæteros artuum motu, & ſenſibus: ita non eſt ſomnolentus vel peruigil: ita eſt prudens, humanus atque candidus.

3. Vitalibus.

3. Vitalibus, ita non eſt temere audax: ita non eſt ignaue timidus; ita non eſt cunctator, ita non eſt præceps.

Tẽperamentum ſexus.

Temperamentum Sexus proprium eſt, & conſiſtit in duobus 1. in Caloris copia, in Caloris Inopia teſte Galeno 2. de Semine non alia ratione fœminam generari dicit, niſi ob caloris copiam & Inopiam: Copia enim Caloris eſt, quæ membra genitalia in maribus ſo-

lis

lis extrudit: Inde naturali constitutione, mares semper calidiores, siccioresque fœminis sunt, quod pilorum multitudo, excrementorum natura, actionum robur & celeritas, aliaque plura manifeste arguunt. Sanguinis menstrui in fœminis redundantia, à Caloris copia non fit, vt quidam voluerunt, sed potius à debilitate Caloris, non perfecte concoquentis alimentumque suum digerentis: Hæc de temperamentis.

CAPVT IV.

De Humoribus.

Humoris nomen duplicitèr consideratur: Physicè & medicè.

HVmoris nomen dupliciter consideratur, Physicè, ac Medicè: Physicè prout Humor est Qualitas prima, aliena superficie non sua terminata, cuius dominatu liquida & mollia cedunt tangenti.

Medicè generaliter & specialiter.

Medicè prout Humoris nomen pro substantia non pro qualitate accipitur: & ita iterum dupliciter consideratur, Generaliter & specialiter: Generaliter, quando Medici omne liquidum & fluxile corpus appellant Humidum: & hoc modo recensentur Humores 1. Semen 2. Chylus 3. Tres Humores oculorum videlicet Crystallinus, Vitreus, Aqueus, 4. Adeps, quia fluidam habet consistentiam.

Humores quadruplices.

Specialiter, quando Humor est liquidum corpus ex alimento genitum, ita 4. Humores in venis contenti, & sanguinis massam constituentes proprie Humores vocantur, non quod omnes vim habeant humectandi; sed quod fluxilem habeant substantiam: ita namque Bilis est Humor propter consistentiam liquidam & fluxilem, ita Succus Melancholicus est siccus propter vim siccandi.

Humores 4. respõdent 4 Elementis.

Hi Humores 4. Elementorum sunt filij primogeniti: vt Bilis Temperamento Calida Sicca respondens Igni: Pituita, Temperamento Frigida Humida, respondens Aquæ: Succus Melancholicus, Temperamento Frigidus Siccus, respondens Terræ: Sanguis, Temperamento Calidus Humidus respondens Aeri.

Humores quatenꝰ sint partes cor-

Humores etiam sunt Partes corporis, si Partis nomen accipitur generaliter, pro eo, quodcunque corpus constituit, aut in quod resolui potest. Non sunt Partes corporis, si Partis nomen

men accipitur specialiter, pro eo quod certam habet circumscriptionem. *poris & quæ tenus non sint.*

Est autem Humor vel Naturalis, vel contra naturam: Naturalis Humor est vel Alimentarius, vel Excrementitius: Alimentarius, est Primus & Secundus; Primus vt sanguis, in quo continentur Pituita, Bilis, Melancholicus Succus: Secundus, vt Ros & Gluten. *Humor naturalis Alimentarius vel Excrementitius.*

Excrementitius, & hic est Excrementum, vel quantitate sola, vt Semen & Menstruum, vel Qualitate, & sic rursus vel est Vtilis, vt Fel, Limus & Serum: vel inutilis, vt vrina, sudor, & stercus.

Humor contra Naturam fit è Naturali, quando videlicet deficit ab ijs, quæ in Naturali Humore requiruntur vt sunt iusta Substantia, quo refertur Consistentia; iusta Quantitas, quo refertur Proportio; iusta Qualitas, quo refertur Color & Sapor. *Humor contra Naturam.*

Est porro Naturalis Sanguis secundum Substantiam Mediocris, secundum Quantitatem plurimus; Secundum Qualitates primas, Calidus & Humidus; secundum Qualitates Secundas Ruber & dulcis. *Sanguis secundum substantiã.*

Naturalis Pituita, secundum Substantiam mediocris fere vt sanguis; Quantitatem, post Sanguinem plurima; Qualitates vt primas, Frigida & Humida; Qualitates Secundas alba & insipida. *Pituita secundum substantiã*

Naturalis Bilis secundum Substantiam tenuis, Quantitatem minima, Qualitates Primas, Calida & Sicca, Qualitates secundas Flaua & amara. *Quantitatem &c.*

Naturalis Melancholia Secundum Substantiam crassa, secundum Quantitatem minor quam Pituita, maior quam Bilis; Qualitates primas Frigida & Sicca, Qualitates secundas nigra & acida. *Melancholia secundũ substantiã,*

Ab hac Substantia, Quantitate & Qualitate si Humores recedunt, fiunt non naturales, & nascitur inde morborum fere omnium Parens, Cacochymia. *Quantitatem Qualitatem &c.*

Quæstio est, quinam Humores venis contineantur, quiue nutriant, an 4. Humores simul an vero Sanguis solus? Audiamus Medicos & Peripateticos. *Quæstio nũ humores quatuor simul nutriant? an vero solus sanguis.*

Medicis prior sententia placet: dicunt enim 4. Humores simul factos per venas ad singularum partium nutritionem distribui: ex omnibus Temperatis & iusta proportione commistis, constare Sanguinis massam, eaque non aliter contineri, quam Elementa in Mixto. Pro his faciunt hæc sequentia.

1. *Sententia.* 1. Datis medicamentis, quæ trahant vel Pituitam, vel Bilem aliquam, vnusquisque Humorum horum de Venis secernitur.

2. 2. Ab Humore quolibet proprium & naturale excrementum videmus excerni.

3. 3. Permagna est Humorum in massa sanguinis necessitas: Bilis Exempli gratia facit, vt sanguis alioquin insipidus, Bile velut sale conditus, à singulis Partibus auidius appetatur.

4. 4. Temperatus Sanguis si est, ex variorum Humorum mistione constare debuit; hactenus Medici.

Sententia Peripateticorum. Peripatetici sic docent: Sanguinem solum Venis contentum nutrire, cæteros Humores, Sanguinis duntaxat esse Excrementa. His fauere videtur Fernelius: contendit enim venis solum sanguinem contineri, qui tamen Partes habeat dissimiles: cum constet portione tenui & calida, quæ dicitur Sanguis Biliosus non Bilis: cum constet portione Crassa & Frigida quæ dicitur Sanguis Melancholicus non Humor Melancholicus, si Aquea & Cruda, quæ dicitur Pituitosus non vero Pituita: Si vero maxima Temperata dulci mediocris consistentiæ, quæ dicitur Sanguis simpliciter & sine adiuncto.

Hæ adstipulantur Peripateticis. Pro Peripateticis facit: Quia 1. Nutritur Cerebrum Sanguine Pituitoso non Pituita, & nutritur Pulmo Sanguine Biliosо non Bile.

Cerebrum nutritur sanguine pituitoso non pituita. 2. Datum sanis Catharticum, corpus liquefacit, quia Venis eiusmodi Humor non ineſt, quem trahat Medicamentum.

3. Sanguis si Venis excidit, concrescit Humor nunquam.

4. Incisa Vena, Sanguis exceptus non 4. Humores refert, sed Sanguinis vnius Partes Dissimiles: nam portio crassa & nigra in fundo, non est Humor, sed Sanguis Melancholicus: sic portio leuis, tenuis, Spumans in superficie, non est Humor, sed sanguis Biliosus &c.

5. Dato Medicamento, hic Humor peccans euacuetur, ille Humor morbificus est, quippe per Morbum generatus: Exempli gratia Bilis si excernatur, Sanguis Biliosus per morbū in Bilē conuersus est.

Humores in Venis tripliciter. Humores vero in Venis hac portione sic continentur: ineſt enim 1. Pars plurima Sanguinis, quia plurimæ sunt Partes carnosæ, quæ vt ex illo genitæ sunt, sic eodem nutriuntur.

2. Ineſt etiam minor Pars Pituitæ, quam Sanguinis, maior quam Melancholiæ aut Bilis, quia Pituita est ex dimidio coctus Sanguis, & inedia nutrit, facileque propter Qualitatis Symbolum in Sanguinem mutatur.

3. Ineſt

3. Ineſt enim etiam Pars maior Melancholici Humoris, quam Bilis iuxta Auicennæ opinionem, quia primo in fundo vaſis Humore aliquo repleti plus fæcis ſubſidet, quam eminet Floris.

Pars Maior Melancholici Humoris in Humano corpore quam ſanguinis.

Secundo, oſſa ſunt plura ducentis, quæ vt ſunt craſſa & frigida, ſic congenere Humore nutriuntur.

Tertio, pauciſſimæ Partes Bile nutriuntur.

Quarto, Expurgando limo, Humoris melancholici Excremento, maius conceptaculum deſtinauit Natura, Lienem videlicet, q̃ Bili.

Quinto vt Dulcia ſunt amica Naturæ, ſic amara inimica: Pauco autem felle maxima quantitas Sanguinis aut lactis amareſcit &c.

Temperamentum Humorum dependet è Qualitatibus Primis & Secundis: Primis: ita Sanguis Temperamento eſt Calidus, Humidus, reſpondens Veri: Bilis temperamento eſt calida, ſicca reſpondens Æſtati: Humor Melancholicus, Temperamento eſt Frigidus, Siccus reſpondens Autumno: Pituita Temperamento eſt Frigida, Humida, reſpondens Hyemi.

Humorum Temperamentum. A Qualitatib. primis.

Qualitatibus Secundis: ita Sanguis eſt dulcis: Bilis eſt amara: Humor Melancholicus eſt acerbus; Pituita eſt inſipida.

Humorum Temperamentum à Qualitatibus ſecundis.

Dicitur tamen interdum à Galeno alijsque, Sanguis vel 1. Calidiſſimus, quia aut eſt Humorum Calidiſſimus: Bilis enim eſt Humor Siccus: aut Calidiſſimus non proprio, ſed Cordis influente Calore talis eſt: iſque non omnis, ſed Arterioſus.

Diſſidentia variorum authorum in voce ſanguinis.

2. Dicitur Calidus Sanguis, Formaliter & ἐνεργείᾳ.

3. Dicitur Frigidus, Materialiter ſiue ratione ſubſtantiæ, quemadmodum Vinum etiam dicitur aqueum.

4. Calidus Humidus: Sanguis ſic accipitur, aut prout eſt congeries. 4. Humorum, ita eſt Temperatus: nam ex Humorum concurſu fit concentus, non aliter, quam ex Elementorum mixtione.

5. Temperatus ita Sanguis accipitur, aut prout eſt immixtus ita eſt Calidus, Humidus.

Hinc iuxta ætates primo dominatur Sanguis immiſtus in Pueritia, mixtus ſeu Temperatus in Adoleſcentia: Secundo Bilis, in ætate Florente: Tertio Melancholicus Humor in ætate inclinante: Quarto in Senectute. Dicuntur tamen Senes Sicci & Humidi: Sicci, videlicet Partibus Solidis, ſeu iuxta Temperamentum Partium: Humidi corpore reliquo: vel dicuntur Sicci priuatiue, Humidi poſitiue: & quidem 1. Humore aqueo non aereo. 2. Excrementitio non naturali.

Qua ratione ſenes dicuntur Sicci & humidi.

Humores omnes an eodem fiant Calore.

Quæstio est, Humorum differentia vnde fiat? anne ab Efficiente an vero à Materia? Ab efficiente argumentatur Galenus, Quilibet enim Humor, iuxta ipsum à peculiari calore efficitur: nempe à Calore remisso, Intenso vel moderato; à Calore Remisso fiunt Humores Frigidi: vt Pituita & Melancholia: à Calore Intenso fit Bilis: à Calore moderato, fit Sanguis: Huc facit, quia si Exempli gratia mel Bilem produceret, & non Calor, in naturis omnibus æque bilescceret: atqui in Calidis tantum, non in Frigidis bilescit, ergo ab Efficiente potius, quam à Materia pendet Humorum differentia.

Omnis Humor vel à Calore remisso, Intenso vel Moderato.

Humorum differentia à Materia.

Humorum differentia à Materia. Fiunt enim omnes Humores naturales vno eodemque Calore Hepatis, eoque Temperato: pro eo facit Primo: Quia Calor natiuus omnium actionum naturalium opifex, aut est cœlestis, aut cœlesti analogus: at videmus eodem Solis Calore ceram liquari, lutum indurari; linteum dealbari, cutem denigrari, pro varia patientis aptitudine. Cum ergo Corpus chyli sit heterogenes: & constet parte alia Ignea, Aeria, Aquea, Terrestri, quid vetat mutari simul & eadem opera Partem Igneam in Bilem, Aeriam in Sanguinem, Aqueam in Pituitam, Terrestrem in Melancholiam.

Secundo, eidem Calori alioquin vegeto & robusto si obijciatur lignum crassum & viride iudicatur impotens propter resistentiam; si obijciatur lignũ aridũ, aut palea, aut tale quid iudicabitur intensus & vehemens: Atqui est Chyli portio alia Aquea & Terrestris instar ligni Viridis refractaria, Alia ignea & sulphurea instar ligni aridi, inflammabilis.

Conciliatio harum opinionum.

Possunt tamen conciliari hæ opiniones: Quia Calor Hepatis Sanguificus est, etsi per se sit Temperatus, potest tamen considerari aut ratione agentis aut patientis: Ratione patientis, cui varie sese accommodat, potest dici intensus aut remissus, modoque dissimili affectus, causæ dissimilis habebit rationem.

Pituita ante Sanguinem in stomacho quomodo generare dicatur.

Cur autem dicunt quidam, ante Sanguinem generari Pituitam in stomacho? anne 1. Pituita in ventriculo facta est excrementitia, naturalis vero fit in Hepate? 2. Quod est vni Excrementum, alteri est Alimentum? Excrementitia ventriculo Pituita Hepati est alimentaria. 3. Pituitæ nomine intelligitur Chyli pars magis aquea & crudior, cuius dulcis portio ab Hepate conuertitur in sanguinem, crudior & crassior in Venas distribuitur, ibique paulatim cocta fit sanguis?

Quæ-

Quomodo vero solus Sanguis nutrire dicitur, cum Primo, partium aliæ sint Sanguineæ, aliæ Spermaticæ: omnes vero Partes Humore homogeneo nutriantur? anne quædam nutriuntur vel Media te, vt Solidæ & Spermaticæ, est enim Seminalis liquor nihil aliud quam coctione dealbatus Sanguis: Vel Immediate, vt Carnosæ. 1. *Sanguis quomodo solus nutrire dicatur.*

Secundo, cum Chylus à Galeno ventriculi appelletur nutrimentum, anne illic abutitur nomine nutritionis? Satiat enim Chylus animalem appetitum sua Qualitate videlicet dulcedine, non autem naturalem sua Substantia: Ventriculus enim infantis, dum vtero gestatur, nutritur & accrescit non Chylo, quia tum nulla fit Chylosis sed Sanguine Materno, quem per vmbilici Venas Iecur trahit: nutritur igitur ventriculus vere Sanguine, improprie Chylo. 2.

Tertio, cum adhuc alij sint 4. Humores alimentarij, qui Secundi vocantur: Humor enim alius, cum 1. adhuc per Venæ tunicam effusus est, vocatur Insitus. 2. Cum è Vena resudat & instar roris effluit vocatur Ros. 3. Cum excidit è Venis & ad Partem appulit, agglutinaturque, vocatur Gluten. 4. Cum Naturam suam cambit, nostræque permutat, vocatur Cambium. 3.

Anne Sanguis, priusquam actu nutriat, & in nostram Substantiam permutetur, varie alteratur, quandoquidem Natura nō fert subitas mutationes. Motus omnis à contrario in contrarium non fit nisi per medium: atqui nō viuens, vt alimentū à viuente longissime distat: Hinc pro diuersitate alterationum, quatuor istis nominibus, videlicet Humoris insiti Roris, Glutinis, Cambij, appellatur. *Motus à contrario in contrarium non fit.*

Humores Excrementitij.

EXcrementitij sequuntur Humores, & quidem ij, qui quantitate solum excrementa dicuntur: vt sunt Semen & Menstruum. *De Semine Humore Excrementitio.*

Semen: huius materiam esse putat Hippocrates, vltimi alimenti, nempe glutinis redundantiam, eam vndiq; è corpore in Testes deriuari: ideò quia 1. Nati plerunque similes Parentibus nascuntur. 2. Claudi, Claudos, Nephritici, Nephriticos &c. plerunq; generant. 3. Tempore concubitus toto corpore voluptas percipitur. *Seminis Materia secundū Hippocr.*

Galenus Seminis materiam putat esse pinguiorem & puriorem Sanguinis, portionem, q̄ tradunt Testes Primariò in sui alimentum, Secundariò ad prolem. Huc facit Quia 1. Spermatica vasa sunt sinuosa: ob quē enim finem talia sunt, nisi vt longiore mora diligentius semen elaboretur. *Galenus de Materia Seminis.*

2. Quod Filij Parentibus similes nascuntur non videtur adscribendum Materiæ, sed Formæ potius: concurrunt enim vectore Spiritu à præcipuis Partibus in Testes tres facultates: videlicet Naturalis ab Hepate, per Venas Spermaticas, postea Vitalis à Corde per Arterias, demum Animalis à Cerebro per Neruum, quem à Cerebro ad Testes deferri Vesalius obseruauit. Ex illo triplici Spiritu fit Re & Substantia vnus, Facultatibus triplex qui à Diuiniore officio Procreator nominatur: Hic omnibus Facultatibus, quæ corpus nostrum regunt informatus, quid mirum si simile procreet.

Spiritus à Partibus 3. in Testes deriuat facultates.

3. Aliquando Venere immodica Sanguis ruber effluit in Venis Spermaticis præparatus.

4. Dextra Spermatica à Vena Caua exoritur; quare? vt videlicet de fonte hauriat.

Testes quomodo sanguinem in semen conuertant.

Testes igitur Sanguinem in Vasis Spermaticis præparatum in Semen prolificum conuertunt, vel Facultate Seminifica, hocque fit πεφυκότως, & non minus illis naturale est, quam Igni calefacere: Vel conuertunt Ministerio insiti Caloris & Spiritus quemadmodum etiam Ventriculus conuertit Alimentum in Chylum, Hepar conuertit Chylum in Sanguinem, Mammæ vero Sanguinem in Lac.

Testes Virilis differũt à Mulierib. Andreas Laurentius lib. 7. cap. 10.

Potest tamen dici, semen defluere à Toto; verum non mole sed viribus non Materialiter sed Formaliter. Testes Muliebres vteri lateribus vtrinque singuli accumbunt, & differunt à Virilibus 1. Figura quia non ita rotundi, & anterius posteriusq; depressi sunt. 2. Situ, quia Lumborum musculis insident, nec extra abdominis Cauitatem prominent penduli. 3. Magnitudine, quia minores. 4. Substantia, quia molliores, multis vesiculis sibi mutuo adnatis instar fere varicosi corporis referti. 5. Temperamento, quia frigidiores. 6. Structura seu Compositione, quia vnicam habent tunicam, non 4. vt viriles: habent etiam mollia Epididymida.

De Mẽstruo. Definitio.

Menstruum est alimenti vltimi Partium Carnosarum Excrementum, quod certis temporibus & statis periodis, moderata Quantitate per Vterum expurgatur ad animalis generationẽ & Nutricatũ.

Sex generalia indicat hæc Definitio.

Hæc Definitio exprimit Menstrui sex Capita videlicet 1. Materiam, quæ est residuum alimenti vltimi, Sanguis quippe superfluus, qui in Muliere redundat, vel ob debiliorem eius calorem, qui reliquias discutere nequit, vel ob Carnium mollitiem & laxitatem, vel ob victũ

1. Materiã.

rationem, quia delectantur Humidioribus alimentis & tepidis aquarum

rum Balneis, Integræ etiam noctis somnum in multam lucem protrahunt, tum degunt etiam vitam inertem.

2. Causam efficientem, quæ est Natura sui conseruatrix, quam Venæ his alimenti reliquiis oppletæ, & Sanguinis sua copia grauantis ponderе onustæ, ad excretionem stimulant. *2. Causam efficientē.*

3. Tempus: quod est Vniuersale vel Particulare. Vniuersale pleruncq; incipit septenario secundo hoc est anno 14. Quia ante hoc tempus 1. Vasa sunt angustiora. 2. Calor humoris Copia pene obrutus reliquias pellere nequit. 3. Maxima Sanguinis portio in incrementum abiit, Viarum Amplificatio, Humorū tenuitas; Expultricis Facultatis, robur; Mares incipiunt πεαγίζειν καὶ ἀφροδίξευς; item puellis turgent mammæ; Corpus libidine titillatur, & genitalia noua lanugine inspergitur. Definit vero Tempus Vniuersale septenario septimo, hoc est anno 49. vel 50. Quia primò Calor debilior, non amplius laudabilis Sanguinis reliquias generat, nec eas si supersint, expellere potens est. Secundò Cessante cōcipiendi Facultate cessat etiā nutriēdi necessitas. *3. Tempus Vniuersale vel Particulare.*

Tempus Particulare hoc fit in mense semel vel in plenilunio, vel decrescente Luna, & durat Viraginibus per triduum, Moderatis per quatriduum, Mollibus & otiosis per septimanam.

4. Quantitatem: hæc definiri non potest, quia ꝑfluit nunc Sanguis parcius, ꝑ varietate coloris, indè Temperamenti vel Calendulæ menstruo abundant, vel Nigellę sunt ficciores & magis astrictæ: ꝑfluit Sanguis nunc largius, ꝑ varietate Ætatis, Habitus & Tempestatum anni. *4. Quantitatem.*

5. Vias: hæ sunt expurgationi dicatæ, vt Venæ Vteri, quæ excurrunt ab Hypogastrico & Spermatico Ramo ad Vteri fundum & Cervicem: Vel Vterus ipse. *5. Vias.*

6. Vsum: hic duplex est 1. Generatio Parenchymatum & Carnium. 2. Puelli nutricatus, isque vel intra Vterum, quando conceptus puellus nutritur sanguine menstruo, vel extra Vterum, quando natus infans alitur sanguine in mammis in lac conuerso. *6. Vsum duplicem.*

Excrementa Qualitate alia sunt Vtilia, alia Inutilia: Vtilia vt sunt Excrementa Chymo-eos tria: Fel, Limus, Serum: his recipiendis Natura tria, instrumenta fabricauit: ad receptionem 1. Fellis, vesiculam, quæ attrahit amariorem Bilis naturalis portionem. *Excrementa Chymoseos & cotionis.*

2. Limi, Lienem, qui cum Sanguine Melancholico quem pro alimento trahit, permistum limum exugit: hic limus aliquibus per hæmorrhoidas expurgatur. *Excrementa vtilia 3.*

3. Seri,

3. Seri, Renes, qui cum Sanguine Serum emulgent per Venas, quæ inde Emulgentes appellantur. Trahit autem Vesicula, Fel sine Sanguine, habet enim Venas Cysticas, à quibus Alimentarium Sanguinem haurit, Lien vna cum Limo, & Renes vna cum Sero trahunt Sanguinem, quem secernunt & sibi assimilant.

Rationes Vtilium triplices.

Dicuntur autem Vtilia, quia Vsus suos adhuc habent: 1. Fel, Vesicula sua aliquandiu cum Voluptate contentum, vbi quantitate & mora longiore incipit esse molestum, per meatum Calidocum ablegatur in ἔκφυσιν vel vt sit Clyster naturalis ad stimulandum excretricem, vel vt mucum intestinis infarctum elucit, vel vt tingat alui proluuiem, qui alioquin alba redderetur.

1.

2. *Ratio.*

2. Limi melior portio in ventriculum ablegatur, partim vt ventriculi augeat appetentiam: est enim Melancholia acida, acidis autem fames excitatur: & facit vt Ventriculus in se contractus cibos arctius complectatur, & melius coquat; vel vt adiuuet Concoctionem.

3. *Ratio.*

3. Serum; priusquam à Renibus emulgeatur, Anadosim facilitat: nam Sanguis alibilis, quia est crassus & pinguis, difficilime distribuitur: propterea sero diluitur, vt facilius quoquo versum peruadat: hinc alimenti Vehiculum ab Hippocrate appellatur.

Inutilia Excrementa videlicet coctionis triplicia.

Inutilia Excrementa sunt Excrementa Coctionis: quæ triplex est 1. Χύλωσις, cuius Excrementum est stercus, per coctionem enim fit Chylus ex Alimento in Ventriculo. 2. Αἱμάτωσις, cuius Excrementum est Vrina per coctionem fit Sanguis ex Chylo in Hepate. 3. Ὁμοίωσις cuius Excrementum est sudor, per coctionem fit Gluten, ex Sanguine, in Singulis Partibus.

Necessitas Coctionis.

Coctio autem necessaria est, quia alimentum ex naturis differentibus constat plurimo Sicco & pauco Humido: nutrimur autem 1. Solo Humido, eoque dulci non amaro, acri aut acido. 2. Non Sicco. Quia igitur caloris est cogere Homogenea, separare Heterogenea, prouida Natura retinet Humidum dulce, reliquum tam Humidum, Siccum separat & foras excludit.

Generatio Excrementorum.

1. Stercoris.

Generantur autem tria hoc modo: 1. Stercus: Hepar enim Mesenterio veluti manu Chylum, etiam ex tenuibus intestinis sugit, eò enim desinunt Venæ Mesaraicæ: quod relinquitur Crassum, Siccum & inutile Excrementum, stercus nominatur: & inter Humores refertur, quia feces Sanorum debent esse Humidæ & molles consistentiæ mellis.

2. Vrina,

2. Vrina, quæ est Tenuis & aqueus liquor sanguinis, analo- *2. Vrina.*
gus sero lactis concreti: quem Renes attrahunt permistum sanguini: postmodum Renes retento sanguine, serum per Vreteras in Vesicam effundunt: Inde si spectes Vrinæ Materiam, fit simul cum sanguine in Hepate, quia cujusq; Humoris suum est Excrementum: Si spectes eius Formam, accipit illam in RENIBVS, quia illic fieri incipit secretio seri à sanguine.

3. Sudor, si serum non refluit in Venam Cavam suo munere *3. Sudoris.*
perfunctam, necesse est resolvi à Calore & in sudorem converti: est enim vrinæ & sudoris eadem materia: hinc qui parum sudant, multum meiunt, & qui parum meiunt, multum sudant.

Hinc plurimum Hyeme mejimus, parum sudamus, quia ambientis frigore cutis densatur, nihilque aut minimum transpirat: In partibus etiam externis, non est tam potens Calor, vt serum in Sudorem conuertat. Hinc plurimum æstate sudamus, parum meiimus: quia externis Calor relaxat cutem, & materiam Sudoris attenuando dissoluit.

Pituita vel est Alimentaria cum sanguine mixta, prout videlicet *Differentiæ pituita, Alimentaria & superuacanea.*
est quarta pars massæ sanguinis: vel est Superuacanea quæ est vel naturalis, vel præter naturam: Naturalis hærens in Capite, ventriculo, & Intestinis, impedit ne intestina perpetuo Bilis incursu erodantur: Præter naturam quæ dicitur ratione consistentiæ, mucosa, vitrea & gypsea, ratione qualitatis, Dulcis, acida & salsa: de his in sequentibus latius.

Superuacanea naturalis vel præter naturã.

CAPVT V.

De Partibus.

PArs est corpus toti cohærens, communique vita coniunctum, ad illius functionem vsumque comparatum. *Definitio.*

Pars autem toti cohæret connexione duplici, vel Mathematica, quæ quantitatum est, vel Physica, quæ est vnio vitæ & specifica dicitur. *Pars alia Mathematica alia physica.*

In qualibet vero Parte tria spectantur 1. Structura. 2. Actio. 3. Vsus. *In parte 3. spectãtur.*

Et Structura ex triplici constat. 1. Structura, quam constituunt, substantia, Temperies & Conformatio. Substantia, cuius ratione Pars dicitur ossea, membranosa, Neruosa, carnosa & Medullosa.

Temperies quatruplex. Temperies, cuius ratione pars dicitur Calida, Frigida, Humida & sicca.

Conformatio in 5. consistit: Figura. Magnitudine. Situ & pulchritudine. Conformatio, quæ in Symmetria & naturali constitutione consistit, videlicet 1. in Figura ad quam referuntur, superficies meatus ac cauitates. 2. Magnitudine. 3. Numero 4. Situ, quo refertur Partis sedes & connexio cum alijs. & 5. ad conformationem partium Galenus quoque refert Pulchritudinem.

Actio duplex 2. Actio quæ duplex est, vel communis vt Nutritio, vel propria, quæ iterum duplex, Princeps & Principi ministrans.

Vsus duplex. 3. Vsus qui duplex est, primus & secundus: Primus qui sequitur Actionem, vt videndi actio confert animali, vt nocitura fugiat. Secundus, qui præcedit actionem, sic in oculo crystallinus Humor visionem edit primario &c.

Corpus humanum dupliciter consideratur. Corpus viuens in tria diuiditur. Corpus præterea humanum, tanquam totum integrans considerator dupliciter, primo aut prout est Corpus viuens, ita diuiditur. 1. in nutrienda quæ Hippocrates vocat continentia, Alexander vero solida, 2. in nutrientia quæ Hippocrates vocat Contenta, Alexander Humida. 3. in Impellentia quæ Hippocrates vocat Impetum faciens tia, Alexander spirituosa.

Partes humani corporis tres principes, Cerebrum Cor & Hepar. Secundo consideratur Corpus simpliciter: ita varie diuidi potest: considerantur enim hoc modo eius Partes 1. prout sunt aliæ Principes, & ignobiles: Principes, quæ videlicet ad totius indiuidui conseruationem sunt necessariæ: earum sunt tres vt Cerebrum vnde proficiscitur sensus, postea Cor vnde proficiscitur Vita, vltimo Hepar vnde proficiscitur corporis vniuersi Alimentum.

Partes ignobiles. Partes ignobiles, quæ videlicet principibus famulantur, earum diuersi sunt gradus, quia quædam Principibus seruiunt, vel aliquid præparando, quæ dicitur seruitus præparatoria, vel aliquid deferendo, quæ dicitur seruitus Latoria.

Partes similares & dissimilares. 2. Partes considerantur prout sunt similares vel Dissimilares: Similares, quæ definiuntur ratione vel materiæ, vel Formæ: materiæ, quæ in partes sibi similes diuiduntur; vel Formæ, quæ vndique vniformem habent Figuram. Sunt etiam partes similares adhuc duplices. 1. Vel quarum reuera vniuersæ particulæ inuicem eiusdem sunt

Partes simi- speciei: seu quæ in partes alterius naturæ, rationis seu speciei diuidi

neque-

nequeunt: hæ 8. sunt, Os, Cartilago, Fibra, Membrana, Ligamentum, Tendo, Caro simplex & Cutis. *lares octo, Os, Cartilago, Fibra, membrana, Ligamentū, Tēdo, Caro Simplex, Cutis, Vena Arteria.*

2. Partes similares sunt, quæ non reuera vndique sibi similes sunt, & eiusdem naturæ & speciei, sed sensus duntaxat iudicio, harum sunt 2. Vena & Arteria: constat enim membranis & fibris: rebus diuersæ naturæ ac speciei.

Dissimilares partes sunt, quæ definiuntur, quæ & in partes dissimilis naturæ, & diuersæ speciei diuidi possunt.

Similarium partium differentias considerat aliter Philosophus, aliter Medicus: Philosophus, quia primis qualitatibus suas differentias capit: quæ etsi quatuor sunt; tamen quia caliditas & frigiditas actus quodammodo sunt: Actus vero secundum se indiuisibilis: partium similarium statuit tantum alias Humidas, alias Siccas: Humidas, hæ 1. vel sunt proprie ita dictæ, & suapte natura suis terminis sese continere nequeunt vt Sanguis, 2. vel Molles, quæ suis terminis sese magis continent vt Caro. Siccas statuit, hæ dicuntur, quarum superficies compressa difficile, vel nihil cedit: earum duo sunt genera Fragiles & Lentæ: Fragiles quæ flecti sine partium dissolutione nequeunt, vt Ossa. Lentæ, quæ flecti sine partium dissolutione possunt, vt Ligamenta, Membranæ &c. *Philosophus considerat partes Similares.*

Medicus considerat, qui suas differentias à sensilibus & materialibus generationis principijs colligit, quæ duo sunt vt 1. Seminis Crassamentum. 2. Sanguis: Ita partium similarium sunt aliæ Spermaticæ, aliæ Carnosæ: Spermaticæ, quæ immediate ex Seminis crassamento generantur: earum variæ sunt Differentiæ: quia semen etsi videatur similare, habet tamen partes dissimilis naturæ: alias videlicet crassiores, tenuiores, pingues, glutinosas, Tensioni & Concretioni idoneas. *Medicus cōsiderat partes similares. Partes similares Spermaticæ.*

In hac seminis Partes dum vis procreatrix agit, diuersas Partes effingit: videlicet ex idoneis vt Tensioni, Membranas, Arterias, venas, neruos: Concretioni vt Ossa & Cartilagines.

Carnosæ partes, quæ ex sanguine generantur, earum tria sunt genera, quia triplex est Caro: est namque 1. Caro Musculorum, quæ propria caro est. 2. Caro Viscerum, quæ παρέγχυμα dicitur, quasi affusio sanguinis. 3. Singularum partium peculiaris. *Partes similares Carnosæ. Caro triplex.*

Similarium partium necessitas duplex est 1. vt ex his fiant Dissimilares 2. vt sint sedes virtutum sensificarum.

Dissimilares partes κατ' ἐξοχὴν vocantur Organicæ, quia perfectior & euidentior est earum actio: & quia in compositis Partibus magis lucent, quam in simplicibus quatuor organi naturam constituentia, vt sunt: Figuræ concinnitas, magnitudo, numerus, situs. Est autem Organum Animalis pars, qua perfectam actionem edere potest: Organorum autem Galenus 4. ordines statuit: sunt enim 1. Organa simplicissima, quæ ex solis similaribus constant, vt Musculi: 2. quæ coagmentantur ex primis, vt Digiti. 3. quæ coagmentantur ex secundis, vt Manus. 4. Quæ coagmentantur ex tertijs vt Brachium.

4. Constitutentia naturæ Organi.

Organorum 4. ordines, secundum Galenum.

4. Partiũ genera in Organo.

Rursum in perfectissimo Organo 4. partium genera obseruantur earum videlicet 1. à quibus primario editur actio, vt Humor Crystallinus in Oculo. 2. Sine quibus actio non fit, vt nerui oculorum. 3. Per quas melius editur, vt oculorum tunicæ. 4. Quæ actionem conseruant, vt Palpebræ.

CAPVT VI.

De Ossibus.

Definitio.

OS est Pars similaris, omnium Siccissima & Frigidissima ex seminis Crassamento terreo pinguiq; à vi formatrice per caloris vim genita ad totius stabilimen, rectitudinem & Figuram.

Forma Ossium.

Hæc definitio complectitur ossis 1. Formam, 2. Materiam, 3. Causam & 4. Finem. 1. Formam, quæ consistit in qualitatibus vt primis vel secundis: primis vt vel Siccitate, est enim os siccum ob humidi & pinguis exhaustum, quem fecit intensior calor: vel Frigiditate, est enim os Frigidum, quia vanescit Calidum per Humidi defectum. In qualitatibus secundis primas subsequentibus primo Duritie est enim os Durum non concretione, vt glacies, igne enim dissolueretur, neque tensione vt tympanum, sed siccitate vt lignum. secundo Grauitate, est enim os graue, tum quia terreum, tum quia aër & aqua in eo sunt valde condensata. Tertio Candore, est enim os album quia Spermaticum.

Materia Ossium.

2. Materiam, quæ est seminis crassamentum, crassior quippe & terrea eius Pars.

3. Cau-

3. Causam Efficientem, quæ est vis Formatrix, & vtitur calido tanquam architecto, & spiritu tanquam opifice & pictore, his tribuit Philosophus, Ordinationem, Secretionem, Concretionem, Densationem & Rarefactionem. *Causa efficiens ossium.*

4. Finem, qui est, vt ossa toti corpori exhibeant 1. Stabilimen, quia sunt velut propugnacula aduersus omnes impetus. 2. Rectitudinem, quia rectum sine ossibus stare animal non posset, sed serpentum more reperet. 3. Figuram, quia ab ossibus corporis proceritas & incrementi meta dependet. Huius Finis ratione obtinuerunt ossa substantiam Duram & solidam, quia id fulcri & propugnaculi natura postulabat: sic etiam obtinuerunt ossa substantiam Insensilem, ad δυσπάθειαν, hoc est, patiendi difficultatem. *Finis ossium.*

Ossis essentiæ temperiei quippe cohærent vel accidunt: cohærent qualitates tractabiles vt Duities, Mollities, Densitas, Raritas, hinc ossium differentiæ sumuntur videlicet à Duritie & Mollitie, vt ossium alia vel Durissima vt quæ Lapidosa dicuntur; alia Mollia, πρὸς ἓν vt Ethmoidea & Epiphyses: alia Dura simpliciter, vt cætera ossa omnia. *Ossium differentiæ. Ossium cohærentia.*

Accidunt 1. Magnitudo, 2. Figura, 3. Situs, 4. Motus, 5. Sensus. Hinc ossium differentiæ sumuntur videlicet à Magnitudine, quod ossium sint alia magna, mediocria & parua. *Ossium Accidentia.*

2. Figura, quod quædam plana, rotunda, trilatera, quadrilatera &c. huc referuntur meatus, cauitates, leuitas & Asperitas. *Ossium differētia vel: à magnitudine. Figura.*

3. Situ, hinc duplex differentia peti potest: quia Situs nomine intelligitur sedes & Connexus, sedes: hinc erunt alia superiora, inferiora, Antica & Postica. Connexus cū alijs hinc connectuntur alia per Musculos, Vincula & Cartilagines. 4. Motu, quod quædam mouentur, vt quæ per Mathrosin articulantur: quædam non mouentur, vt quæ per Synarthrosin connectuntur. *Situ, motu vel sensu.*

5. Sensu, quod quædam sentiant vt dentes, quædam non sentiant, vt reliqua Ossa omnia.

Spectantur autem in Ossibus vel eorum partes, vel eorum Cauitates: Partes, quæ tres sunt: Prima præcipua quæ dicitur os totum & est basis & velut centrum Epiphysεῶν, & apophysεῶν. *Ossiū partes*

Secunda Pars ossi adnata quæ dicitur Epiphysis, & est os per se toti ossi per Symphysim annexum, non autem Ossis cum osse vnitio. Est autem Epiphysis in quibusdam Ossibus 1. vel nulla, vt inferiore *Epiphysis.*

maxilla. 2. Vel vna, vt costarum radicibus & puerorum dentibus. 3. Duplex, videlicet vtrinque vna, vt in Tibia, Perone, Humero, cubito, radio. 4. Triplex, vt in osse Ilium 5. Quadruplex vt femoris osse, tres superiore parte, vnica inferiore. 6. Quintuplex, vt in vertebris, duæ in transuersis processibus, quæ in corpore, vnica in spina.

Vsus Epiphyseon quatruplex.

Epiphyseon vsus est 1. vt sint operculum ossium medullosorum. Galenus. 2. vt sit firmior articulatio; latiore enim Basi melius firmantur ossa. Galenus. 3. Vt ex his ligamenta oriantur, quæ vel ossa connectunt, vel musculorum tendines efformant. Andreas Laurentius. 4. Vt sint Ventres ossium, in quibus coquatur ossium alimentum, quod sensim in eorum cauernas percoletur. Hippocrates.

Apophysis.

Tertia Pars os ossium protuberans, dicitur Apophysis, & est pars ossis legitima, ex ipsomet osse prorumpens & extra superficiem planam extuberans.

Vsus Apophyseon.

Harum vsus est 1. ad multarum partium præsertim Musculorum exortus & insectiones 2. vt quibusdam partibus propugnaculi vicem gerant, vt in vertebris & scapulis apparet.

Cauitates ossiũ vel profundæ, vel superficiariæ.

Ossium Cauitates seu sedes, quæ Articulationis gratia constructæ sunt: earum sunt duæ differentiæ vel profundæ, quæ κοτύλαι dicuntur, quales apparent in Ischio & osse Scaphoide: vel Superficiariæ, quæ γλῆναι dicuntur, á Forma sinuum ocularium, qui palpebris clausis apparent.

Articulationis & Symphyseos natura.

Ad motuum varietatem Ossibus diuersi generis structura & compositio necessaria fuit: Huius autem Compositionis modus duplex est: Connectuntur enim ossa 1. aut per ἄρθρον hoc est articulationem vel per Symphysin: ἄρθρον hoc est articulationem: ea definitur naturalis ossium structura, in qua duorum ossium extrema sese tangunt, vt tota articulationis natura in extremorum contactu consistat: Est autem triplex 1. Laxa, quæ ἀμφάρθρωσις dicitur, & motu manifesto fit: huius sunt tres Species 1. ἐνάρθρωσις, ea est cum excipientis cauitas admodum profunda est, caputque quod in eam inseritur oblongum: Talis est articulatio Femoris cum Ischio. 2. Laxæ species, ea est cum cauitas est superficiaria, & caput depressum, vt inferioris maxillæ cum osse temporum, occipitis cum primo Spondylio Articulatio. 3. Tertia species γιγλυμὸς, est quando os idem & excipit & excipitur, vt in fenestris & ostijs visitur. Fit autem duobus modis, vel enim idem os ab vnico osse excipitur & excipit simul: huius exem-

Articulatio triplex Laxa, stricta, & Neutra.

Laxæ tres species.

1.

2.

3. Species duob⁹ modis fit.

plum

plum est, in cubito & Brachio. Vel excipit vnum, & excipitur ab alio: huius exemplum est in vertebris.

Stricta articulatio, consistit in tribus speciebus.

2. Articulatio stricta, quæ συνάρθρωσις dicitur, & nullum motum habet, aut saltem δυσεκτὸν, hoc est vix Aspectabilem: huius tres sunt species, ῥαφὴ, ἁρμονία & γόμφωσις.

Prima species ῥαφὴ hoc est, futura ea est compositio consutis rebus similis, quæ duplex 1. Serrata, quæ serrarum inuicem suis spiculis iuncturarum Formam refert, qualis in capite cernitur, dicitur περικρανίδιον. 2. ad Vnguem, ea duorum Vnguium sese subeuntium Figuram exprimit.

1. ῥαφὴ duplex.

2. ἁρμονία.

Secunda Species ἁρμονία, quæ est Articulatio per simplicem lineam, rectam vel obliquam aut circularem, sic maxillæ superioris ossa fere omnia iunguntur.

Tertia species γόμφωσις, quæ est, cum os ossi claui modo infigitur, vt Dentes.

3. γόμφωσις.

Neutra seu dubia Articulatio, hoc est nec omnino διάρθρωσις nec omnino συνάρθρωσις, sed vtriusque particeps: Synarthrosis quidem ratione obscuri motus, diarthrosis autem ratione compositionis hoc est cauitatum & capitum: talis est Articulatio costarum cum sterno & vertebris, item ossium Carpi & Tarsi.

Articulatio neutra.

Ossa quæ per Simphysin connectuntur: est autem σύμφυσις ἕνωσις ὀστῶν φυσικὴ, hoc est naturalis ossium vnio, per quam ossa, quæ duo erant, continuantur & vnum fiunt: consistit ergo natura symphyseos in continuitate, sicut articulationis in contiguitate & solo extremorum contactu: Est autem duplex sine medio, & cum medio; sine medio, ita coalescunt ossa mollia & fungosa, vt epiphyses fere omnes, vtpote molles & Cartilagineæ: cum medio, quemadmodum Ossa Sicciora & Duriora non nisi alicuius corporis interuentu vniri possunt. Estque hoc medium triplex: Cartilago, neruus & Caro.

σύμφυσις.

Natur. συμφύσεως.

Duplex sine medio & cũ medio.

Cum medio triplex.

Hinc tres symphyseos differentiæ. 1. συγχόνδρωσις, cuius exemplum est in ossibus pubis & maxillæ inferioris. 2. συνδέρωσις, cuius exemplum est in omni diarthrosi: intelligitur autem per Neruum σύνδεσμος, hoc est ligamentum. 3. συσαρκωσις, cuius exemplum est in osse hyoide & scapulis: per carnes autem intelliguntur Musculi.

Tres Differentiæ symphyseos.

Vniuersa ossium series diuiditur tripartito, Primò in caput, Secundo in Truncum, Tertio in Artus.

Ossiũ omniũ enumeratio.

Primo

Ossa Capitis. Primo caput, cuius nomine intelligitur 1. Calua: 2. Facies: Cal-

Calua constat ossibus sex proprijs & duobus cõmunibus: ua, constat ossibus octo vt sex proprijs & duobus communibus: Propria sunt, Os frontis, Os occipitis, duo Sincipitis, & duo Temporum, in his continentur ossicula 3. Stapes, Incus, Malleolus: communia sunt, Os Sphenoides & Os Ethmoides.

Maxilla Inferior & superior. Secundo Facies, illa continet Maxillam vtramq; & superiorem, quæ constat ossibus 11. Et inferiorem quæ constat ossibus duobus: vtrique articulantur dentes 16. ex quibus sunt 4 τομεῖς incisores. 2. κυνόδοντες Canini & 10. γόμφιον & μύλοι molares.

Trunci diuisio in spinã. Costas, & os innominatum. Secundo diuiditur ossium series in Truncum, qui vel diuiditur 1. in Spinam; 2. Costas, & 3. Os innominatum. 1. Spinam, quæ quatuor habet partes: Prima est Ceruix, cuius 7. sunt vertebræ. Secunda est dorsum, cuius 12. sunt vertebræ. Tertia sunt Lumbi quorum 5. sunt vertebræ. Quarta est os sacrum cuius 4. Ossis sacri extremum dicitur Coccyx. 2. In costas diuiditur Truncus, quarum sunt vtrinque 12. septem veræ & quinque Spuriæ: his annectuntur, Os sterni parte anteriore, & Clauiculæ parte superiore, postremo Scapulæ parte posteriore. 3. diuiditur in os innominatum, huius 3. sunt Partes, Ilium, Ischium & Pubis.

Spinæ 4. Partes. Costarũ 7. veræ, & 5. Spuriæ. Ossis innominati 3. Partes.

Ossis innominati 3. Partes. Tertio ossium series diuiditur in Artus, quorum duo sunt Manus & Pes: Manus diuiditur primo in Brachium, huius est vnicum Os: Secundo in Cubitum, qui constat Radio & Cubito: Tertio, in extremam manum quæ finditur 1. in Carpum, huius 8. sunt ossa. 2. Metacarpum huius sunt 4. 3. in Digitos, horum sunt 15. his sesamoidea addere licet.

Pes diuiditur in Femur, Tibiã, & extremũ pedem. Pes, qui diuiditur 1. in Femur, huius vnicum est Os. 2. in Tibiam huius duo sunt ossa peritone & Tibia cum rotula. 3. in Extremum pedem: huius tres sunt partes 1. Pedium seu Tarsus, huius 7. sunt ossa. 2. Metapedium seu Metatarsus, huius 5. sunt ossa. 3. Digiti horum sunt 14.

Pedis extremi, tres partes: Pedium Metapediũ & Digiti.

His omnibus additur os Ypsiloides, quod cum cæteris nullam articulationem habet.

CAPVT

CAPVT VII.

De Cartilaginibus.

CArtilago est pars similaris frigida & sicca ex crassa seminis parte, quæ Caloris vi concreuit, genita, ad motuum varietatem securitatemq; & ad externos impetus eludendos. *Definitio.*

Est igitur Cartilaginum Temperies; Frigida & sicca, vel ab exhaustu Humidi á Calore, vel inopia Calidi vanescentis. *Temperies Cartilaginum.*

Cartilaginum materia est seminis Crassamentum. *Materia cartilaginum.*

Causa efficiens Cartilaginum, est Calor procreatricis facultatis (cui formatrix & alteratrix inseruiunt) immediatum organum: est autem hic calor non extendens vt in membranis, non perforans, vt in venis & arterijs, sed cogens. *Causa efficiens.*

Finis seu vsus Cartilaginum est communis & peculiaris. Communis duplex est: videlicet vt Cartilagines ossium Diarthrosi iuncto-rum motus 1. reddant faciliores: est enim Cartilago læuis & polita; hinc ossium asperitates læuigando, lubricandoque eorum capita ad motum promptiora reddit: vnde etiam fit, vt omnes mobiles articuli cartilagine incrustentur, & ossium capita, qua parte sese tangunt læuigine illinantur. 2. vt reddant securiores: ossium enim sinus adauget Cartilago, ne prompte luxetur articulus, vt apparet in articulatione Humeri cum scapula, & alijs plerisque. 3. Vt reddant Diuturniores: cartilaginis enim interiectu conseruatur motus & fit Diuturnior: cum enim ossium extrema sint durissima, mutuo contactu varioque motu contererentur, tandemque motus cessaret, in cartilagine mollire ossa obducerentur. *Finis.* *Cõmunis & peculiaris.* *Communis triplex.* *Peculiaris vsus cartilaginum.*

Secundus vsus Cartilaginum communis est: vt Impetus molliter cedendo eludant, & ab occursantibus iniiurijs tutentur partes subiectas & Connatas: Hinc Cartilagineæ sunt Costæ in fine vt cor defendant: Item Aures & Nares.

Peculiaris vsus Cartilaginum: Hinc aliæ inseruiunt visioni, Auditui, odoratui, deglutitioni, respirationi, Appræhensioni, & progressioni.

Differunt Ossa & Cartilagines secundum magis & minus: *ossa differũt*

secundũ magis & minus.

nam Ossa Cartilaginibus sunt duriora, sicciora & frigidiora: Cartilagines vero sunt læues, politæ, & pellucidæ: tum Cartilagines etiam non habent Medullam, cauitates, vel Cauernulas; & quia non habent eandem crassitiem & soliditatem cum ossibus, facile illorum substantiam alimentum permeat.

Cartilaginum differentiæ.

1. à substantia, aliæ molles aliæ duræ.

2. à Magnitudine aliæ magnæ aliæ paruæ.

3. à Figura.

1. χιφοιδες

2. Annularis

3. Scutiformis.

4 Arytænoides.

4. A Situ.

5. Vsu.

6. Connexione, dupliciter. Immediate & interiectu.

Cartilaginum differentiæ inter se desumuntur: vel à substantia, vel à magnitudine, Figura, Situ, Vsu, vel connexione: 1. Substantia hinc dicuntur Cartilagines: aliæ Duræ, quæ tandem euadunt in senibus osseæ, vt eæ quæ Caryngem efformant: aliæ mediocres, quæ nunquam in ossis naturam degenerant, vt Epiglottis: Aliæ molles, quæ Articulos colligant & ligamentorum naturam referunt, vnde χονδροσυνδεσμοι vocantur. 2. Magnitudine, hinc dicuntur cartilagines, aliæ magnæ, aliæ paruæ. 3. à Figura, hinc dicuntur Cartilagines, quod earum sit alia. 1. χιphoides seu Ensiculata, quæ videlicet similis est cuspidi gladij, vt ea quæ sterna appenditur. 2. Annularis, quæ videlicet similis est annulo Turcarum, quem dextro imponunt pollici sagittas emissuri. 3. Scutiformis, quæ videlicet similis est scuto. 4. Arytænoides, quæ videlicet similis est vasi, quo abluendis manibus aquam effundimus.

4. A situ hinc Cartilagines dicuntur aliæ Supernæ, aliæ Infernæ, Anticæ, posticæ, Internæ vel Externæ. 5. Vsu, hinc Cartilagines dicuntur, quod aliæ sint constructæ, primo motus gratia, secundo ad impetus externos eludendos, tertio fulcri gratia & quarto ad quarundam partium tutelam. 6. Connexione dicuntur Cartilagines 1. Quod aliæ ossibus connascantur: eæ vel ossa connectunt, vel ossibus appenduntur: Ossa connectunt Immediate & interiectu: Immediate, vt ossibus genæ inferioris aut pubis, quæ videlicet per Synchondrosin Symphyseos speciem connectuntur, vel sterni: Interiectu communium ligamentorum, vt in extremis ossium, quæ per Diathrosin connectuntur: Ossibus appenduntur, vt Cartilago Nasi, Coccygis & ea quæ χιphoides dicitur. 2. Connexione Cartilagines dicuntur, quod sint solitariæ, hoc est partem per se constituant, tales sunt Cartilagines, Ciliorum, Laryngis, Asperæ Arteriæ, Auricularum, Epiglottidis.

Cartilagines triplices

Cartilagines sicut & ossa tripartitò diuiduntur: sunt enim aliæ capitis, aliæ Trunci, aliæ extremorum: 1. Capitis, vt videlicet,

licet, Aurium, Narium, Palpebrarum, Maxillæ inferioris. 2. Trunci, qui iterum diuiditur primo in Spinam; huius Cartilagines aliæ sunt Propriæ vel communes: propriæ videlicet solius ceruicis: vt vel Larynx, huius etiam tres sunt partes ὑμεναειδὴς hoc est scutiformis: χειροειδὴς hoc est annularis & tertia ξυπηνοειδὴς: Cartilagines communes sunt vertebrarum quibus eæ connectuntur: Secundo, Cartilaginum diuisio in Thoracem huius cartilagines sunt conspicuæ in costarum & sterni extremis. Tertia Trunci diuisio est in os innominatum. *2. Trunci quæ est spinæ Thoracis & ossis innominati.*

3. Cartilagines Extremorum aliæ sunt ossium excipientium vel exceptorum, aliæ manuum, aliæ Pedum. *3. Extremorũ. Vt manuum vel pedum.*

CAPVT VIII.

De Ligamentis seu Vinculis.

LIgamentum dupliciter accipitur Amplissime & stricte: Amplissime prout intelligitur omne, quicquid partem parti colligat: sic dicuntur Vincula, Membranæ, Cutis, Arteriæ, Venæ, Nerui &c. *Ligamenti duplex intellectus.*

Stricte prout intelligitur Pars similaris & sicca, mediam inter Neruum & Cartilaginem naturam obtinens, ex seminis portione lenta Caloris vi genita, varios in colligando, continendo, tegendo, & Musculis constituendis vsus præstans.

Ligamentorum inter se differentiæ variæ sunt: dicuntur enim 1. alia à substantia Dura, Mollia, membranosa, hoc est membranis similia, quia lata, Item Neruea, hoc est rotũda instar neruorum, & Cartilaginea, quæ alias νεῦροχονδρώδη dicuntur. *Ligamentorũ differentia à substãtia. Dura vel Mollia.*

2. A Magnitudine dicuntur, parua, magna, lata & angusta. *A Magnitudine.*

3. A Figura dicuntur Lata, rotunda, continua, Perforata, transuersa, annularia & Longa. *A Figura.*

4. A Situ dicuntur superna, Inferna, Dextra, sinistra, Antica & postica. *A Situ.*

Secundum ortum & insertionem Ligamenta quoque differunt: oriuntur enim alia ab Ossibus, & inseruntur 1. vel Os: eorum- *1. Ligamentorum diffe-*

rentia secun dum ortum quatruplex.

que alia firmant articulos: alia ossa ambo colligant sine articulo: alia tendines muniunt & induunt: 2. Inseruntur vel in Cartilaginem, vt apparet in genu, & duo sunt vnum à condyli interni radice interna promanans: alterum illi subditum. 3. Inseruntur vel in musculorum capita, hæc varia sunt. 4. In aliam partem, vt gemina maximam penis partem constituentia, ex ossibus pubis orta.

2. Oriuntur etiam alia ligamenta dupliciter.

Oriuntur etiam alia Ligamenta à Cartilaginibus & inseruntur 1. vel in Cartilagines vt quæ Caryngis Cartilagines connectunt, item quæ Bronchia Arteriæ colligant, vel quæ sunt in imo fine Coccygis. 2. Inseruntur in Musculorum capita, vt quæ in proprios Laryngis musculos feruntur.

3. Ligamentorũ ortus.

3. Oriuntur alia Ligamenta à membranis: horum pauca sunt.

Vsus Ligamentorũ varius.

Vsus Ligamentorum varius est: alia enim 1. Firmant ossa & Cartilagines luxationemque impediunt: hæc sunt vel communia, videlicet vndique articulum cingentia, tenuia, membranosa: vel sunt propria, videlicet crassiora & fere rotunda. 2. Deuinciunt ossa, qua parte non articulantur: sic colligant tenuia quædam ligamenta vt Radium Cubito, Tibiam perone. 3. Apponuntur Indumenti instar extrinsecus ad tendinum tutelam: sic teguntur secundum longitudinem vinculis tendines digitos vel flectentes vel extendentes. 4. Prohibent attritum interiecta inter os & tendinem. 5. Continent suis locis tendines, eos firmant, & tuto transmittunt, vt sunt vincula transuersa carpi, annulo cuidam similia, ideoque annularia dicta. 6. Discriminant Musculos, Dextros à sinistris, Anticos à posticis, Internos ab Internis, vt apparet in Cubito & radio, Tibia & perone. 7. Augent non secus ac cartilagines ossium acetabula. 8. Suspendunt viscera, ne nimio pondere decidant, vt sunt Ligamenta Hepatis, vesicæ & Vteri. 9. Concurrunt ad Musculi structuram: fit enim Tendo ex permixtis Fibris Nerui & Ligamenti.

Ligamenta triplicia.

Sunt autem Ligamentorum alia Capitis, alia Trunci, alia Extremorum.

Ligamenta capitis vel totius vel partium.

Capitis Ligamenta sunt alia totius, alia partium: Totius; cum enim Caput super prima & secunda vertebra moueatur, arctissimis vinculis colligari debuit: Hæc ligamenta tria sunt præcipua, Primum maximum & latum, primam vertebram capiti connectens, totum articulum in orbem complectitur, hæc duas habet partes, quarum altera Crassam membranam referens, ad internam primæ vertebræ par-

1. Secundum totum sunt triplicia.

partem fertur: altera externum articulum ambit.

Secundum Apophysin secundæ vertebræ dentiformem capiti alligat: hæc tribus constat partibus, quarum duæ ab externa dentis sede ortæ in coronas occipitij Internas inseruntur: tertia nerui instar rotunda ab anteriore dente enata, in foramen amplissimum medullæ sacræ dicatum desinit, eique adhæret valide. *2. Apophysis 3. constat partibus.*

Tertium Nerui Figuram referens, primæ vertebræ cauitatem denti suscipiendæ dicatam circumdat, & processum pyrenoidi constringens, ita eum firmat, vt in neutram partem inclinet, medullam etiam tuetur, ne nudo ossi occurrens lædatur.

Partium capitis Ligamenta sunt vel maxillæ vel Faucium: maxillæ vt superioris vel inferioris: superioris, huius ligamenta inter sutturas & Harmonias tenuia sunt, & membranosa ad Musculorum exortum constructa: ab illis enim musculorum faciei & vicinarum partium tendines oriuntur. Inferioris, quam cum osse Temporum colligat ligamentum commune, membraneum, totum Articulum obuoluens. *Ligamenta partiū sunt Maxillæ Faucium. Maxillæ vt superioris vel inferioris.*

Faucium: hinc duo Ligamenta à maioribus ossis hyoidis processibus oriuntur, quibus summa linguæ pars deuincitur: Hinc Linguæ vnum proprium est Ligamentum satis validum, cuius auxilio suffulta Linguæ mollities, facilius fibrari & produci potest: hoc ad dentes vsque anteriores producitur, & nisi obstetricis perfringeretur manu, voces articulatas vix proferre possemus. *Faucium 2. Ligamenta.*

Trunci Ligamenta sunt alia: Primo spinæ, cum enim vertebrarum varij sunt motus, vinculis ea colligari debuerunt: & cum in vertebris obseruentur vel corpora vel apophyses, duorum generum. Ligamenta ibidem subiecti, alia quæ Corpora vertebrarum connectunt, alia, quæ oriuntur à processibus vel transuersis, ob musculorum & costarum compagem, vel à processibus acutis, vt vertebræ firmius colligentur. *Trunci Ligamenta alia spinæ.*

Trunci Ligamenta: Secundo Thoracis hæc sunt, 1. Ossis pectoris; quod cum clauiculis proprij ligamenti interiectu alligatur. 2. Costarum: hæ enim qua parte articulantur cum vertebris, connectuntur validis & fere cartilagineis Ligamentis, à Vertebrarum transuersis processibus ortis: vel cum sterno, tenuia habent ligamenta. *Alia Thoracis.*

Tertio Ossis sacri, cuius duo peculiaria rotunda Ligamenta *Ossis sacri.*

ſunt, quæ ab eius ima parte in acutum coxendicis proceſſum ferũtur, huncque Oſſi ſacro validius ſtringunt, & rectum Inteſtinum, eiuſque Sphyncteres muſculos ſuſtinent.

Oſſis Innominati.

Quarto Oſſis Innominati, hæc alia oſſium vt: Ilij, quæ illa cum Oſſe ſacro colligant, Ligamenta membranea: vel Pubis quæ ea Cartilagine iuncta firmius connectuntur, ſunt hæc vincula communia.

Extremorũ Ligamenta alia manuũ alia pedum. Manuũ alia ſunt cõmunia, alia propria.

Extremorum Ligamenta alia ſunt Manuum, alia Pedis: Manuum quarum Primo alia ligant Brachium cum Omoplata: & hæc ſunt communia & propria: Communia, quæ tenuia ſunt, & membranoſa articulum vndique cingentia. Propria, hæc craſſa ſunt & rotunda: eorumque 4. ſunt. 1. Latius à fine acromij in finem coracoidis. 2. Anguſtius & breuius à radice acromij in radicem coracoidis. 3. & 4. hæc muſculis bicipitis maximam partem conſtituunt, & oriuntur vnum ex Coracoide proceſſu: alterum à ſcapulæ Acetabulo. Alia ligant Brachium cum Cubito & radio, hæc communia ſunt & tenuia vincula.

Secundo alia ſunt proprie dicta: in hac alia ſunt vel Carpi vel Digitorum: Carpi in quo duo Ligamentorum genera ſunt: quorum alia oſſa colligant, vel ſunt dicata tendinibus ijſque Firmandis, vel muniendis, vel tuto tranſmittendis. Digitorum: horum Ligamenta parte interna ſecundum longitudinem ducta tendines continent, & Digitis alligant.

Ligamenta pedis.

Ligamenta Pedis: Hæc alia ſunt 1. Oſſis Femoris. 2. Tibiæ. 3. Pedis proprie dicti. Oſſis Femoris, quod cum Iſchij acetabulo copulant vincula duo: vt commune latum craſsiſſimum totum articulum ambiens: vel priuatum, quod à Cotyles fundo in medium femoris caput figitur.

2. Tibiæ hinc Tibiam alligant Cruri præter communia illa & lata, tria valida & rotunda Ligamenta: vel alligant Talo, vinculum vnum commune. Inter Tibiam & peronem, qua parte dehiſcunt, Ligamẽtum eſt tenue latumque, ſuperas Inferaſq; horum oſſium partes deuinciens, & Tibiæ Internos muſculos ab externis excernens.

3. Pedis proprie dicti: In hoc alia ſunt vel Tarſi cuius oſſa colligant ligamenta alia vicinis partibus, alia inuicem inter ſe: vel digitorum, quorum ſinguli habent Ligamentum membranoſum tendinem firmans; vel plantæ: Hæc validum & latum ligamentum habet, quod

quod ab ima parte in omnia primæ phalangis sesemoidea inseritur, ad maximam totius pedis firmitatem.

CAPVT IX.

De Tendine & Musculis.

TEndo nihil aliud est, quam ἔκφυσις quædam fibrarum Ligamenti & Nerui, quæ per Carnes sparsæ, in vnam velut Chordam coeant, qua omnes ducuntur articuli, vt voluntati visum est. Hic à tendendo dicitur, quia membrum mouendum instar chordæ intendit, & uersus Musculi caput contrahit. *Definitio.* *Tendo à Tẽdendo.*

Erat autem tendo Necessarius, qui non poterat Vinculum motum edere voluntarium, vt quod sit sua Natura immobile & insensile, vel quia non poterat neruus vastissimas membrorum moles trahere ob mollitiem & tenuitatem. Medium ergo aliquod organum, ex his ambobus fieri debuit, vinculo quidem mollius & infirmius, neruo autem durius & robustius: Huiusmodi est tẽdo, mediam inter vtrumque naturam obtinens; superat enim Vinculum sensus acumine, à neruo autem longe deficit. *Tendinis necessitas duplex.*

Vnde Galenus Tendinem fieri putat ex permistis Fibris vinculorum & neruorum: Ita tamen vt plures longe Ligamentorum, quam Neruorum sint villi: hinc fit vt sexdupla vel decupla crassitudine Tendo Neruum superet. *Galeni opinio de Tendine.*

Tendo ergo sentit & mouetur ratione Neruorum ex quibus constat: Tendo ergo ossibus musculos connectit ratione Ligamentorũ. *Tendo ossib. Musculos connectit.*

Est igitur Tendo velut Cauda Musculi, ex Fibris Ligamentorum & Neruorum ortus, motusque voluntarij Organum: Tendinem tamen obtinent Musculi non omnes, carent enim eo Musculi Linguæ, Labiorum, Frontis, Testium, Penis, Sphyncteres &c. Tendinem vero obtinent Musculi ij, qui edunt motum aut Validum vel vehementem, hinc ossium motibus destinati Musculi omnes desinunt in Tendines, vel maiores vel minores: ij etiam Musculi Tendinem obtinent, qui edunt motum continuum, hinc oculorum Musculi Tendines habent: hæc sufficiant de Tendine, sequuntur Fibræ seu Villi.

De

De Tendine & Musculis.

In genere Musculorũ sunt cõsideranda, substantia, partes & officium.

MVsculi secundum Fernelium lib. pathol. cap. 5. considerantur in genere & specie: In genere vt eius substantia, partes & officiũ: substantia constat 1. Fibris neruorum propter motum. 2. Venis propter alimentum. 3. Arterijs propter spiritus & vitam 4. Carne vt confirmaretur robur venarum, arteriarum & Neruorum. 5. Membrana tenui, quæ Musculum vndique clauderet & teneret. Partes eius 1. Caput, quod plane est neruosum. 2. Venter, in quo supradicta maxime videntur. 3. Cauda, quæ plerunque tendo est. Officium eius est, vt sit motus primarium instrumentum.

In specie singulorũ consideratur numerus & Actio.

In specie Musculorum singulorum numerus & Actio ita recensetur: pertinent enim alij 1. ad Caput, 2. Extra Caput, 3. ad Truncum & 4. ad Actus.

1. Musculi Capitis.

Ad Caput Primo: & hi siti sunt in capite particularum eius motui destinati: & sic 1. in Fronte vnicus est Musculus firmissime cuti adhærens, hic palpebras sursum adducit.

2. Musculi palpebrarũ.

2. In Palpebra superiori duo sunt Musculi quorum alter oritur ex Oculi angulo maiori, cuius contractione palpebra attollitur. Alter oritur ex angulo Minori qui oculum Claudit. In palpebra' inferiori vnus est, qui persistat immutabilis.

3. Musculi Oculorũ.

3. in Oculo Musculi sunt septem: quorum alij sunt Recti: horum 4. sunt mouentes Oculum sursum, deorsum & ad Angulum maiorem ac minorem. Alij obliqui, quorum duo sunt, oculum circumferentes. Septimus opticum neruum custodit.

4. Musculi Maxillarũ.

4. In Maxilla inferiori 4. sunt Musculi, quorum duo os Claudunt, horum alter est Maximus, ad tempora etiam ascendens: Alter minimus, qui adiutor vocatur.

5 Musculi in Labris.

Vnus os aperit. Alter Maxillam circumducit: habet Figuram trianguli, & dicitur ab officio μασητὴρ hoc est molitor. 5. In labris Musculi quatuor sunt; illi efficiunt labrorum motus octo: quatuor Rectos sursum, deorsum, Dextrorsum & sinistrorsum. Alios quatuor cum labra vel plurimum disiunguntur, alliduntur, inuertuntur vel intro adiguntur.

6. In

6. In Naso duo sunt Musculi, vtrinque vnus, qui cum musculis labro rum sub temporibus eandem habent originem, & hi Musculi Capiti sunt Insiti. *6. Narium Musculi.*

Secundò, Musculi ad Caput pertinentes, & siti extra Caput: ex his alij Caput totum mouent, qui siti sunt in collo & ceruice, horum ab alijs 24. ab alijs 28. numerantur, & prout sunt diuersi ita diuersos edunt motus. Alij Cartilagines laryngis stabiliunt ac mouent, hi laryngem fere omnes circumstant & sunt viginti quatuor. Alii Os νοεὶδὲς firmant, quorum sunt octo. Alij mouent linguam, horum sunt Nouem. *Musculi extra Caput.*

Tertiò, Musculi ad Truncum pertinentes 1. Sunt Pectoris, quorum alij seruiunt aëri inducendo, ij videlicet qui pectus dilatant: Alij fuliginosis vaporibus aducendis, ij scilicet qui pectus constringunt. 2. Sunt Scapularum, Mouentes illas sursum, retro, ad colli latera, ad priora, deorsum &c. 3. Sunt dorsi, mouentes vertebras, horum alij sunt Exteriores quorum vtrinque numerantur 23. Alij Interiores, spinam in priora incuruantes: Horum vtrinque duo sunt. 4. Abdominis, horum sunt 8. duo porrecti, duo transuersi & 4. obliqui. 5. Sunt Genitalium membrorum vel Virilium vel Muliebrium: Virilium musculi, alij sunt testiculorum, horum sunt quatuor, bini quemuis testiculum fulcientes: Alij penis & horum sunt quatuor, duo ad latera, meatum amplificantes: duo supra osse pectinis nati penem arrigentes. Muliebrium duo sunt Musculi, quemuis enim testiculus fulcit vnus Musculus. 6. Sunt Vesicæ, cui Vnicus est Musculus ceruicem in orbem ambiens, orificium occludens, & Vrinam continens. 7. Podicis, cuius 4. sunt Musculi, Vnus rotundus, podicem coangustans, hinc dicitur σφιγκτὴρ. Vnus transuersus podicem constringens: Et duo obliqui per quos podex laxatur. *Musculi ad Truncum. 1. Pectoris. 2. Scapularum. 3. Dorsi. 4. Abdominis. 5. Sunt genitalium membrorũ. 6. Vesicæ. 7. Podicis.*

Quartò, Musculi ad Actus pertinentes alij sunt brachij, alij pedis: Brachij iterum 1. sunt Mouentes humerum, horum 13. sunt in os humeri infixi, idipsum varie contorquentes. 2. Brachium Mouentes seu vlnam horum sunt duo Interiores brachium inflectentes: Duo Exteriores Brachium extendentes: & quatuor obliqui Vlnam circumferentes. 3. Mouentes carpum, ipsumque agentes vel intro, horum duo sunt siti in interiore brachij regione: vel Extra quorum duo sunt siti in Externo brachio. 4. Mouentes digitos, quos extendunt Musculi siti in Brachio, & contrahunt, Musculi siti in vola. *Musculi artium alij ad Brachia, alij ad pedes.*

Pedis Musculi mouētes sunt 1. Femur. 2. Tibiam. 3. Tarsum.

Pedis Musculi Mouentes sunt 1. Femur, qui videlicet à coxendicis osse profecti ossi femoris impinguntur: horum alij Femur extendunt, quorum sunt quinque; Alij sursum adducunt, quorum sunt quatuor; Alij circumducunt, quorum duo sunt: Alij intro mouent, quorum tres sunt. 2. Tibiam Mouent, qui in femore orti Tibiam contingunt suis tendonibus, horum sunt decem. 3. Mouent Tarsum, pedium, & digitos pedum: hi vel oriuntur in Cruris parte vt priore quorum tres sunt, vel posteriore, quorum sex sunt: Vel etiam siti sunt in pedio, quorum sunt decem, aut in tarso, horum sunt sex, & hæc de Musculis plura vide apud Fernelium citato dicto loco. cap. 9.

CAPVT X.

De Fibris seu Villis.

Fibræ partes Similares.

FIbræ seu Villi sunt Partes Similares Frigidæ & Siccæ ex Semine genitæ, ideoque albæ, solidæ, oblongæ, exilium filamentorum instar, ad motum & Carnis custodiam destinatæ.

Vsus Fibrarū duplex.

Vsus Fibrarum præcipue duplex est 1. Motus. 2. Custodia Carnis: Motus triplex est Animalis, Vitalis, & Naturalis; Animalis seu Voluntarius: Hic musculorum opera perficitur: Musculus autem mouetur, dum eius Fibræ vel intenduntur, vel Principium versus retrahuntur. Hinc Musculi statim motu destituuntur, si Fibræ omnes transuersim secantur.

Naturalis. Animalis.

Vitalis.

Vitalis hic est vel Cordis, vel Arteriarum: Cordis, hoc enim Villos habet, quorum ministerio, vel distenditur, vel contrahitur aut quiescit; Arteriarum, his & suæ sunt Fibræ; & quidem in Tunica interna, transuersæ plurimæ, vel Tunica Externa, obliquæ & rectæ.

Naturalis ex quibus notus.

Naturalis, qui conspicuus est in Attractione, Retentione, & Expulsione.

Obtinuerunt autem Organa Naturalia Villos ad Attractionem, Retentionem & Expulsionem, Non propriam & peculiarem, sed communem & officialem: Quoniam enim sine Villis Alimentum trahunt Ossa, Cartilagines, Cerebrum, Carnes Parenchymatum, Sequitur eguisse Villis Ventriculum, Intestina, Venas, Arterias, Vterum, Veficas, Cor &c. ad Nutrionem & Actionem Non propriam sed Officialem.

2. Fi-

2. Fibrarum vsus est Custodia Carnis vel Musculosæ: sunt enim Villi velut prima stamina, quorum inania spatia Caro infarcit, velut rimas oppletura. Vel eius quæ Propriam Substantiam constituit. Fibrarum Differentiæ petuntur vel à Situ, Duritiæ, Sensu, aut Organorum Varietate. *Vsus Fibrarum secundus.*

1. Situ: hinc triplex est Villorum genus, dicuntur enim alij Recti, Transuersi & Obliqui: Recti seu Longi, si ferantur secundum Longitudinem, horum munus est trahere, hinc si contrahantur Recti minuitur Longitudo vt Fiat Attractio: Transuersi, seu circulares si ferantur secundum Latitudinem Rectos intersecantes, horum munus est expellere, hinc si contrahantur Transuersi, minuitur Latitudo vt fiat Expulsio. Obliqui, si medium situm obtinent, & ambos intersecent ad Angulos, inæquales, horum munus est retinere. *Quatruplex Fibrarum differentia. 1. à Situ.*

Dicuntur tamen Obliqui peculiariter tenere, quia Contracti complectuntur tantum, vndique enim Partes ambiunt, constringunt atque occludunt. Alias Retentio non vnico Villorum genere agente fit, sed omnibus hinc si tendantur omnes Villi Recti, Obliqui, transuersi, tota contrahitur particula, fitque Retentio. At Recti & Transuersi si contrahantur, non Retentioni tantum seruiunt, sed & Recti transuersique Pulsui.

2. Duritie: Sunt enim Villi alij Duriores vt Cordis: vel meliores vt Musculorum. *2. Differentia Villorũ à Duritie.*

3. Sensu: hinc dicuntur Fibrarum aliæ Sensiles, quæ oriuntur à Neruis, vel Insensiles, quæ oriuntur à Ligamentis Ossium. *3. à Sensu.*

4. Organorum Varietate, hinc aliæ inseruiunt Organis Animalibus vt Musculis, Nernis, Ligamentis, Tendonibus: vel Vitalibus vt Cordi & Arterijs: vel Naturalibus vt Oesophago, Ventriculo, Intestinis, Vesicis Vtero, Venis. *4. Organorum Varietate.*

Fibrarum quoque differentiæ petuntur à Textura: Hinc Fibrarum aliæ sunt vel Permixtæ, vel separatæ: Permixtæ ita, vt continuum Corpus efficiant, quemadmodum omnes Veræ Membranæ nihil aliud sunt, quam Fibræ inuicem Coniunctæ. Separatæ à Partis Substantia, aliumque habent Vsum, quam Pars ipsa: & hæ sunt vel solum, rectis, transuersis & obliquis: Multiplices, & ita intertextæ, vt nulla arte inuicem separari possint: sic Cordis Caro triplici Villorum genere contexta est. *Fibrarum differentia à Textura: Fibræ permixtæ. Fibræ separatæ. Simplices vel multiplices.*

Cordis Caro ex triplici villorum genere.

In Organis etiam Naturalibus, quæ motui Naturali inseruiunt, si Pars habet vel Tunicam Propriam vt Vena constat triplici Villorum genere, ita Vterus & Vesicæ ambæ: Vel Tunicas duas Internam & Externam: Recte & Obliquæ Fibræ sitæ sunt in Interna, Transuersæ vero Fibræ in Externa.

Hinc tamen Excipiuntur 1. Intestina, quia inseruiunt Distributioni & Excretioni. 2. Arteriæ, quia inseruiunt Cordis Expurgationi, at Natura magis est solicita de noxij expulsione, quam vtilis tractione.

CAPVT XI.

De Membranis.

Definitio.

MEmbrana est Pars Similaris Frigida & Sicca, ex Seminis portione lenta, & ductili genita, ideoque lata, tenuis & densa, sensus tactorij Organum, partes subiectas custodiens, colligans & Disterminans.

Membrana Nomen.

Hæc alio nomine Tunica vocatur, quamuis ratione differant, quia Membrana est nomen Substantiæ, Tunica est nomen Officij.

Substantia Membranarũ Materia.

Membranarum Materia est Seminis portio lenta, quæ caloris vi tenditur, vnde fit vt citra noxam dilatari & comprimi possit.

Substantia.

Substantia earum 1. Est Lata, Extensibilis, vt partem vestiat & custodiat. 2. Densa, ad robur, & ne tam facile Humorum influxum recipiat. 3. Tenuis ne pondere sit molesta.

Membrana omnis duplex.

Notandum tamen, quamuis omnis Membrana videatur tenuis & simplex: est tamen omnis duplex, quia per omnes feruntur, Venæ ad Nutritionem, Nerui ad Sensum, Arteriæ ad Vitam, quæ Vasa inter duas tunicas necessario excurrunt.

Communis officium.

Membranarum officium Commune est, vt sint Sensus Tactorij Organum, ideò Sensu Exquisitissimo præditæ sunt: Hinc si partes suis spoliaueris Membranis, eas insensiles reddes: sic est insensibilis Caro Pulmonum, Hepatis, Lienis ac Viscerum.

Membranæ sparsæ per corpus Ex-

Hinc quemadmodum per totum Corpus sparsus & necessarius Tactus, ita sparsæ sunt Membranę fere per totum Corpus Externum & Internum, ambiunt enim Corpus Externum, Cutis & Membrana ner-

neruosa: Corpus verò Internum, Membranæ peculiares infinitæ. *ternũ atq; Internum.*

Vsus Membranarum 1. Est vt partes subiectas custodiant, Hinc inuestiunt partes subiectas instar Indumenti vnde & tunicæ dicuntur: custodiunt Fibras, vt validius firment Carnes: continent Partium substantiam, ne fusa dissipetur. 2. Vsus est vt Partes Subiectas colligent, vnde mirabilis Partium συμπάθεια: Ita per periostea continua sibi sunt ossa: sic per Membranam communem omnes Musculi vniuntur: Ita per Cutem, Corpus vniuersum Symphysin habet, alioquin Partium diuersi generis structura varium. 3. Vsus vt partes subiectas distermineant & separent ab alijs Partibus, quod in Musculorum sectione apparet. *Membrarum vsus triplex.*

Membrana quatenus Partem aliquam inuestit, ex hoc Tunica appellatur: Hæc in quibusdam Partibus nomen habet proprium, quæ enim inuoluit Ossa illa vocatur περίοστος: quæ inuoluit, Cranium, vocatur περικράνιος: quæ Cerebrum μῆνιγξ: Et quæ inuoluit Partes Naturales & singulis propriam Tunicam largitur, nuncupatur περίνευος, ab his Membranis Partes sensum habent: si enim Ossa suo periosteo denudaris, poterunt sine dolore vri, incidi & secari. Quæ Costas tegit & propriam Tunicam largitur contentis partibus vt Cordi, Pulmoni, & Asperæ Arteriæ, vocatur succingens Membrana. *Membrana quare vocetur Tunica.* *Membrana succingens.*

Differentiæ Membranarum petuntur à Contextu, Situ, Magnitudine & Substantia: Contextu: nam quædam Membranæ Fibras habent, & quidem generis vel Omnis, aut Duplicis vel Vnius: Quædam Fibras non habent, in omnemque partem sunt Papyri modo indiuiduæ. *Differentiæ Membranarum. 1. à Contextu.*

Differentia Membranarum à Situ; hinc dicuntur Internæ & Externæ &c. *2. à Situ.*

Magnitudine, hinc dicuntur magnæ, paruæ &c. *3. à Magnitudine.*

Substantia: hinc Membranæ sunt Legitimæ & Illegitimæ: Legitimæ & veræ, videlicet Peritonæum, Pleura, Periostoneum, Cerebri membranæ: Harum Substantia aut est Tenuis, vel Crassa: Tenuis, latis aranearum telis similima, vt quæ conspicitur in Membrana Arachnoide Cristallinum ambiente, Meninge tenui Cerebri, Pulmonis & Hepatis. Crassa, quæ videtur in crassiore Cerebri meninge. *4. à Substantia. Legitimæ & Illegitimæ.*

Membranarum Illegitimarum genera tria sunt.

Illegitimæ, quæ verius Corpora Membranosa dici debent: horum sunt 3. genera, videlicet quorum alia oriuntur ex Ossibus, hæc lata sunt, insensilia, articulos colligantia: alia oriuntur ex Musculorum Tendinibus dilatatis, atq; ita Membranam potius quam Tendinem referentibus vt sunt aponeuroses Musculorum abdominis obliquorū & transuersorū: sunt & Musculi Tibiam abducendis, qui vulgo fascia latia vocatur. Genus Illegitimæ substantiæ, sunt & Membranea Corpora per se Partem constituentia: vt sunt Vesica Biliaria & Vrinaria, Item Ventriculus, Intestina & Vterus.

Illegitimæ substantiæ Membranæ sunt.

Membranarum enumeratio.

3. Membranæ Fœtum involuentes.

Membranæ aliæ sunt Fœtus aliæ Animalis editi. 1. Fœtus, Hunc inuoluentes Membranæ tres sunt: Prima Chorion, hoc ita vocatur, quod Fœtum aut contineat, vel Coronæ aut Circuli instar ambiat: hæc tota Vtero adhæresci, Venarum & Arteriarum Vmbilicalium interiectu. Secunda Aranios, seu Agnina, Hæc sudoris est receptaculum. Tertia Alantoides, quæ puellum cingit instar Zonæ cuiusdam aut fasciæ latæ, Vrinæ est Receptaculum.

Membranæ Animalis Editi Vniuersales & Particulares: Particulares.

Membranæ Animalis editi, hæ sunt aut Vniuersales aut Particulares: Vniuersales, quæ inuestiunt vel totum Corpus, vt Cutis & pauniculus carnosus: vel omnes partes eiusdem generis, videlicet vel Musculos, quos tegit Membrana communis Musculorum: vel Ossa, quæ à Capite ad pedes inuestit Periosteon.

Regio Particularis triplex.

Particulares hæ inuestiunt vel Particularem regionem, vel Simplicem aliquam Partem: Particularis regio Triplex est, Suprema, Media & Infima: Suprema videlicet Cerebrum, quod velant meninges duæ, Crassa & Tenuis: Cerebri autem quasi vicaria Medulla est, huiusque velut laudices sunt Neruiomnes, ideo ijsdem quoque Membranis velantur.

Media Regio.

Media Regio, hanc omni ex Parte Cingit Membrana succingens, quæ videlicet Costis subtenditur: à qua oriuntur Tunicæ Pericardium, Mediastinum, Cordis, Pulmonum, Venarum, Arteriarum, Partium omnium, quæ Thorace concluduntur.

Infima Regio.

Infima Regio, huius omnes partes instar sacci complectitur peritonæum, singulis communem largitur Tunicam.

Particulares membranæ singulæ suis partib. cohærent.

Particulares quem simplicem aliquam Partem vestiunt: hinc peculiares habent Membranas singulę Partes, vt Lingua, Pulmo, Cor & Oculus, hic multas habet; videlicet Tunicam coniunctiuam, Corneam, vueam, Araneam, Ciliarem, Reticularem.

CA-

CAPVT XII.

De Cute.

CVtis Membrana est omnium Ampliſſima & Craſſiſſima ex ſeminis & ſanguinis permiſtione genita, temperiem Moderatam obtinens externi tactus, Verum Organum & ſubiectarum partium tegumentum, munimentum & ornamentum. *Definitio.*

Membrana dicitur ratione Coloris, eſt enim Candida: ratione Texturæ, eſt enim extenſibilis; ratione Senſus, eſt enim ſenſus exquiſitiſſimi; ratione vſus, eſt enim ad Cuſtodiam partium comparata. *Cutis dicitur Membrana ratione Coloris.*

Dicitur ex ſanguinis & ſeminis permiſtione genita, quia eſt mediæ naturæ inter Carnem & Neruum, & Sanguine neque abundat vt Caro, neque caret omnino vt Neruus, hinc eſt quaſi ſanguine prædituus Neruus. *Neruus ſanguineus.*

Quamuis autem Cutis videatur Continua, habet tamen Foramina quam plurima, quorum alia ſunt Finita, alia Infinita: Finita, videlicet conſpicua & comparata vel ad quippiam emittendum aut immittendum, qualia ſunt in Oculis, Naribus, Auribus, Ore, Vmbilico, Pudendis & Ano. Infinita, quæ videlicet oculorum aciem effugiunt, & comparata vel ad Inſenſilem Tranſpirationem, vel ad Excluſionem Sudorum & Fuliginum: Hæc pori vulgo vocantur: Hæc pene Inſenſilia & exigua eſſe debuerunt, ne maxima ſpirituum fieret Diſſipatio. *Cutis etiã ſunt Foramina alia Finita alia Infinita.*

Illa exigua foramina ſi laxentur, de repente Homo extinguitur, vt fit in gaudio profuſiore, & Vſu liberaliore Croci. *Laxitas Foram.*

Interdum etiam hi inſenſiles meatus adeo aperiuntur, vt Sanguis purus effluat, quod obſeruatur in Sudore Anglico & deligationibus, vbi interdum faſciæ Cruentæ apparent, etſi nullum adſit vulnus, exudante per poros cutaneos ſanguine. *Exig. Mors Repentinus.*

Cutis differentiæ petuntur 1. Vel à Subſtantia, hinc alia eſt mollior, tenuior, rarior, cutis faciei, penis & ſcroti: alia eſt media, vt quæ regit manum & ſummos digitos: Alia eſt Durior, vt Dorſi, Verticis, plantæ pedum. *Cutis Differentiæ. 1. à Subſtantia.*

2. A Pilis, hinc eſt quædam piloſa vel pilis orbata. *2. à Pilis.*

3. A Motu, hinc quædam mouetur περιφερικῶς, vt cutis Frontis, & faciei fere totius: vel eſt immobilis, vt quæ eſt in reliquo corpore. *3. à Motu.*

4. à Connexione. 4. à Connexione: hinc 1. quædam adhæret pertinaciter vt volæ manus, videlicet ad firmiorem apprehensionem, hæc vel vnitur Carne Musculosa, vt in facie fere tota: vel ad exquisitionem Facultatem tangendi, hæc vel Tendine coalescit, vt in manu interna. 2. quædam Laxa est, & facile separatur, videlicet Cutis Thoracis, Abdominis & Partium fere omnium, hæc Carni Musculosæ appenditur tantum.

5. à Sensu. 5. à Sensu, hinc quædam exacte, vt quæ est ad extremum Vnguium, pudendi, pupillarum mulierum, quia ibi desinunt Neruorum Extrema: Vel alijs est hebetior, vt quæ est in Capite.

Vsus Cutis quatruplex. Vsus Cutis est 1. Vt sit Tactus Organum immediatum, hic enim quia absolute ad vitam erat necessarius, debuit diffundi per Corpus Externum, cuius Organum Tactus est Cutis: per Corpus Internum, cuius Organa Tactus sunt Membranæ Internæ.

2. Vt Corpus Vniuersum inuestiat.

3. Vt partium Subiectarum Calorem foueat.

4. Vt Vniuerso Corpori præbeat quasi σύμφυσιν.

De Cuticula. Cutis Extremum est Cuticula, quæ nihil est aliud quam tenuissima Cutis efflorescentia, ceparum pelliculis tenuioribus similis, Insensilis & pene exanguis, pronata è Cutis excremento non aqueo & halituoso, sed Crassiore.

Differentia Cuticulæ à Cute triplex. Hæc à Vera Cute differt 1. Quia insensilis est, videlicet ad δυσπάθειαν vtpote extrinsecus occursantibus obuia. 2. Quia non regatur Venis & Arterijs. 3. Quia densior est, hinc Humores aquei, qui internis ad superficiem extruduntur, cum Cutem facilius permeent, cutriculæ densiori inhærent, vnde Oriuntur Papulæ, Ecthimata, phlyctides. Nota hæc Cuticula quotannis à quibusdam animalibus deponitur.

Vsus Cuticulæ quintuplex est. Vsus Cuticulæ est. 1. Vt sit medium Tactus, non enim perfecta sensio fit per immediatum contactum sensibilis & sensorij. 2. Vt cutem veram sensus acerrimi ab extrinsecis tueatur. 3. Vt Cutem tegat, ne continue Humor exudet, vt apparet in intertrigine, in qua perpetuo madet Cutis. 4. Vt Vasorum ad Cutim pertingentium oscula occludat. 5. Vt sit Ornamentum Cutis alioquin asperæ & crassiusculæ.

CA-

CAPVT XIII.

De Carne.

CArnis 4. sunt genera: Videlicet Caro 1. Proprie dicta: 2. Caro Viscerum. 3. Caro Glanduloſa. 4. Caro cuilibet parti peculiaris. *Caro quadruplex.*

Hinc Carnis in genere generalis vſus eſt, corpori præbere Primo Vmbraculum æſtuante ſole: Secundo, Calore Vrgente frigore: Tertio Subſterniculum molle, Cadenti, vel Cubanti. *Carnis vſus generalis eſt triplex.*

Caro proprie dicta, pars eſt mollis, rubicunda ex ſanguine mediocriter reſiccato genita, ob id ſanguinea pars dicitur & calida; talis eſt Caro, quæ conſpicitur in gingiuis, glande penis, & Radicibus digitorum, his ſimilis eſt, attamen non ſimplex Caro Muſculi, quamuis ea abſolute & vere Caro dici conſueuerit. *Caro proprie dicta.*

Viſcerum Carnem Eraſiſtratus diſtinctius παρέγχυμα vocabat, quaſi affuſionem aut alluuiem, intellige ſanguinis: Earum enim Caro ex affuſo ſparſoque Humore primo Ortu compacta eſt; at enim vt in Muſculis ex ſincero ſoloq; ſanguine, ſed vel prorſus vel plurimum ex ſemine. *Caro Viſcerum ab Eraſiſtrato vocatur παρέγχυμα.*

Hæc etiam Caro præcipuam Viſceris partem & Subſtantiam conſtituit, cui actio officialis, primò & per ſe concedi debet: Ita namque Carni Hepatis tribuitur αἱμάτωσις, primò & per ſe, ſecundariò & per influxum Venis: Carni Pulmonum tribuitur præparatio aëris. Carni Lienis tribuitur expurgatio fæculenti ſanguinis. Carni Renum tribuitur Seri Attractio & Secretio. *Caro cuilibet parti peculiaris.*

Ob prædictos Fines 1. Caro Hepatis obtinuit colorem Rubrum & Subſtantiam Craſſam mediocriter, non tantum, vt ſuo calore venarum αἱμάτωσιν promoueret, ſed & vt propria & inſita vi ſanguini imprimeret Formam, Temperiem & Colorem. *Carni Hepatis tribuitur αἱμάτωσις.*

2. Caro Lienis Subſtantiam obtinuit, Raram, Fungoſam, Solutam inſtar ſolidioris ſpongiæ, vel leuioris pumicis, Luculentis videlicet ſuccis hauriendis opportunam. *Caro Lienis Expurgat fæculentũ ſanguinem.*

3. Caro obtinuit Renum ſubſtantiam Denſam, & ſolidam, nec multum à Cordis Subſtantia differentem, niſi quod villis intertexitur nullis; ne videlicet immodica laxitate exceptam Vrinam ſineret fuſius elabi. *Caro Renũ.*

Cærni pulmonum tributur seti attractio & secretio.

4. Caro Pulmonum Substantiam obtinuit 1. Raram & Spongiosam, vt videlicet follis instar aëre inspirato statim repleatur, fumidoq; vapori pariter viam muniat, ad efflandum & expirandum. 2. Leuem, vt videlicet facile collabi attolliq; posset, atq; ita Thoracis motibus promptissime obsequi.

Caro pulmonum aërem cordi præparat.

Hæc Pulmonum Caro alteram Vitalis Spiritus materiam, aërem scilicet Cordi præparat: neque enim Externus & Impurus derepente irruens aer interioris spiritus conueniens pabulum esse poterat, hunc itaq; alterari, & familiarem innato spiritui Qualitatem longiuscula mora recipere necesse fuit. Linguæ Caro quia per eam Fibræ nullæ excurrunt, ad Parenchymata referri potest.

Linguæ Caro ad parẽchymata refertur.

Caro Cordis.

De Cordis vero Carne dubitatur, quoniam referenda sit, an ad Carnes Parenchymatum an Musculorum. Galenus quidem Neutrum esse vult, habet enim Parenchymata Villos nullos, Musculi Villos vnius generis in eadem parte, Cor villos omnis generis.

De Carne Glãduloſa. Eius generã

Glandula, ἀδὴν, est pars simplex, rara friabilis, spongiæ modo, mollis, vasorũ diuisionib⁹ firmandis, Humorib⁹ superfluis ebibendis, & rigandis quibusdam partib⁹ à natura instituta. Huius generis Caro

Caro duplex.

Duplex est: sunt enim primo vel Glandulæ proprie ita dictæ, quæ nihil nisi vsum aliquem præstant, & quidem triplicem, videlicet vt 1. Vasorum Diuisiones firment, ne videlicet in violentis motibus tanquam Rami à truncis diuellantur: ideo vbi vasorum fiunt diuortia, perpetuo Glandulæ adsunt, & apparet in diuisione Venæ portæ, vbi adsunt Pancreas. Venæ Cauæ ascendentis vbi adsunt Thymus; Venarũ Mosenterij vbi adsunt Infinitæ Glandulæ: Vasorum Cerebri &c. vbi adsunt Conarium. 2. Spongiarum more pituitam, serum & superfluos Humores absorbeant, ne in nobiliores partes ruant, ideo obtinuerunt formam, Rotundam, Oblongam & Raram excipiendis fluxionibus Idoneam. Hi vero Imbibiti Humores, sunt ipsis familiare alimentum. 3. Partes quasdam irrigent, ne facile siccentur, & ad motum ineptæ reddantur, vt apparet in Glandulis Mesenterij, quæ madore suo intestina proluunt: vel in Glandulis Linguæ & Laryngis saliuam generant.

Vſus glandularum proprie dictæ.

Grandoſa Corpora.

tib⁹, & in Glandulis Oculorum &c. Secundo vel Grandosa Corpora, quæ substantiam quidem glandi similem habent, raram & Laxam, sed tamen ad succos animanti vtiles generandos comparata est. Hæc præstant, Vsum & Actionem: Vsum, quod eundem aliquando referant, quem & proprie dictæ glandulæ; Vniuersi enim Corporis sordes absorbent:

Hæc consiſtunt in Vſu & Actione.

sorbent: Actionem, quod illis insita vis sit aliquid perficiendi: sic perficiunt Mammæ Lac, Testes Semen, Horum tam Glanduloso rũ corporum quædã ita vocantur proprie vt Testes & Mammæ, improprie vt Renes & Cerebrũ ab Hippocrate. Est præterea cuilibet parti etiam solidæ sua peculiaris Caro quæ proprium nomen non habet, sed Carnosa Substantia vocatur: Hinc Galenus in solidis partibus duplicem agnoscit substantiam: Vnam exquisite solidam & Fibrosam & penitus exanguem; eamque nunquam resarciri, sed rigari tantum & humectari posse putat: ea conspicua est in Ventriculo, Intestinis, Oesophago, Vesicis & Vtero: Alteram Villos infarcientem, quæ propria cuiusque Partis Caro appellatur. Est eriam Carnis & pinguedinis eadẽ Materia, videl. Sanguis, sed fit Caro à Calore per Resiccationem, Pinguedo à frigore membranarum per modum congelationis.

Mammæ Lac perficiunt.

Testes semẽ perficiunt.

CAPVT XIV.

De Vena.

SEquuntur Partes sensus tantum iudicio similares, vt Vena & Arteria. Vena considerata prout est Pars Similaris vel Dissimilaris: Similaris, definitur Pars frigida & Sicca ex Lenta & ductili seminis portione genita.

Vena considerata vt pars similaris & dissimilaris.

Dissimilaris, definitur Vas oblongum, rotundum, fistulæ modo excauatum simplici & prætenui Tunica, omni villorum genere texta instructum, ab Hepate ortum, continendo, coquendo & distribuendo sanguini à natura dicatum. Oriuntur ergo Venæ ab Hepate, & quidem Principio ῥιζώσεως radicationis & διοικήσεως Dispensationis: (non γενέσεως hoc est generationis) sparguntur enim per Vniuersam iecoris substantiam radices Venarum, & maxime quidem parte Caua, Radices Venæ Portæ, vt sit verisimile fieri Sanguificationem in parte Caua, hæc enim Vena Chylum defert ad Hepar: Vel parte Conuexa Radices Venæ Cauæ, vt sit simile fieri Distributionem in parte Conuexa. Quamuis autem Quinque Vasa ab Anatomicis radicalium Venarum nomine insigniantur, videlicet Vena Caua, Porta, Vmbilicalis Arteriosa, & Arteria venosa: possunt tamen omnia ad duo tantum referri, videlicet ad Venam Cauam, est enim Arteria Venosa propago Venæ Cauæ: vel ad Venam portam est enim Vena Vmbilicalis Propago Venæ portæ.

Vena ab Hepate principio ῥιζώσεως & διοικήσεως.

Quinq; Vasa ad duo referuntur.

Arteriosa cum Aorta continuitatem habet.

Arteriosa autem Vena cum Aorta per vas arteriosum suam continuitatem habet, vnde Arteria potius quam Vena est: Habet enim Tunicam duplicem & Crassissimam, & dicitur 1. Vena ab officio, quod Alimentarium Sanguinem Pulmoni distribuat. 2. Arteriosa, quod instar Arteriæ duabus constat Tunicis.

Primus Ramus ab Hepate promanans.

Hic Truncus constat 4. Surculis.

Hic Truncus diuiditur in Splenniticum & Mesentericum.

Duo ergo Insignes Rami ab Hepate tantum promanant: Primus ex Parte Caua seu sima Vena Porta: per hunc Ramum velut per Portam Chylus ad Iecur cõfluit, Vnde Vena Porta dicitur: Hic Truncus primò emittit surculos 4. videlicet Cysticum, Gastricum, gastreploicum, Intestinatum, qui ita dicuntur quod nutriant & excurrant capillamentis suis, vt Cysticum per Cystin fellis, Gastricum per Ventriculum & Pylorum, Gastreploicum Fundum Ventriculi dextrum & Epiploon, Intestinatum per Duodenum & Intestina: Hi surculi etiam interdũ à Ramo Mesenterico proueniunt. Secundo hic Truncus diuiditur in duos insignes Ramos videlicet Splenicum & Mesentericum: Splenicum, qui ita dicitur, quod ad Splenẽ feratur: hic est elatior, tenuior, sinister. Hic etiam primo emittit 4. Surculos, videlicet 1. Gastricum Minorem qui in Gibbam Ventriculi Partem non adeò multis ramulis distribuitur. 2. Epiploicum Dextrum, qui in dextram inferioris Epipleri regionẽ surculos aliquot deriuat: hic etiam quibusdam ramulis Colon Intestinum irrigatur. 3. Coronarium stomachicum, quod dum ad simam Partem Ventriculi venit, bifariam dispescitur: Nam Ramo priore, Orificium Ventriculi Coronæ modo cingit; Altero ad pylorum descendit. 4. Epiploicum posteriorem, qui in Epiploon Posticum Ramulos emittit.

Deinde dissecatur in duas Venas, multosq; surculos successiue, qui tandem per Lienis Substantiam sparguntur: ab his prope Lienem surculus in sinistrum Ventriculi latus effertur (vas breue aut Venosum dicitur) ad Succum Melancholicũ effundendum in Ventriculũ.

Mesentericum, qui fertur ad Mesenterium: hic est humilior amplior, dexter: Hic quamuis multos Ramos effundat, tres tamen præcipui sunt Videlicet Hæmorrhoidalis, Cæcalis, & Mesentericus.

Vena Caua Rami duo.

Rami sursum 4. sunt Riui.

Ramus ab Hepate promanans ex parte Conuexa seu gibba Venæ per eum Ramum Superis & Inferis partibus nutriendis ex Chylo iam confectus Sanguis dispensatur: Hic Truncus in duos quoq; Ramos diuiditur & fertur vnus sursum alter deorsum: Sursum ad nutritionẽ partium superarum. hic Ramus Primò 4. emittit Riuos: 1. Phrenicũ qui

qui nutrit corpus Diaphragmatis & membranas cordis: 2. Coronalem qui nutrit Cordis substantiam: 3. Azygon qui nutrit octo costarum inferiorum regionem: 4. Intercostalem qui nutrit superiorum costarum regionē. Secundo per Diaphragma ad iugulum fertur vbi vocatur Supra Claues, & Infra Claues: supra Claues super Clauius, ab hoc duæ oriuntur Venæ, Iugulares, Externa & Interna: Externa ea dupliciter diuiditur, & fertur Prima ad Musculos Laryngis, Hyoidis, & Linguæ: Secunda Subcutanea ad Labra, Pineas Narium, Angulum maiorem Oculi, Faciem, Frontem &c. Interna quæ primò emittit sur-culos ad musculos Laryngis & Linguæ: Deinde ascendit per Cranij foramina, in Duræ Meningis sinus ad nutritionem duorum meningum & Cerebri.

Supra Claues.

Infra Claues.

Infra Claues Subclauius: hic diuiditur in duos Ramos quorum Vnus intra cauitatem Thoracis habet 5. Venas, Mammariā, Thymicā, Capsilarē, Coruicalē, Musculā: Alter extra Cauitatem Thoracis vocatur axillaris: & habet 3. Venas, Thoracicā, Basilicam & Cephalicam.

Subclauij duo Rami.

Alter Venæ Cauæ Ramus deorsum ad nutritionem partium inferarum: Hic Ramus Primò fruticatur surculis. 5. Adiposo, Renali, Spermatico, Lumbari & Musculoso. Deinde ad initiū ossis sacri distribuitur in Ramos duos Iliacos: Hi Rami Iliaci intra cauitatē abdominis emittunt 4. Pares Venas, videlicet Sacrā, Hypogastricā, Epigastricā & pudendā: Extra Cauitatē abdominis delati ad Inguina vocant Crurales ab eisq; sex principales surculi emanāt, videl. Saphama, Ischias minor, Musculo, Poplitea, Suralis, Ischias maior, quæ fertur ad Digitos pedis.

Alter Venæ Cauæ Ramus.

CAPVT XV.

De Arteria.

TRia Vasa Arteriæ nomine insigniuntur, videlicet 1. Arteria Aspera 2. Arteria Venosa, Hæ duæ dicuntur Arteriæ cum adiuncto: vocatur enim alia Aspera, quod tota sit Cartilaginea, Alia Venosa, quod Tunicam instar Venarum habeat: 3. Arteria Magna.

Arteria Magna definitur considerata 1. Vt Pars Similaris, quod sit, pars Frigida & Sicca ex seminis portione lenta & ductili genita. 2. Pars Organica, quod sit, Vas Rotundum, oblongum Fistulæ modo excauatum, duplici Tunica, Fibris intertexta, constans, deducendo sanguini spirituoso, nec non Temperando, reficiendo & expurgando singulatum partium Calori à natura dicatum.

Arteria Magna considerata dupliciter.

Arteriæ Magnæ Rami. 1. Coronarius. Simplex ac geminus.

Arteria Magna è sinistro Cordis sinu proliens, primò Ramulum in Cordis Basin & ambitum reflectit, qui vocatur Coronarius & spectatur interdum simplex, plerumque geminus: tunc vergit vnus ad Cordis mediam regionem, alter ad Cordis Basin. Secundo in duos prægnantes stipites dirimitur, quorum alter minor, alter maior: minor ascendit ad iugulum, vbi diuiditur in subclauios vel Intra Thoracis Cauitatem, vel Extra Thoracis Cauitatem: Intra Thoracis Cauitatem: qui duo sunt videlicet Dexter & Sinister: Dexter à quo 5. emergunt Arteriæ 1. Intercostalis superior, Mammaria, Muscula, Cerualis huic rete admirabile, & Carotis, quæ etiam vocatur ληθαργικὴ, & ἀποπληκτικὴ: Sinister qui eosdem surculos emittit, quos dexter, præter Carotidem, quæ Sinistra à Trunco oritur.

Rami Thoracis dexter & sinister.

Extra Thoracem Axillaris Thoracica Basilica.

Extra Thoracis Cauitatem; tunc axillaris vocatur, & diuiditur in Thoracicam & Basilicam: Thoracicam hæc etiam duplex, & fertur prima in Musculos Thoracis, Anticos, secunda in Musculos Thoracis Posticos. Maior stipes descendit per Diaphragma in ventrem inferiorem: Huius Ramus primo emittit nouem Surculos 1. Intercostalem maiorem qui nutrit Inferiorum octocostarum regionem. 2. Phrenicam quæ nutrit Diaphragma & pericardium. 3. Cæliacam, illa tripliciter diuiditur 1. Ad nutritionem ventriculi, pylori & Omenti. 2. Ad nutritionem Hepatis & Vesicæ Fellis. 3. Ad nutritionem Lienis. 4. Mesentericam superiorem. 5. Renalem. 6. Spermaticam. 7. Mesentericam inferiorem. 8. Lumbarem & 9. Muscularem.

Musculi anticipostici.

Deinde diuiditur in duos Ramos Iliacos: qui intra abdominis Cauitatem vtrinque 5. surculos emittunt, videlicet: Sacrum, Hypogastricum, Vmbilicalem, Epigastricum, & Pudendum, huius beneficio distenditur penis: Vel Extra abdominis Cauitatem ad Crura delati Crurales vocantur: eorumque eadem fere & distributio, quæ & Venarum, nisi quod pauciores emittunt surculos.

Vsus Arteriarum.

Arteriarum Vsus triplex est 1. Sanguinem Spirituosum in sinistro Cordis Ventriculo elaboratum, continere, distribuere, transmittere 1. Ad Partium singularium nutritionem exactiorem: neq; enim sufficit venosus, nisi arteriosi splendor affulserit. 2. Ad Spiritus animalis generationem.

2. Vsus Arteriarum Influentem Calorem Cordis cum vitali facultate in vniuersum Corpus diffundere.

3. Caloris Natiui, Temperatio, Nutritio, Expurgatio, hunc Vsum præstant motu perenni Sistoles & Diastoles.

C.

CAPVT XVI.

De Neruis.

NEruus significat communiter Tendonẽ etiam & Ligamentum: Proprie Corpus, quod à Cerebro & Spinę medulla vel rachytide oritur ad sensum & motum. Sunt autem Neruorũ duo genera vt alij Molles, alij Duri: Molles, q à Basi Cerebri oriuntur, & vocant̃ sensorij, hos molles esse oportuit, quia sensus fit, perpessione: mollities autem apta est ad patiendum. Horum paria sunt septem coniugationes & in sensuum Organa inseruntur: Quorum primum in oculos deriuatur Nerui optici: Secundũ in Musculos oculorũ: Tertiũ in Linguæ superficiem: Quartũ in palatum: Quintum in Organa Auditus: sexti Paris nerui multiplici Ramorũ serie ad viscera in medio imoq; ventre distribuuntur, q vbi aliquantulũ in spatiũ Thoracis processerunt, ramulos retorquent ad Laringis Musculos, qui recurrentes ob id vocantur: Septimi paris Nerui in Linguæ & Laringis Musculos potissimũ dissemi-natur. Duri sunt; qui à Spinæ Medulla ꝓcedunt & motorij vocantur, eo q motus arbitrarij nõ sensus sint Organa: Hi Duri sunt, quia Motꝰ actio est, ad Actionis autẽ robur requiritur Durities Instrumenti, Horum Triginta sunt paria, q̃ in musculos inseruntur; Nimirũ septẽ sunt Cerui cis, Duodecim Thoracis, Quinque Lumborũ: sex Ossis sacri, q distributi in musculos motui voluntario seruiunt, in eurẽ sensum Tactus communicant. Nã authore Galeno 5. de Vsu part. in distributione Neruorum ipsi Naturæ tres scopi extiterunt; Primꝰ quidẽ vt sensorijs Organis sensum; Deinde vt motorijs motũ impertiret; tertio vt omnibus alijs facultatẽ daret, qua sibi infesta dignoscerent. Accomodat. n. Natura interioribus Cerebri motionib. exteriora q̃dam subseruientia Organa, quibus Facultas interior mediantib. neruis se adiungit, ipsaq; vicissim Organa, ꝓ varia sua cõstitutione, varias functiones & seruitia ꝓbent, & aut id exequuntur, q interior Facultas requirit, aut eiꝰ internuncij solũ sunt. Exequuntur a. Instrumẽta motꝰ, Musculi & Articuli; Internũtij vero sunt 5. sensus exteriores &c. Sunt etiã Nerui alij Cani, alij Solidi: Cani vt Neruꝰ Opticus & Pudendi, q manifestã cauitatem habent. Solidi, vt cæteri omnes, q nullã sensu perceptibilẽ cauitatẽ habent: quamuis in viuentibus inesse dicant quidam, vt possit Animalis Spiritus transmitti: verum respondetur cum Galeno per irradicationem affluere motricem Facultatem.

Structura Neruorum.

Nerui molles ac duri.

Paria Neruorum Cerebri 7.

Paria Neruorum Spinalis Medullæ 30.

Nerui Cani.

Nerui Solidi.

CAPVT XVII.

De spiritibus & Calido innato.

Omnia viuunt beneficio caloris insiti.

DVo hic primum petuntur cognitu necessaria, videlicet omnia viuere beneficio caloris insiti, quod ꝓbatur, quia illo extincto, perit simul vita. Et obseruatur Calor ille in Animalibꝰ, quæ pro copia huius caloris perfectiores operationes, vel Imperfectiores: obseruatur & in plantis, in quibus calore Solis consentaneo & maxime amico excitatur & in actum deducitur. Secundum scitu necessarium, eum calorem non esse Elementarem quod probatur exemplo. 1. Quia plantarum crescentiũ frigidissimarum vt papaueris, cicutæ &c. quæ licet ratione temperamenti sint frigidissimæ, tamen viuunt, at hoc non ope ignis & caloris Elementaris, quem habent ex Mistione; alias enim ille calor vinceretur & extingueretur à Dominante frigore; Ergo à Diuiniore principio hæc vita est. 2. De Mortuorum Animaliũ, Mineraliũ & vegetabiliũ; hæc enim post extinctionẽ caloris vitalis, tamen adhuc habent in se calorẽ aliquẽ Elementarem, cuius ope adhuc figuram aliquã retinent & effectus Medicos edunt. Vide Pathol. Fernel lib. 4. c. 1.

Spirituum Necessitas.

Porro Demonstrabimus Spiritus 1. Necessitatem, 2. Substantiam, 3. Vsum & 4. Subsistentiã: Necessitatẽ, quia n. simplex calor nõ potest ꝑ se omne corpus penetrare, ꝙ tamen ad vitã conseruandã requiritur, opꝰ habet aliquo vehiculo: Quod cũ Humor aliquis ob crassitiẽ sustinere nõ posset, necesse fuit calori substerni materiã aliquã tenuissimã

Spirituum Substantia.

cuiꝰ beneficio vno momẽto corpꝰ ꝑmearet: talis est spiritꝰ &c. 2. Substantiã, illamq, aëreã seu potiꝰ æthereã: talẽ esse ꝓbatur maxima velocitate, quia spiritus hinc inde discurrit.

Spirituum Vsus duplex.

3. Vsum, ꝙ vel est primarius vel secundarius: Primariꝰ, vt sit vinculũ ad duas naturas aduersas conciliandas: Homo n. constat Anima pura, Diuina & immortali: Item cõstat ex Corpore impuro, terreno & immortali: has duas substantias vnit

Spirituum Subsistentia.

spiritus tanq̃ Mediator, purior corpore, impurior Anima. Vsus secundariꝰ est, vt seruiat Animæ in actionib. singulariũ partium ꝓducendis. 4. Substantiã, seu ꝙ sit: quod ꝓbatur vel ratione Vacui, ꝙ non datur in corpore; iam vero obseruantur in corpore ventriculi &c. Ergo hi replentur spiritu: Vel ratione Alimenti, quo homo vtitur, ꝙ est crassum ad sustendandũ corpꝰ, ꝙ vero est aëreũ ad sustentandũ spiritum. Ex his omnib. colligitur spiritus definitio, ꝙ sit corpus æthereũ, caloris facultatumq; sedes & vinculum, primumque obeundæ functionis instrumentum. Vide Fernel. lib. 4. Pathol. cap. 2.

Sic

Sic Spiritus & Caloris Natura demonstratur exemplo rerum in flammabilium: ad flammam enim requiritur vaporosus & fumosus quidam spiritus, qui ex oleosa substantia rei incensæ prodit: Deinde in flamma ipsa inest summus calor; ad quam sustendandam pro pabulo sese offert aër circumstans. Talem autem materiam spirituosam inesse corporibus inflammabilibus, probatur exemplo destillationis; in qua obseruatur prodire post aqueum & alimentarium Humorem, materia aliqua oleosa, quæ nihil aliud est quam aër condensatus. Vide patholo. Fernel. lib. 4. c. 3. *Spiritus & Caloris natura.*

Eodem modo natura Humidi primigenij seu innati ostenditur apud Fernel. eodem citato loco cap. 4. ostenditurque Bifariam 1. Quod sit, vbi sit, & Quale sit, quid sit hoc Humidum, quod probatur exemplo flammæ, quæ alitur humore pingui & oleoso, in flamma enim tria insunt, videlicet oleosum quid, spirituosum & Calor. Vbi sit, videlicet in partibus similaribus. Quale sit, videlicet pingue &c. Sunt enim tres partium similarium Humores nimirum Primigenius, Elementaris seu Aqueus & Alimentarius: qui differunt, quod primigenius sit connatus, & foueat Calorem & spiritum; elementaris sit quidem connatus, verum nihil commertij habeat cum calore & spiritu. sed sit tantum quasi gluten totum aliquod continens: Alimentarius autem sit aduentitius nec connatus. 2. Ostenditur hoc Humidum primigenium esse subiectam materiam Caloris & spiritus; hinc etiam possunt Calor & spiritus dissipari illæso humido primigenio, at non contra: quod probatur exemplo eorum, qui frigore oppressi intereunt; & eorum qui in animi deliquium incidunt. Ad naturam Humidi primigenij melius intelligendam, instituitur exactissimum partium similarium (in quibus Humidum primigenium prorie residere ante dictum est) examen. *Humidum primigenium quod sit. Vbi sit & quale sit. Primigenium est subiecta materia caloris & spiritus.*

Sic in parte similari considerare possumus eius vel substantiam, vel Humores secundarios: substantiam, quæ est 1. Solida, constans ex tribus, Crassamento terreno, Humido aqueo quod cohæret, & humido primigenio 2. Quæ est Carnosa, spatia inter fibras quasi infarciens, vnde & partis moles dicitur. 3. Quæ est Spirituosa; hac pars vndique perfunditur; proprie tamen à solida partis substantia procedit. *In parte similari eius substantia vel Humores secundarij.*

Humores secundarios considerare possumus, à quibus tota pars sustentatur 1. Sanguis in ora exilium venarum & arteriarum per- *Humores se. cundarij quibus tota pars*

Sustētatur. Sanguis. Ros. ductus. 2. Ros, quando iam orificium venæ quasi transudat. 3. Gluten, quando parti apponitur. 4. Cambium, quando in partis substantiam degenerat. vide lib. 4. Fern. pathol. cap. 5.

Calidi innati Fons & Natura. Calidi Innati Fons & natura sic inquiritur. Calor cum adiunctam habeat siccitatem, humiditate aliqua temperari debuit: Quæritur ergo in quo Humore partium similarium proprie resideat. Non in Humoribus alimentarijs, ij enim extrinsecus accedunt; nec in Humore aqueo, quo partis substantia continetur & cohæret, hic enim omnium corporum communis est; Ergo in substantia carnosa vel in Humido primigenio residet; non in carnosa, nam illa 1. Marcore exhausta & extenuata iterum relarcitur, at Calor ille de perditus non restauratur. 2. Carnosa substantia promanat & principium habet ex sanguine materno, at in homine illo Calor innatus habitare nequit. Restat igitur, Calorem innatum habitare in Humido primigenio, inde definitur quod Calidum innatum sit Humidum primigenium insitum spiritum & calore vndique perfusum. Tribus enim illis coniunctim continetur Calidum innatum, Humido primigenio, Spiritu, & calore. Vide eundem Fern. lib. 4. c. 6.

Calid. innatū coniunctim tribus continetur. Humido primigenio, Spiritu & Calore.

Calidum innatū mutatur inclinatione Ætatum, Tēporum anni & Regionum. Sciendum etiam venit quod Calidum innatum mutetur inclinatione Ætatum, temporum Anni & Regionum: Ætatum; cuius Inclinationis traditur series & causa: Series, nam in Ætate puerili maxime dominatur substantia Caloris, quæ copiosa est. In Iuuenili, Dominium habet Caloris qualitas, seu potius acrimonia per dissipationem substantiæ relicta. In Viri Ætate, durat adhuc acrior illa caloris qualitas, sed tamen incipit paulatim marcescere. In Senili vero, sensim extinguitur cum Humore Calor, donec tandem extrema Siccitas. Causa, quæ est ipse Calor, hic enim dum iucunde pascitur ipso Humido, fit sui ipsius interitus causa, non tamen hoc fit per se, cum nihil appetat suiipsius destructionem, sed ex accidenti. Temporum anni idque vel ratione substantiæ, vel ratione qualitatis: Ratione substantiæ, quæ est Hyeme vberior, æstate paucior, vere & Autuno temperata: Ratione qualitatis, quæ Æstate est acrior, Hyeme remissior, vere & Autumno temperata. Inclinatione Regiorum; nam Calor Hominum vergentium ad Zonam torridam est substantia minor & qualitate acrior: Ad Boream est substantia & qualitate Temperatior. de his vide Fernel. eodem lib. c. 8. & 9.

Calor & Spiritus Insiti, Quoniam vero Calor & spiritus vel sunt Insiti vel influentes: Insiti, videlicet in partium similarium crassamento residentes, hinc &

pro diuersitate partium similarium etiam differunt: Nam in Osse, Neruo, Carne, Vena, Membrana, Ligamento &c. Semper alius est Calor & spiritus, vt quot sunt partes similares, totidem etiam sint differentiæ spirituum & Calidi Innati. Influentes, quibus innatus calor & spiritus alitur: hi pro numero trium partium principalium tres sunt naturalis, Vitalis, & Animalis.

fiti & influentes.

Pro diuersitate partiū similarium differunt spiritus & calor.

Naturalis, qui fit ex benigno alimentarij sanguinis halitu, quem iecur efficit, p suo parenchymate. Hic spiritus est facultatis procreatricis vel Genitor vel Nutritor.

Spiritus Naturalis Generatio.

Naturalis spiritus duplex est vsus, videlicet vt 1. sanguinem ad nutritionem superarum partium deducat: Hic enim quia grauis sponte sursum non fertur. 2. vt fixo perpetuo vanescenti succedat, eumque reficiat.

Naturalis spiritus duplex est vsus

A Corde influit Spiritus vitalis: Hic fit è naturali in corde vidilicat concoctione, hic spiritus maximum ad vitam vsum habet, & non solum in ipso corde cum calido eiusdem Insito actionum Cordis præcipuum instrumentum est: sed & per Arterias in vniuersum corpus distribuitur, innatumque singulis partibus calorem, qui per se imbecillior est nec ad omnes Actiones solus sufficit, excitat, auget, instaurat, eique quasi actum & perfectionem tribuit. Vnde & calidum influens à nonnullis appellatur. Præter hoc Animali quoque spiritui hic spiritus materiam è qua generetur, suppeditat.

A Cerebro influit spiritus Animalis. Hic fit è vitali: & quamuis vnus sit specie, tamen pro diuersitate instrumentorum diuersa accipit nomina: dicitur enim alius Sensorius alius Motorius: Sensorius, qui videlicet per Neruos molles ab Anteriore Cerebro ad sensorium influit: hic rursum pro 5. sensuum varietate diuiditur 1. in opticum cuius beneficio videmus. 2. In Auditorium, cuius beneficio audimus. 3. in Gustatorium cuius beneficio gustamus. 4. in Olfactorium cuius beneficio odoramus. 5. in Tactorium cuius beneficio tractabilium qualitatum differentias percipimus.

Spiritus Animalis.

Animalis sē sorius & motorius.

Auditorius

Gustatorius

olfactorius

Tactorius.

Motorius qui videlicet à posteriore parte Cerebri per Spinam descendit, & inde per Neruos Duros ad mouendum singulas partes transmittitur.

Generatur vero spiritus Animalis ex purissima vitalis spiritus parte per Carotidas & Ceruicales Arterias in Cerebri Basin atque in Cerebri ventriculos delata, & cum aëre inspirationis ope attracto,

permista. Eius præparatio fit in plexibus Arteriarum Labyrintheis; Coctio in Cerebri sinibus, vbi à Cerebri substantia formam nouam hæc induit, & ab omnibus suliginosis incrementis, à quibus nondum satis in Arterijs purgata erant, separantur, & omnino subtiliores, tenuiores ac puriores fiunt.

Differentia spirituum iuxta substantiam.

Differentia spirituum iuxta substantiam est talis: Naturalis est vaporosus: vitalis est aëreus: animalis est Ætherus.

CAPVT XVIII.

De Animæ Essentia eiusque proprietatibus.

QVia functiones humanæ à facultatibus oriuntur, Facultates autem sunt ipsa Anima, aut ab essentia animæ promanant: vtque functionum causæ intelligantur, ordo postulat, vt 1. Essentiam eius, deinde eius Facultates cognoscamus, tandem vt Corpus, partesque corporis in quibus facultates subsistunt, & à quibus Functionum integritas & cæsio, perueſtigemus.

Anima species infima creaturarũ.

Ex mente antiquorum philosophorum Anima dicitur species infima ac vltima intelligentiarum & spiritualium creaturarum, quatenus videlicet omnibus tribuit vitam. Nonnulli gentiles eam ventum & spiritum vocarunt, item Animum, quatenus habet voluntatem; Rationem, quatenus directe diiudicat, sensum vero dum sentit, testatur Isidorus lib. 15. cap. 14. Iudicia variorum Philosophorum varia ac Philosophica in medium afferre placet. Plato definit animam esse Essentiam in se viuentem. Aristoteles lib. 2. de Anima definit actum Corporis physici organici, vitam habentis potentia. Ψυχὴ ἐστὶν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ, ζωὴν ἔχοντος δυνάμει. Zeno vocat numerum seipsum mouentem; Xenocrates vero numerum in se ipso mouentem; Aristoxenos Numeri principium: Pythagoras vocauit harmoniam seu Melodiæ concordiam, & cum eo Dinarchus, principium quatuor Elementorum, afferens corpori, cum quo iungitur, pulcherrimum eorum temperamentum & harmoniam; Hippachus vocauit ignem seu vim igneam: Heraclitus Ponticus nuncupauit Lucem; Nonnullus eiusdem nominis substantiæ stellæ cuiusdam scintillam: Possidonius vocat Ideam, quatenus est speciei animatę forma;

Anima ventus ac spiritus. Animus. Sensus. Anima essentia in se viuens. Anima Actus Corporis. Anima numerus seipsũ mouens. Vis ignea. Lux.

ma: Asclepiades eam quasi Chordam quandam fingit, præstantem quinque sensibus functionum suarum expediendarum facultatem; Hippocrates arbitratur eam spiritum subtilem, per vniuersos meatus corporis dispersum: Incertum subtilem spiritum, censet Democrates, ex minutissimis indiuiduisque corpusculis, quæ atomos vocat, inse concurrentibus & cohærentibus: Tertullianus & Auicenna animam ab Anima nasci autumant, vt Corpus à spermate procreatur, eamque ita multiplicari, vt lux multarum candelarum ab vno lumine accenditur; Thales Milesius eam virtutem motiuam cuiusque rei appellat; atque hinc illa eius opinio deriuatur, magnetem ideo animatum esse, quo feni laminas ad se trahat; Alemæones eam corporibus cœlestibus comparauit, quoniam res est mobilissima, imo semper mobilis; ex qua eius dispositione æternitatem eius facilime, ait, posse discerni; Parmenides eam ex terra & igne vult esse factam: Epicurus statuit ex igne & aëre constare; Empedocles & Ericrates, rem in corpore maxime valentem dixerunt: Alij eam cerebrum, alij sanguinem, vt Critia, sentiunt, alij vaporem & humorem seu primigenium credunt; quidam eam substantiam esse, omnino inficias eunt. Hæc verum philosophorum variæ sunt differentiæ de Animæ essentia, vt veritati propius accedimus, sic concludimus.

Chorda.

Spiritus subtilis.

Animus ab Anima.

Virtus motiua.

Corpus cœleste.

Anima ex terra & igne.

Anima vapor & Humidũ primigenium.

Anima secundum philosophos sapientes consideratur duplicitер, aut scilicet per se, hoc est considerata à corpore, vel vt Corpus informat eique coniungitur. Primo in sua propria ac libera dispositione accipitur, quod sit Lux Luminis Æuiterni ac diuini, ad Lucis increatæ siue primi Exemplaris imaginem condita, pulchritudineque Angelica vestita atque ornata: Agrippa lib. 3. cap. 37. Secundo describitur substantia vel potius pars substantiæ Spiritualis, à diuinis fontibus emanans, simplex indissolubilis, immortalis, libera, in corporea & invisibilis, quantitate, Figura, pondere, & colore carens. Teste Damasceno, Bernhardo, Seneca & Augustino. Tertio Dicitur Intellectus rationalis, indeque dicitur ab omnibus reliquis animantibus sola ratione differre. Hinc Aristoteles lib. 2 de animalium generatione cap. 3. ait: λείπεται τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον: sola Anima rationalis foris accedit & diuina. Pythagorei dixerunt Animus ex vniuersa mente diuina haustus acceptus & libatus est Cic. in 1. Tuscul. 2. 4. Spiritus intellectualis, rationis particeps semper mouens & ad beatitudinem per se rendens: spiritus dicitur,

Substantia. Cõsideratio Animæ duplex.

Lux Luminis æuiterni.

Exemplar imaginis diuini.

Intellectus rationis.

Anima rationalis diuina.

quia à Deo est inspirata, Genes. 2. Deus inspirauit in faciem Hominis spiraculum vitæ: Intelligens dicitur, quia habet insitas notitias de Deo, de discrimine honestorum ac turpium & libertatem eligendi bona, ac reprobandi mala. 5. Mens viua describitur omnia intelligens, omnibusque sese assimilans; imo & pars substantiæ Hominis, quia Hominis essentialis Forma, per & propter quam Homo est vivus atque intelligens. Hæc Animæ generalis est descriptio, planius & ad oculos clarius per singulas proprietates declarando demonstrabimus.

Anima mẽs viua.

Hominis forma essentialis.

Illuminatio cognitionis.

Primam proprietatem eius dicemus, esse illuminare cognitionem: vnde in resolut. Theolog. tract. 2. part. 2. por. 3. quæst. 2. Intellectus Lux & ratio cognoscendi dicitur, quoniam cognitionis principium est actiuum: Paracelsus tom. 10. fol. 117. dicit Intellectum non à parentibus, sed à vi cœlesti constare.

Intellectus lux & ratio cognitionis.

Microcosmi ad Deum deductio.

Secunda proprietas est Microcosmum ad Deum sua præsentia reducere, vt 1. Genes. habetur: Inde superius, in propria dispositione definiuimus Animam lucem Luminis Æuiterni ac diuini, ad Lucis increatæ siue primi exemplaris imaginem conditam.

Substantia simplicissima, spiritualissima &c.

Tertia proprietas est, vt, cum substantia sit purissima, simplicissima, spiritualissima, inuisibilis & Incorporea, communicationem cum Intelligentijs seu Angelis habeat, & vt Iamblichi vtar verbis, per Harmonias essentiæ & actionum suarum nonnunquam se diuinis conciliet.

Quarta est, vt dum corpori includitur, mori illud nunquam permittit, quia est ipsa vita, nec vnquam mortis violentia perimitur, teste Porphyrio; vnde eam ex sacris & cum sapientibus immortalem & indissolubilem nuncupamus: Immortalis existit, quia est creata ad Imaginem Dei, Item ex testimonio Christi Matth. 20. Corpus quidem occidere possunt hostes, animam verò non. Et Ioannis 11. Qui credit in me non morietur in æternum: Item ab exemplo: Moyses & Elias colloquuntur cum Christo in monte Thabor. Luc. 9. Quod enim in Christo valet idem in membris eius valere necesse est Paul. 1. Cor. 15. Et quia Deus non moritur, ita nec anima extinguitur.

Anima immortalis, qa ipsa vita.

Corpus mortale, anima immortalis.

Sui ipsius Reminiscẽtia.

Quinta proprietate insignitur, vt scilicet sui semper reminiscatur, & nunquam sese intelligat. Nihil enim tam nouit, quam id,

id, quod sibi præsto est, nec quicquam menti magis præsto est, quam ipsa sibi; teste Aurel. libr. 10. & 14. cap. 10.

Atque hinc eam intellectum rationalem & spiritum Intellectualem diximus, quia omnia á mente intelliguntur, quæ ab Augustino libr. de Anim. & spirit. omnium dicitur similitudo, quia cunctis rebus sese assimilat, vel quia rerum omnium similitudines in se retinet, quas intelligere intendit; omnis enim cognitio fit per viam assimilationis: Hinc per suam essentiam terræ, per Imaginationem Aquæ, per rationem aëri, per Intellectum firmamento assimilatur.

Omnis Intellectus à mente.

1. Per essentiam terræ.

2. Per imaginationem aquæ.

3. Per rationem aëris.

4. Per intellectum firmamento.

Sexta eius proprietas tenetur ex testimonio Bernhardi, quod sit socia rationis, per quam vt dictum ab animantibus reliquis distinguitur.

Septima est, vt per se ad Beatitudinem tendat, quam vitam diuinam Porphyrius appellitat, cuius rei contemplatio contemplatorem cum eo, quod contemplatur, in vnum conflat: Hinc Bernhardus animam humanam beatitudinis participem, hæredemque saluationis dixit.

Anima hæres saluationis ac Beatitudinis.

Octaua proprietas est vt semper & indesinenter moueatur; quare est forma viuacissima, actusque primarius ac certus, vnde Platoni in phædra dicitur Numerus seipsum mouens, Xenocrati numerus in seipso agens, mouetur enim anima in suo spiritu. Ex his prima proprietas cum Hipparchi, vtriusque Heracliti & Epicuri opinionibus concurrit: In tertia Platonis elucet sapientia, & Alcmeonis proristoxeni & Xenocratis sententiæ Affirmatiuæ constant.

Numerus seipsum moues, i. e. à suo spiritu.

Nos ex sacris & Nonam addemus proprietatem: Est enim separabilis, quia extincto corpore ipsa superstes est, & tandem tamen cum corpore in vniuersali mortuorum resuscitatione copulatur. Iobi 19. Scio quod redemptor meus viuit & in nouissimo die de terra resurgam & videbo Deum de Carne mea. Socrates putauit Animum, cum è corpore excesserit, ad cœlum redire, vnde in corpus humanum sparsus est. Plato Axiacho ait ἡ δ' ἐκεῖσε ἀπαλλαγὴ κακῶν ἁπάντων ἐστὶν εἰς ἀγαθὸν μετάβολή. Discessus ex hac vita est mutatio mali in Bonum. Haber etiam sedem eamque propriam in corde, (potentialiter vero in omnibus membris) Fons enim & Principium vitæ, item omnis intelligentia, ac motus animi primario residet in corde, à quo etiam omnes

Anima àcorpore est separabilis, potẽtialiter & actualiter.

Discessus ex vita est trãsmutatio mali in bonum.

pro-

Lex scripta in corde. prodeunt cogitationes vti ex sacris patet Marci 7. & Paulus dicit legem scriptam esse in corde. Locus siue sedes, in quam Anima Corporis compage soluta migrat, in eaque requiescit, vocatur Paradisus Luc.23. Item sinus Abrahæ Luc. 16. Manus Dei, Sapient. 1. Schëol Gen.43. id est Infernus, qui absque vlla dubitatione est locus mortuorum sub terra &c.

Locus Animæ Paradisus.

Anima considerata cũ corpore duplex, vel respectu Mundi cosmi vel respectu Animal. ac vegetabil. Actus primus vitalis. Prim. mot°. Primus intellectus. Prima voluntas.

Porro, quatenus anima coniungitur corpori, eatenus etiam duplex aut respectu solius Microcosmi, vel quatenus ad animalia & vegetabilia refertur: Veluti itaque solo Microcosmo coniungitur anima cum suo vehiculo, Principium incorporeum, Numerus proportionalis: Et Actus primus corporibus nostris accommodatus, definitur, cuius gratia & præsentia agimus vitam, præditi sumus sensu, secundumque locum mouemur, sumus præditi ratione, primum intelligimus, & bonæ malæue voluntatis sumus capaces; teste choro philosophico, Platone, Damascen. Aristotele, Remigio, Augustin. Seneca &c. Hæc descriptio ansam præbet ad obseruandas quasdam proprietates circa Microcosmi dispositionem. 1. Est vt sit principij inchoamentum, 4. Elementa tali congruentia & vinculo connectens atque copulans, vt inde Pulcherrimam ijs concordantis temperiem, suauissimamque harmoniam ac concentum impartiri patiatur.

Homogenea dispositio inter membra ac partes, itẽ facultates in Microcosmo.

2. Est, quia, quatenus est numerus proportionalis, Harmonico consensu corporis partes, recte ad vitæ, sensus, motus & actionis rationes, potestatem habet disponendi: Hinc inde proportio in corpore humano Musicam humanam producit, quæ nihil aliud sonat, quam homogeneam & amabilem concordiam; per quam Anima summe diligit corpus, ac corporis partes: vnde Pythagoræ sana opinio, animam Melodiæ concordiam existimantis.

3. Necessitatem incurrere facit, si enim corpus constat, vbi anima hæc reperitur, vt & viuat, sentiat, moueatur & rationetur consequens est.

Anima rationem voluntatis libera ad bonum vel malum.

4. Quod in suo motu semper bonæ malæue voluntatis est capax; quamuis enim à corpore libera & separata nunquam sui meminisse, & nunquam se intelligere desinat. Hic docet Iamblichus, passiones qualescunque animalium non certe animæ illorum inesse, sed corpori, quod sub anima certam qualitatem possidet, qua agat & patiatur.

5. Pro-

5. Proprietas eius, quo vniuersaliter corpus regitur & gubernatur secundum Remigij opinionem non aliter, quam Nauta Nauem, & iuxta Calcidium, quemadmodum aranea in telæ suæ centro manens suo motu totam telam mouere percipitur, sic etiam in corde, quod centrum est corporis, ipsa delitescens vniuersam corporis molem mouere solet, de quo etiam supra. Cæterum & ad animalia refertur creatura hæc spiritualis, eiusque definiti, ijs etiam ac hominibus conuenit; nisi quod illis intellectum & rationem non affert, quippe quæ specifica est differentia, homines à brutis distinguens, ob defectum vero irrationalia vocantur: vnde per huius animæ præsentiam eodem modo cum Homine viuunt, sentiunt & localiter mouent; nihil vero intelligunt, sed sensualiter tantum res quasdam distinguunt & cognoscunt. Anima in vegetabilibus eodem modo definitur, quo in Brutis, præterquam quod ijs sensum non suppeditat. Veluti Anima Bestias non facit rationis particeps, sic vegetabilia sensus expertia relinquit. Hæc itaque Animæ descriptio cuilibet animalium speciei conuenit; quod sit scilicet vis quædam sensibilis, seu spiritus viuificans corpus animatum, eique sensum tribuens, quo cognoscit & discernit sensibilia materialia, hoc est formas corporeas rerum corporalium tam præsentium, quam absentium, foris & Intus. Veluti autem tam Animalibus in genere, quam vegetabilibus competit, definitur à Damasceno homil. 26. & ipso Aristotele; est vis quædam corpori cor, vitæ vegetationem & generationem impertiens, hoc est, virtus quædam seu actus primus in corpore physico organica viuente, conuertens alimentum in substantiam aliti, vt ipsum in suo esse conseruet, ad quantitatem debitam prouehat, & simile in specie generare tribuat; in qua quidem descriptione tres vegetatiuæ facultatis potentiæ exprimuntur, nimirum, nutrire, augere & gignere, de quibus in sequentibus latius ac planius. Hæc de animæ essentia atque proprietatibus secundum mentem Doctiss. & antiquorum Philosophorum, verum sic manifestior Animæ euadet cognitio si propter quid Anima corpori secundum facultates insit, consideretur, nimirum vt ex proprijs actionibus quas facultatibus indictum, illaque vitam habere dicuntur, quæ vegetantur, item quæ sentiunt vel loco mouentur & quæ intelligunt: quibus veluti gradibus animata inter se distinguuntur: quare horum fons & principium

Nautæ comparatur Animæ qui bernare nauem.

Differentiam facit à brutis.

Ab anima vis sentiẽdi, mouendi & intelligẽdi.

3. Species Animæ.

Animalia & vegetabilia habent Animam.

Vis conseruans vsque creans.

3. Potentiæ nutritio Auctix & procreatrix.

Anima inest corpori secundum facultates.

Anima fons vitæ.

est anima & id quo alimur, sentimus, intelligimus & mouemur primo. Hæ functiones in homine à diuersis Facultatibus vnius animæ proficiscuntur, quæ diuersæ animæ non sunt, nam vna in quouis viuente Anima est, quæ in partes natura discrepantes non diuiditur. Sunt autem Facultates vires quas anima de se promit ad munerum functiones, hæ in vno quoque viuente originaliter in vna sunt anima, à qua promanant vt diuersæ operandi rationes, & agentis conditiones, siue proprietates, sed in corpore vt in subiecto recipiuntur.

Vnius Animæ diuersæ sunt facultates.

Vna anima in quouis viuente.

Cur igitur facultates functionem causa dicantur, quot sunt opera & functiones in quouis animato, tot erunt animæ facultates.

5. Animæ potentiæ secundum Aristotelem.

Aristoteles lib. 2. de anima cap. 3. 5. Animæ recenset potentias siue δυνάμεις, θρεπτικὴν vegetatiuam, αἰσθητικὴν sentientem, ὀρεκτικὴν Appetitiuam, κινητικὴν κατὰ τόπον, Locomotiuam & διανοητικὴν rationalem: Hæque omnes in Homine sunt, in brutis vero quatuor tantum. Nos talem Facultatum Differentiam in genere, quæ ab anima proficiscuntur, statuimus: Alias dicemus Ethicas, alias physicas: Ethicæ tres sunt: λογιστικὴ, ὀρεκτικὴ & ὀρεκτικὴ. Ad hanc distinctionem facultatum animæ tres Ætates mundi apud Suidam accommodantur.

In Brutis 4. potentiæ.

Animæ comparatio ad 3. Ætates mundi.

1. Ætas mundi fuit ἡγεμονικὴ, rationalis, sapientiæ, iustitiæ, & artium studiosa, nempe ab Adamo vsque ad Cyrum.

2. Ætas mundi, θυμοειδὴς animosa, à Cyro vsque ad Theodosium, bellis potissimum lætata est

3. Ætas mundi.

3. Ætas mundi ἐπιθυμητικὴ appetens à Theodosio vsque ad finem mundi, veneri & gulæ dedita, voluptates & libidines quærit.

Physicæ facultates triplices, in genere.

Physicas considerat in genere philosophus physicus ex triplici ordine viuentium, & ita sunt tres, videlicet facultas vegetandi, sentiendi, rationandi & (quibus respondet planta Brutum & Homo) in specie considerat Medicus Physicus, prout in corpore Humano sunt tres facultates principales, Naturalis, Animalis & Vitalis: Naturalis subdiuiditur 1. in Nutricem cui seruiunt Attractrix, Retentrix, Coctrix, Expultrix & Assimilatrix. 2. in Auctricem seu vim animæ, quæ corpus quoquò versum porrigit & profert Fernelius. 3. In animalem, quæ est sentiens, mouens & Princeps: sentiens illa exterior quintuplex est, vt Facultas videndi, audiendi, odorandi, Gustandi, tangendi &c. Interior est vis animæ residens in Cerebro, quæ media-

Animalis est sentiens, mouës & Princeps. Sensus sunt 5. visus,

ante

ante ſpiritu animali exterioribus ſenſibus vim communicat, & ad quam ſpecies exteriorum ſenſuum referuntur, vt ibi diiudicentur, conſeruentur, & abſentium Imagines repræſententur, nouæque effingantur: Mouens eſt animæ vis & Facultas motus localis effectrix. Princeps duplex vt facultas imaginandi recordandi & ratiocinandi. Ethicæ Facultates vt ſupra ſunt tres, rationalis, concupiſcibilis, & Iraſcibilis. Actio ſeu Functio item triplex: naturalis, vitalis & animalis. Naturalis, quæ eſt aut nutritio, accretio & procreatio: Nutritioni inſeruiunt attractio, Retentio, Coctio, Pulſio & Aſſimilatio. Animalis etiam triplex, ſenſus, motus & Princeps: Senſus vt interior & exterior: Exterior, vt viſus, Auditus, Odoratus, guſtus & Tactus. Interior idem quod ſenſus communis. Princeps etiam triplex Imaginatio, memoria & Ratiocinatio &c. De his in ſequentibus capitibus latius.

Auditus, Odor, Guſtus & Tactus.

Princeps facultas duplex.

Ethicæ facultates tres.

Facultas

Princeps triplex.

CAPVT XIX.

De Facultate Naturali.

Facultas naturalis triplex.

NAturalis Facultas eſt, quæ ex iecore venarum adminiculo vniuerſa corpori alimentum præbet: ſub hac & vegetatiua intelligitur. Eſt autem triplex hæc facultas, nutrix, auctrix & Procreatrix. Nutrix conuertit nutrimentum in ſubſtantiam animati ſui, vi caloris facta, vt inſtauratio fiat in eo, quod abſumi cepit. Cauſa efficiens eſt Calor natiuus: materia ex qua eſt Cibus & potus: Materia in qua eſt ſubiectum corpus animatum: Formalis cauſa eſt ipſa aſſimilatio ſiue conuerſio cibi & potionis in ſimilitudinem, cuiuſque membri nutriendi: Nam alia pars vertitur in ſubſtantiam oſſis, alia in ſubſtantiam Carnis. Finis eſt, inſtauratio eius, quod aſſumi cœperat, vel conſeruatio indiuidui. Cum enim Calor Natiuus ſemper aliquid abſumat & depaſcat, per nutritionem fieri neceſſe eſt Inſtaurationem, perinde vt in Lychno abſumto oleo, alium liquorem affundi oportet.

Facultas nutrix quadruplex: Attractrix ἑλκτικὴ, retentrix κρατικὴ; alteratrix ſeu concoctrix ἀλλοιωτικὴ & expultrix ἐκκριτικὴ: vt ventriculus i. attrahit

Ita Facultatis naturalis actiones omnes vel ad ſpeciei vel ad indi-

Cibum 2.re tinet. 3.alterat. id est, mutat in Chylum 4. expellit.

indiuidui conseruationem pertinent: Ad indiuidui conseruationem faciunt Nutritio & auctio, ad speciei conseruationem generatio. Nam cum corporis partes perpetuo resoluantur, ne Homo ante definitum tempus interiret: Primo facultas Altrix seu Nutrix ei concessa est, quæ alimentum in viuentis corporis substantiam conuertit, & id quod absumtum est restituit: duratq; hæc resolutionis & Nutritionis vicissitudo per totam vitam, nutriturque animal quandiu viuit, vt est apud Aristotel. 1. de generation. & corrupt. cap. 5.

Organa nutritionis sunt Os accipiens & Masticans nutrimentum: Oesophagus transuehens: Ventriculus transmutans in Chylum: Hepar transmutans in sanguinem: Venæ deferentes sanguinem ad singula membra, in quibus fit assimilatio & applicatio nutrimenti: clarius sic intellige de Nutritione. Quando in Nutritione fit assimilatio alimenti corpori alendo. Alimentum vero primo est dissimile: tum pluribus Coctionibus prius elaborandum & corpori alendo simile reddendum est. Et hæc Coctio est vel priuata, & tantum ob alimentum & vsum partis, in qua fit, instituitur: vel publica quæ ob communem totius corporis vsum perficitur. Illa fit in singulis partibus: Nulla enim pars est, quæ non nutritione indigeat; & proinde etiam alimentum affluens sibi simile reddat. Concoctio autem quæ ob communem totius corporis vsum fit, præcipue peragitur in membris, quæ naturalia appellantur ventriculo & Hepate: Hæc enim membra toto corpori alimentum præbent. Hinc Concoctiones & Digestiones tres apud Medicos numerantur 1. Quæ fit in ventriculo & Intestinis, 2. in Epate & venis; Tertia in singulis membris, vnde Regula: vitium prioris concoctionis non potest corrigi per sequentes.

Sciendum autem est, quando Homo cibum sumit, alimentum frangit, dentibus conterit, salina humectat, tum ab illa contritione, & saliuæ perfusione, orisque calore & tunicæ, quæ cum ventriculo oris communis est, attrectatione, alterationem & elaborationem accipit: hæc cibi prima præparatio dicitur, quæ fit in ore.

1. Concoctio. χύλωσις.

Cibus hoc modo comminutus & alteratus in ore motu Linguæ Gulaque hiante detruditur, & per gulam in ventriculum demittitur: vbi ipsum ventriculus per Retentiuam facultatem ministerio obliquarum fibrarum amplectitur arctissime & retinet eo vsque, donec omni

omni ex parte sit à Facultate ventriculi concoctricè, propriâ ventriculi substantia, proprioq; & Naturali calore, adiuuante tamen nonnihil calore partium adiacentium, concoctus, elaboratus, & in vnam Formam ac Massam, ptisanæ Cremori non absimilem, quæ Chylus appellatur, mutatus. Hic Chylus per πύλωρον emittitur in intestinum duodenum & Ieiunum: Inde rapiunt venæ Mesaraicæ massam puriorem & liquidiorem transmittuntque ad Hepar, Lutulenta vero Massa delabi permittunt ad intestina inferiora: huius excrementum est stercus. *Supra vide de excremẽtis Chymoseos & Concoctionis.*

Coctione prima absoluta, Chylus in ventriculo genitus, & à crassioribus fecibus separatus ab Hepate in Massam vertitur sanguineam; quæ ex Humoribus constat sanguine, bile, phlegmate & Melancholia. Ac sanguis quidem ex Epate per Venas transmittitur, partim sursum in dextrum Cordis thalamum, ad nutriendum Cor, & Pulmone, ac ad generandos spiritus Vitales: Partim deorsum ad alendum inferiora membra. Reliqui vero Humores, qui separantur à Massa sanguinis, partim in folliculum fellis defluunt, vt rubra bilis: partim in splenem vt Atra bilis. Aquosa vero superfluitas ad Renes & Vesicam labitur, & fit Vrina: vel etiam per sudorem excernitur: Hæc sunt Excrementa secundæ Concoctionis, quæ fit in Epate & Venis. *2 Concoctio αἱματωσις.*

Tertia denique Concoctio fit in ipsis partibus, quæ & ipsa habet sua excrementa, quæ partim per transpirationem insensilem Cutis, atque sudorem, partim cum vrina & fecibus exeunt. Sanguis autem nutrit membra per appositionem & adsimilationem, cum videlicet membris adhæresci, adglutinatur aut coalescit, & tandem post plurimas immutationes partis adsimiliatur, & quasi in substantiam eius transit siue conuertitur. Vocaturque tunc Humiditas, Arabice Cambium: excrementum eius proprie est sudor. *3. Concoctio ὁμοίωσις.*

Præterea etiam accedunt ad sustentationem & nutritionem nostri tanquam summè necessariæ Sex Res non naturales, nobiscum non natæ, sed ob eam causam sic vocatæ, non quod sint partes natiuæ siue Internæ Hominis sed, foris accedant tanquam materia & adiumenta ad alendum & tuendum Corpus requirentia. De his obiter pauca dicemus, & Primò de aëre, (quo ne momento quidem carere possumus) qui tantam vim habet in Alterandis nostris corporibus, vt *Res non Naturales sex: 1. Aër, 2. cib⁹ potus, 3. Retẽta, excre-*

4. Somnus vigilia, 5. motus, quies 6. animi pathemata.

vt etiam ita continenter nos afficiat, nos in suam qualitatem alterando redigi.

Ex illis sex, à mediocritate recedentibus duæ materiam & pabulum gignēdis morbis præbent, nimirum alimenta supra modum aucta, & excrementa immodice retenta. Cæteræ magis sua qualitate subiectas corporis partes & contenta alterant.

Considerātur autem in aëre qualitas, moduſque ſubſtantiæ: aër enim qualitate temperatus, & in ſua ſubſtantia tenuis, ſerenus ac purus, Corpus & contenta in bono ſtatu conſeruat; contra vero aër Intemperatus, Inſtabilis, peſtilens, Craſſus Caliginoſus, corruptus. Talis aër redditur, propter diſpoſitionem vel Temporum, vel locorum, vel regionum, vel cœli ex vario Syderum poſitu, aut maligno affluxu, vel quia vapores noxios è terra aut aquis ſuſcipit.

Calida aëris conſtitutio, qualis in Æſtate ſub Cane circa meridiem in regionibus calidis Flante Auſtro, Humores partim extenuat & diſcutit, partim adurit, bilem auget & acuit, ac morbos acutos gignit, ſpiritus inflammat, & non ſolum calorem præter naturam in toto excitat, ſed etiam Corpora extenuando poroſque aperiendo calorem natiuum euocat & diſſipat.

Aphor. Hippocr. 21. ſect. 3.

Æſtate autem, nonnulli horum, & Febres continuæ, & ardentes & Tertianæ Febres, & Quartanæ & vomitus, & alui profluuia, & lippitudines oculorum & aurium dolores, & oris vlcerationes, genitalium putredines, & ſudamina. Aër ſiue cœlum craſſum efficit corpora pinguia & valentiora, ingenia vero Hebetiora. Quales fuiſſe Thebanos Cicero ſcribit. Cœlum vero tenue, quale Athenis fuit, gignit homines acutiores.

Frigida aëris conſtitutio, quæ hyeme potiſſimum euenit, noctu flante Borea aut Aquilone in Regionibus Frigidis per ſe Humores incraſſat, aut intra Corpus coercet, partes exteriores denſat, poros occludit, vnde deſtillationes, Catharri &c.

Hyeme vero morbi laterales & pulmonis, inflammationes, grauedines, atque Raucedines, Tuſſes, dolores pectoris & laterum atque Lumborum, capitis dolores, vertigines & Apoplexiæ. Hippo. Aphor. 23. ſect. 3.

Sicca aëris Intemperies, qualis initio Autumni, aut in ſicca cœli conſtitutione, flante Euro, in locis arenoſis; Corpora Denſa, dura ſoli-

solidaque efficit & extenuat, putredines quidem coercet, & superfluos Humores absumit, sed simul eos, qui relinquuntur in corpore exiccat & incrassat, à quibus obstructiones fiunt, si Caliditati coniuncta sit, Humores adurit & Atram Bilem gignit.

Autumno vero & plurimi vel Æstivi morbi fiunt, & Febres Quartanæ, & Erraticæ, & lienes, aquæ inter Cutem & Tabes & stillicidia Vrinæ, & difficultates intestinorum, & leuitates intestinorum, & coxendicum dolores, & Anginæ & Anhelationes, quas Græci & Asthmata vocant, Ilei, morbi comitiales, furores Atræ biles. Aphor. Hippocrat. 22. sect. 3.

Humida aëris dispositio qualis contingit in pluuiosa aëris constitutione, mane in Locis Humidis, circa initium veris, Corpora mollia, laxa & debilia reddit, spirituque obfuscat; Humores superfluos accumulat; calorem nativum obtundit; à quibus cruditatibus, Destillationes, obstructiones &c. Oriuntur, potissimum si Intemperies, Frigida sit coniuncta, sin cum Calida putredines gignit, & putridos, pestilentesque morbos excitat. Præterea Inæqualis aut Instabilis aëris constitutio, vt quando eodem die modo Calor modo Frigus, teste Hippocrate 4. Aphoris. 3. Autumnales, id est inæqualis, constantes malique iudicij morbos expectare oportet. Tandem aer corruptus aut parua & pestilenti qualitate affectus à cœli impressione, vel quia non perflatur, vel quia prauos halitus ex terra aut aquis suscipit, corpora nostra sua qualitate inquinat, & morbos Epidemicos pestilentesque gignit.

Hippocrates de Flatibus: aër mortalibus vitæ, & morborū ægrotis solus est autor.

Galenus in arte Medici nali: ab aëre corpº afficitur (mutatur) quia aut calefit, aut frigefcit aut exiccatur, aut humectatur.

Vere etenim Furores, & atræ biles & morbi Comitiales, & profluuia sanguinis, & Anginæ & grauedines, & Raucedines & Lepræ, & Tussis, & Impetigines, & vitiligines & pustulæ Vlcerosæ plurimæ, & tabercula, & articulorum dolores. Hipp. Aphor. 20. sect. 3.

Veluti ex legitima administratione & Vsu Cibi ac Potus Sanitas conseruatur: sic ex Illegitima omnis generis morbi generantur. Hippocrates ait: Indigentia sanitatis mater est, & Labores atque exercitia bonam valetudinem conseruant: Huic respondet Diuus Siracides c. 37. Copia cibi gignit morbos & Helluo replet corpus vitiosis Humoribus. Legitimus vsus consistit vel in debita alimentorum Forma, vel Quantitate, qualitate, tempore & modo. Forma & qualitate lædituur sanitas, nimirum si aut plenior victus sit, maiorque alimenti copia exhibeatur, aut tenuior victus minorque alimenti Copia, quam

2. *De cibo ac potu.*

quam necessitas exigit, vireſque requirunt. A multis alimentis Calor natiuus fit debilis, qualis in ſenibus extinguitur, perinde vt par-
Hippoc. 14. Aph.1. uus ignis à multis lignis iniectis, contra defectũ ciborum corpus conſumitur, ipſeque Calor Natiuus elangueſcit. Ab omnimoda alimentorum ingeſtione, quam modus naturæ requirit oritur πλησμονὴ,
Galenus cõ. 17. Aph.2. quæ interdum pro omni repletione tam Ciborum, quam Humorum ſumitur vt 12. Aph.2. Proprie pro repletione ciborum, quæ à latinis Satietas vocatur.

Cicero in Catone maiore ait: Cibi ac potus tantum eſt ſumendum, vt reficiantur vires, non opprimantur: Item & in quinta Tuſculana dicit: quid? quod ne mente quidem recte vti poſſumus multo cibo & potione impleti. Quam ob rem ad animæ & corporis cultum plurimum conducit Temperantia, vtpote quæ & ſapientiæ & valetudinis & multarum virtutum mater, & dulcis nutricula eſt. Plato lib.2. de legibus. Vini vſu interdixit pueris vſque ad annum ætatis 18. rationemque addit: ὦ χρή, inquiens, πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετέυειν, id eſt, non decet ignemigni adijcere.

Ex repletione cibi oritur in venis repletio Humorum, vnde plethora aut Cacochymia multorum morborum cauſæ, vt ſi natura illam ciborum ingeſtionem in bonum ſanguinem conuerteret fit plethora, ſin minus, gignuntur cruditates, variæque Cacochymiæ ſpecies: contra inedia facit, vt non ſolum Humores in vaſis, ſed etiam ſubſtantia partium, ſpirituum & Caloris natiui conſumatur, vireſque debilitentur, poſtmodum per Humorum crudorum concoctionem & euacuationem, corrupti & Bilioſi in furorem aguntur ac concitantur. 2. Et qualitate aliqua alterando poſſunt Cibus ac potus nos lædere: Proprium enim medicamenti eſt Corpus noſtrum alterare; Alimenti vero quatenus Alimentum à corpore noſtro alterari, & in ſubſtantiam eius conuerti: attamen multi cibi potuſque vtramque vim habent, nimirum alendi ob ſimilitudinem ſubſtantiæ; & alterandi ob qualitatem exuperantem, quæ in Corpore ſano ſimilem intemperiem efficit, in ægro contrariam temperat, cuius ratione dum Cibi à natura concoquuntur in ſimiles qualitatis, Humores facile conuertuntur, vnde cibi Calidi, Calidam intemperiem, calidos Humores gignunt; frigidi Frigidos &c.

3. Lædit quoque Cibus, ſi idoneo Tempore non aſſumatur, nimirum hora non conſueta, priore cibo non concocto, nec ventriculo exone-

exonerato, nam Tempus hoc anteuertere, cruditatis, obstructionum, aliorumq; morborum causa est: protrahere vero diuq; Famem tollerare, ventriculum prauis Humoribus replet &c.

4. Morbos quoque efficiunt cibi non debito ordine assumpti, vt si primò assumantur, qui longum tempus ad concoctionem in ventriculo requirunt, deinde qui citò conficiuntur, & in ventriculo diutius retenti in prauos succos corrumpuntur &c.

Ad vitam conseruandam retenta & excreta sunt necessaria: vbi enim quæ ad alendum accommodata sunt, secundum naturæ modum in corpore retinentur, deinde euacuationes naturales aut consuetæ, vtilesq; procedunt ac euacuantur, Quale, Quantum, Quando aut Quomodo oporteat, sanitas corporis conseruatur; si aliter procedant, morbi generantur. Euacuationes vero Naturales hic vocantur per Aluum, Vrinas & habitum Corporis, Bilis ex vesicula fellis ad Intestina &c. Consuetas vtilesq; seminis in viris, & fœminis iustæ ætatis, & peculiariter menstrui sanguinis in fœminis in nonnullis sanguinis per Hæmorrhoides, per Nares, item Muci è naribus &c. Nam vbi retenta à Naturæ modo recedunt veluti si sanguinis copia in venis redundaret, oritur plethora: Sin qualitate peccauerint aut Naturales vel consuetæ euacuationes supprimantur, parcius quam pro Naturæ modo fluant; sequetur excrementorum inutilium corruptorumque Humorum prouentus, Cacochymia, Cachexia, oppressio virium, caloris natiui &c. Vbi verò expelluntur vtilia, quæ retineri debent, vt sanguis, aut vtilia cum inutilibus, aut inutilia tempestiue, immodica quantitate non debet modo, aut per non Naturales vias; calor Natiuus, vires que omnes exhauriuntur & dissoluuntur, corpus consumitur, & ab his varij morbi generantur: Nam plurimum replere, aut euacuare naturæ Inimicum est: Huc non inepte referuntur medicorum talia. Dietenus aluus exoneranda erit bis, aut ad minimum semel, sin secus, signum malum. Reddenda est Vrina tempestiue, non nimis sæpe, neque nimis raro, & respondebit ex parte potus, vel paulo minus. Prouocandus est interdum sudor vel medicamentis aut labore. Sic ad sanitatem etiam conducunt Balnea, post confectum cibum in ventriculo, duabus aut vna hora ante cœnam. Propter cognationem capitis & pedum, vt alterum alterius morbo seu malo afficiatur, proderit & Lotio pedum, item & Lotio capitis cum Lixiuio, item & *3. De Retentis & Excretis.*

Lotio faciej cum aqua mane ieiuno tempore, hic simile amat simile, oculus est Frigidus, ergo lætatur aqua frigida &c.

4. De Somno & Vigilia. Aristotelis definitio. *Τινός ἐστιν ἀνάπαυσις πεφυκυῖα αἰσθητικοῦ Somnus est quies primi sensorij.* *Galenus dicit Somnus est frater Mortis, & cibū in gracili corpore.*

Quarto somnus & Vigilia lædunt corpus: Sciendum autem est, Vigiliæ per se sunt Functiones primi sensus; somnus vero functio non est, sed functionis quies à Natura instituta, vt vires defatigatæ vigilijs reficiantur: vt vigiliæ ad distributionem alimentorum per corpus & excrementorum expulsionem, ita somnus ad concoctionem confert. Dominus Philippus sic definit: Somnus est quies virtutis animalis, quæ fit, cum vapores vtiles ex nutrimento exhalant in cerebrum, vbi suauiter liquescunt, & passim fluentes in cerebro obstruunt meatus sensuum & neruorum motiuorum. Quoniam autem Immodicus somnus spiritus calorem natiuum obruit & suffocat, vires eneruat, crudorum humorum & excrementorum copiam in corpore accumulat, &c. & vigiliæ diurnæ supra modum, substantiam spirituum & caloris natiui dissoluunt, vires corporis exhauriunt, cōcoctiones impediunt, Bilem accendunt, sensus mentemque perturbant, corpora exiccant & extenuant: Ideoque Medicorum præceptum est vt intra septem apud valentiores, vel octo infirmiores absoluant, interim & ciborum perficitur concoctio. Plato in Timæo ait: Quando mundus claudit suum oculum, nos quoque debemus claudere nostros: Iam mundi oculus sol est, Ergo post Solis occasum non diu est somnus differendus? Neque tamen statim post sumptum cibum Somnus prodest: Quia Galenus ait lib. 4. Aphorismorum, commentario 67. A cibis ad somnum conuersis caput impletur, id est grauatur & hebescit sensus. Dominus Philippus dixit: Nulla res mihi magis profuit ad conseruationem valetudinis, quam hæc vnica, quod nihil legi post cœnam, nihil scripsi, nec longo interuallo à cœna cubitum iui. Ita mane potui surgere, & expedire mea negotia sine molestia magna. Est etiam regula medicorum, vt stomacho valentes mox à somni initio in latus Dextrum decumbant: qui vero ventriculi facultatem concoctricem infirmam habent, prius in sinistro, Postea in dextro cubitent, Nam decubitus in latus sinistrum magis adiuuat concoctionem; super dextrum vero latus decubitus magis ad distributionem cibi prodest, &c.

Quintò similis ratio fere est in Motu & Quiete, sicut in Vigilijs & Somno. Motus hoc loco est exercitatio corporis: Quies vero otiū. Plutarchus erudite partitur vitam totam in σπουδὴν καὶ ἄνεσιν, studium & re-

& remissionem, hoc est in laborem professioni cuiusque proprium & conuenientem, & otium siue Quietem. Est autem vterq; Motus & Quies vtriquæ Animæ & Corpori apprime necessarius. Motus siue Exercitationes Corporis moderatæ, ante cibos peracta concoctione, calorē natiuum excitant, spiritus agiliores reddunt, corpus roborant, vnde Melior concoctio, & excrementorum omnium euacuatio. Extat Aphorismus vltimꝰ Hippocratis lib. 6. Epidemicorū sect. 4. πόνοι σιτίων ἡγεόθωσαν, Labores antecedant cibos. Contra Otium & Intempestiuæ Exercitationes officiunt. Nam otium & consuetæ Exercitationis remissio calorem natiuum obruit & obtundit, vires omnes eneruat, euacuationes impedit, ac Excrementorum, vitiosorumq; Humorum copiam auget &c. At Immodici Labores & exercitationes calorem natiuum & spiritus exhauriunt, vires corporis dissoluunt, Humores dissipant, aut commouent, concoctiones impediunt, vasa interdum disrumpunt (vt quidam Hernioſi) corpus gracile ac Biliosum reddunt. A Motu duplex procedit effectus: 1. Calefactio, quæ est opus proprium motus, quia motus ex se & sua natura calefacit, si modum non excedat. 2. Refrigeratio, quæ fit per accidens, & sic intelligitur Motus vehementior, is enim refrigerat, quia spiritus ac Humores dissipat. De modo vtendi otio & recreatione Cicero sic ait lib. 1. Offic. Ludo & ioco vti quidem licet, sed sicut somno & quietibus cæteris, tum, cum grauibus serijsq; rebus satisfecerimus. Hinc dicterio communi dicitur confecto labore dulce est quiescere.

Tandem Vehementes Animi Perturbationes, non minus, quam immodicæ corporis exercitationes nos lædunt, quatenus cum impetu spiritum & sanguinem vel ad Cor reuocant: vel ad Exteriora effundunt. Nam Timor & Tristitia quia calorem, ad Interiora reuocant, partes Externas refrigerant, Calorem natiuum obruunt, Cor premunt, vires omnes debilitant; vnde Pulsus parui, rari, debiles, aliquando syncope, præcipue à Timore, qui non sensim vt Tristitia, sed confertim spiritum ad Cor reuocat, & vbi natura debilis est, tanto cum Impetu nonnunquam vt vires omnes resoluantur & suffocato calore natiuo in corde mors subsequatur. Tristitia non minus quam Timor totum corpus refrigerat & siccat, vigilias inducit, concoctiones vitiat, Sanguinem Melancholicum, morbosque Melancholicos efficit. Gaudium profusum ita vehementer Spiritum à corde interdū

6. De Perturbationibus.

effundit, vt dissipetur & Cor deserat, quare in ijs, qui natura sunt debiles, Syncopen, & repentinam mortem aliquando inducere solet. Ira repente Spiritum effundit cum copia Caloris efferuescentis adhuc circa Cor: cuius ratione Spiritus primum, deinde Humores accedunt & concitantur, totumque corpus incalescit, & pro dispositione Corporis, omnis generis Febres, calidæque Intemperies generantur.

Perturbationes autem nascuntur ex Opinione Boni vel Mali: Boni vt Præsentis, vel Futuri: Præsentis hinc Lætitia, Inuidia, Maleuolentia: Futuri, hinc Spes, Amor, Ira. Opinione mali Itidem Præsentis vel Futuri: Præsentis hinc mœror, Triftitia, Misericordia, Futuri hinc Timor, Pudor, Desperatio. Cætera de Legitimo & Illegitimo vsu sex rerum non naturaliũ habentur in tertio lib. huius tractatus de Arte Therapeut. Hactenus de potentia Naturali Nutritiua quæ est conseruatio Indiuidui, sequitur Augmentatiua quę prouenit ad iustam magnitudinem, & tandem sequetur Generatio quæ est Conseruatio Speciei.

CAPVT XX.

De Facultate Auctrice.

FAcultas Auctrix cum Homo, vt & alia viuentia, in prima generatione molem perfectam corporis obtinere non possit: Anima vegetans Secundam principem Facultatem obtinuit Auctricem, quæ ad debitam molem corpus extendit. Huius itaque opera in prima ætate vigent, in qua non solum fit Nutritio, sed etiam Auctio, partesque, quæ Corpori adduntur, maiores sunt ijs, quæ à Calore resoluuntur.

Non autem semper augentur, vt nutriuntur, viuentia, sed ad certum vsque Ætatis Terminum, qui est circiter annum vigesimum quintum: Etsi enim postea maius fit in aliquibus corpus, tamen ea est Pinguefactio, non Augmentatio.

Definitio. Talis vero est Facultas, quæ Calorem insitum dirigit & ad conuenientem illi animato Corpori terminum & quantitatem, quæ ἀκμὴ & consistentia dicitur, promouet. Vel est Augmentatio, qua corpus secundum omnes dimensiones, longitudinem, latitudinem & spissi-

spissitudinem crescit. Omnibus animatis sane Vita & Mors communis est propter duplicia contraria, nimirum ex quibus constant, Elementa & quæ gignunt, Excrementa. Omnium tamen similis Ætatum decursus non est, nec Vitæ ratio, sed ea longioris Vitæ sunt, quæ Calidum innatum, in quo vita consistit, quantitate copiosum, & qualitate Temperatum magis habent; Deinde quæ Excrementis paucioribus abundant ac breuiter quibus Calidum minus κατὰ μάρανσιν dissipatur, aut κατὰ σβέσιν opprimitur & suffocatur: De hac Facultate videclarius supra expressè de Temperamento Ætatis.

CAPVT XXI.

De Facultate procreatrice.

FAcultas Generatrix vel Procreatrix quæ speciei est conseruatio, omnium naturalium Facultatum Diuinissima est, maximeque naturalis est. Nam speciem ipsam & Formam quæ Natura magis, magisque Diuina est, quam materia ab Interitu vindicat, eamque perpetuitatem animatis quam consequi possunt attribuit.

Est autem Facultas Procreatrix proprie ea Vegetantis Animæ vis, qua quodlibet animatum in suo genere vnum & perfectum, ex alimento redundante pro partium nutritione, quod semen vocatur, aliud sibi simile gignere potest. *Definitio. Generationis vocabulum duplici modo sumitur proprie & communiter.*

Communiter Generatio 5. Actiones sub se continet: 1. Omnes illas Actiones, quæ requiruntur, vt infans non solum generetur, sed etiam in lucem naturaliter producatur: 2. Conceptionem, Viuificationem fœcundi seminis vi Vteri pro Formatione fœtus. 3. Generationem proprijssime dictam, ipsam nimirum fœtus Formationem. 4. Perfectionem omnium Partium fœtus necessariam ad Robur & Actiones, quæ post conformationem requiritur. 5. Partum siue Infantis exclusionem ex Vtero. *Communiter Generatio 5. significat.*

Causa efficiens Generationis prima est Deus, Formans, Fouens, & perficiens Massam in vtero: vt tandem Homo viuus emergat, atq; in Lucem suscipiatur. Psalm. 137. Tu Formasti in Vtero Matris Anteriora membra & posteriora. Secundaria Causa est, & quidem propinqua, Pater & Mater, vt Aristoteles ait: Homo Hominem generat & Sol, *Causa efficiens.* *Causa secunda.*

& Sol, id est Parentes & causæ cælestes concurrunt in generationem Hominis.

Hinc duo generationis principia statuuntur à Medicis; quorum vnum Formæ & propter δυνάμιν Efficientis causæ rationem habet: Mas, qui facultate sua in alio gignit: Alterum subiecti & propter ἀδυναμίαν materiæ rationem magis sortitur, Fœmina quæ in se ipsa gignit: Adhæc Natura vtrique Membra & Instrumenta ordinauit: Muri Testes, vasa seminaria, præparantia & deferentia ad Colem: Fœminæ vero vasa seminaria, testes & vterum.

Organa Nutritionis.

Correspondet autem Vterus Scroto; & in principio Conformationis consentiunt, licet absoluto fœtu forma, magnitudine & situ differant, nam membra genitalia quæ in maribus excluduntur, in fœminis intus conuersa Reperiuntur: Vnde Fœmina mas orbatus & occasionatus dicitur.

Testes vtrique sexus duo sunt, qui in Viris eminent, pendentq; ab inguibus, proprio inuolucro sunt cõclusi ex cute & neruosa membrana, in Fœminis vnus vtrinq; vtero affidet: Substantia eorum mollis, rotunda, rara, glandulis similis in viris potissimum, in fœminis minores, minusq; rotundi & molliores sunt, pluribus Tunicis integuntur, sed paucioribus in fœminis illaque sola, quæ Epididymis dicitur cum parte Peritonæi.

Vasa spermatica duplicia sunt, alia Præparantia, Alia semen de-semen deferentia seu Eiaculatoria: Præparantia 4. sunt duæ venæ totidemque Arteriæ. Vena dextra à trunco Venæ Cauæ sub emulgente oritur, Sinistra ab Emulgente: Arteriæ ambæ à Magnæ Arteriæ trunco sub emulgente. Hæc Vasa in viris primum ad latera deflectuntur, deinde dum descendunt in Scrotum per peritonæi productionem comitante Musculo cremastere, dextera Venæ, dexteræ Arteriæ, & sinistra sinistræ vnitur, tandemque mirabili implicatione Capreolorum Vitis instar in Corpus Varicosum oblongum album degenerant, vbi materia præparatur à Testibus ac demum in Semen transmutatur. Semen Elaboratum ab vtroque Teste suscipiunt Vasa deferentia siue Eiaculatoria, quæ in Exortum crassa & anfractuosa sunt, & ad posteriorem Testis sedem reflexa. Deinde in Viris sursum ea via in Abdominis cauitatem ascendunt, quo descendunt Vasa præparantia, hinc reflectuntur & sub Vesica feruntur, amplificantur, &

dextrum

dextrum vas sinistro vnitur, varieq; contorquentur & complicantur, donec in Glanduloſas Paraſtatas, quæ ad Penis & Veſicæ fines collocantur, implantantur, vbi Communis Meatus per Penem pro Vrinæ ſeminisque excretione.

Penis conſtat ex duobus Neruoſis oblongis cauiſque Corporibus, ortis ab infima Oſſis Pubis Parte, in quorum medio eſt Meatus ille Communis: Subſtantia penis interior rara, fungoſa, vt à Spiritu replente erigi, rurſumque flacceſcere queat, ac in ſuperiore Parte, vbi ab illa Cute tegitur & retegitur, quæ Præputium dicitur Glandis modo tumet: accedunt his præter Venas, Arterias, & Neruos, 4. Muſculi, quorum duo erectioni Penis, duo Excretioni Seminis ſeruire putantur. Vterus ſiue Matrix, alterum procreationis inſtrumentum, intus reconditus eſt in ampla coxarum cauitate, medio loco inter Veſicam & Rectum Inteſtinum, quibus alligatur: Figura eius rotunda & oblonga eſt Pyro ſimilis, in Anguſtum Os deſinens, Fundi Forma anterius & poſteriꝰ nonnihil depreſſa, ſuperius obtuſa angulos oſtendens ſimilis fronti vitulorum, quæ Cornua productura eſt, potiſſimum in Brutis, vnde Cornua vocantur.

Subſtantia Vteri membranea eſt vt ad fœtus Incrementum dilatari rurſuſque contrahi queat, ac proinde in virginibus & ſterilibus Vterus exiguus eſt: Conſtat ſimplici Tunica ſatis craſſa denſaque, cui alia in peritonæo initium ſumens obducitur. Deinde vas ſemen deferens iuxta Cornua in latus Vteri inſeritur, & per Corpus Vteri ad Os eius vſq; diſſeminatur. Via à pudendo ad Os Vteri, quæ Ceruix Vteri, & ſinus Pudoris vocatur, Corpus oblongum eſt, Canalis aut Vaginæ inſtar, & etiam Membranoſum & Rugoſum; ab anteriore ſuperioreque Parte Veſicæ inſertionem excipit; ſupra hanc inſertionem à lateribus ſunt duo proceſſus Neruei, quos κλειτορίδα Fallopius appellat: Infra quatuor Carunculæ Membranoſæ, quas nonnulli Nymphas vocant, cæteræque pudendi Partes.

Hæc ſunt Organa quibus perficitur generatio, & in quibus gignuntur & continentur proxima generationis noſtræ Principia, Semen & Menſtruus Sanguis: de quibus ſupra.

Plato 6. de legibus inquit: Oportet eam ob Cauſam liberos propagare & poſt ſe relinquere, vt ſinguli Deo alios miniſtros ſiue cultores ſuo loco ſubſtituunt: Quæ etiam Finalis Cauſa eſt Generationis,

tionis, videlicet Conseruatio & propagatio generis humani, à quo Deus vult coli.

Porro sub Facultate generatrice duæ etiam proprie continentur videlicet Alteratrix & Formatrix: Instrumentum vero Facultatis generatricis est calor plasticus, non igneus corrumpens, sed proportione correspondens virtuti cælesti, consistens in tenuiori seminis virilis portione, vnde & Spiritus dicitur, à quo prima operatio quæ Ebullitio & Spumificatio, Seminisq; Actio prima dicitur.

Gradus conceptionis. Quinque.

Generatio proprie dicta à Galen. 1. De Semin. definitur viuificatio seminis ad formandum Fœtum orta à proprietate Vteri: Hæc Partium est delineatio & conformatio, quæ à nonnullis sub se comprehendit quinq; Tempora & gradus. Primam vocant Ebullitionem siue Spumificationem, primam Seminis Actionem. 2. Partium delineationem. 3. Delineationis repletionem. 4. Canificationem. 5. Absolutam perfectamq; omnium conformationem.

Quando Conceptio incipiat.

Galenus 1. de Sem. hæc eadem opera generationis 4. Temporibus distinxit, sub quibus conceptionem etiam simul comprehendit. 1. Primum opus γονὴ ab eo vocatur. 2. Κύημα. 3. Ἔμβρυον. 4. Παιδίον id est Infans.

Spumationi tribuuntur 6. Dies. Delineationi 4. Delineationis repletioni 8. Carnis generationi 14. Conformationi 13. Alij tamen assignant diem 50.

Hinc primis sex diebus à conceptione semen bulliens atque æstuans oui speciem refert, in qua quædam ampullæ existunt, Epatis, Cordis, & Cerebri: Et adhuc vocatur γονὴ id est semen. Sequentibus nouem diebus, videlicet à sexto vsq; ad decimum quintum Sanguis paulatim influit, & Semini permixtus efficit massam, quæ appellatur κύημα id est conceptio. Proximis duodecim diebus, hoc est à decimo sexto ad vicesimum septimum principalia membra conformari atque distingui: & vocatur ἔμβρυον id est nuper natus Infans. Tandem octodecim diebus sequentibus ad quadragesimum quintum singulæ partes formantur, & tunc fœtꝰ dicitur infans seu παιδίον, viuereq; incipit.

Circumdatur autem Fœtus tribus inuolucris siue Membranis. 1 Quæ fœtum immediate inuoluit ἀμνεῶν, propter teneritatem scilicet, quod mollis sit vt agnus, inde agnina. 2. à Mucronata Cartilagine ad Ilia vsq; cingit Zonæ instar, quæ à farciminis Figura ἀλλαντοειδὴς dicitur. 3. Vasa Vmbilicalia fulcit eorumq; interuentu tota Vtero adhæresci, quæ quia Circuli instar fœtum ambit, aut continet χόριον latine secunda vel secundina appellatur.

Nu-

Nutritur autem & augetur Fœtus Maternus, Sanguine ex acetabulis siue orificijs vasorum vteri, per Venas & Arterias Vmbilicales quæ chorio fulciuntur. Quare cibum per os non capit, neq; prima aut secunda concoctione indiget, nec etiam alium reddit; lotium tamen vehiculum Sanguinis per ἔρεχον in ἀπαντοιδὲς deponit, ne fœt⁹ lædatur, aut Vterus ad excretionem irritetur, sudorem vero Amnios excipit. Verum aliæ partes ex sanguine, aliæ ex Semine generantur: Venæ, Arteriæ & Membranæ nascuntur ex Semine, reliquæ ex sanguine purissimo menstruo Matris, qui ex cotylidonib⁹ per Vmbilicū affluit. *Nutrimentum Fœtus.*

Dies à conceptione duplicati constituunt diem Motus: Vt igitur diebus quadraginta quinque formatur fœtus: sic post bis quadraginta quinque hoc est nonaginta dies, seu Menses tres moueri incipit: Postea triplicati dies Motus adferunt Tempus partus, nempe post menses nouem: Nam nono Mense plerumque eduntur Mares, fœmellæ vero decimo: Qui citius nascuntur, præsertim sexto & octauo Mense, non viuunt, Septimo vero editi, viuere possunt, quia septimus Mensis à conceptione est Criticus id est Iudicatorius, quo fœtus mouetur ad Exitum siue Partum. *De Tempore Motus.*

Fit autem etiam vt Locus Lunæ in Partu congruat cum loco in conceptione, hoc est in quo signo est Luna tempore Partus, in eodem etiam Luna fuit tempore conceptionis, ergo si nascitur Infans, vel in Lucem suscipitur in Coniunctione Solis & Lunæ hoc est in Nouilunio: Conceptio etiam in Nouilunio facta est: At regulare est editos infantes in coniunctione Solis & Lunæ non esse viuaces: Ratio non est obscura, quia hoc tempore fluit Sanguis impurus seu Menstruus: sicque tales qui illo tempore concipiuntur imbecilliores sunt Natura & minus debiles. Editus iam Infans plorat, quasi præsagiens vitæ mortalis Calamitates. Sapientiæ 7. Fletus fuit mea vox prima, sicut & aliorum, &c. Hæc de Facultate generatrice Nobilissima ac Diuina, sequitur Facultas Animalis.

CAPVT XXII.

De Facultate Animali.

FAcultas Animalis secundum Medicos est vis animæ residens primum in Cerebro, quæ ab Obiecto ad agendum excitata mediante

spiritu animali in Cerebri ventriculis generantur, & per neruos vt Organa sensus & motus distribuuntur, Functionis Principis Facultatis, sensuum exteriorum, & motus voluntarij perficit gratia vitæ melioris, nimirum vt res obiectas cognoscamus, quę bona videntur, persequamur & mala fugiamus.

Functio autem Facultatis Animalis nulla videtur communior, quam cognitio, concitatio, nimirum Facultatis animalis in Cerebro, & proprie perceptio, aut diiudicatio rerum externarum per suas species.

Domicilium Fons & Origo Facultatis Animalis est Cerebrum secundum Substantiam, cui ceteræ Partes inseruiunt.

Illa ex Cerebro per Neruos in Vniuersum Corpus transmittit, Sensum & Motum, hinc Facultas Animalis triplex alijs duplex Sentiens, Mouens ac Princeps: Sensitiua Facultas est vis Animæ residens primum in Cerebro, deinde mediantibus Neruis in Organis quinq; sensuum exteriorum à natura in eum vsum constructis, vt externarum rerum per medium delatarum cognitionem percipere queamus.

Proprium Munus Facultatis Sensitiuæ αἴσθημα siue sensatio dicitur, quatuorque requirit 1. αἰσθητικὸν vim sentiendi. 2. αἰσθητήριον, organum bene dispositum. 3. αἰσθητὸν sensibile. 4. Intermedium inter sensile & Organum, proprie in sensibus externis. Vis sentiendi conflat ab Anima ac promanat & à Cerebro primariò recipitur, vbi velut in propria sede & Domicilio subsistit, à quo beneficio Spiritus Animalis, per Neruos delati, alijs partibus vim sensus & Motus impetit: Quare αἰσθητήριον commune erit Cerebrum, Particularia verò quinque sunt.

In sensatione duo sunt 1. Repræsentatio. 2. Rei Perceptio. Receptio fit perpessione Organi sensitiui à specie rei obiectæ. Perceptio siue diiudicatio speciei fit in Cerebro primo sensorio, licet à parte Instrumentaria initium habeat. Vnde Hippocr. qui parte aliqua dolent, & dolorem non sentiunt, ijs Mens siue sensus interior & Cerebrum laborat.

Sensibilia siue obiecta quæ sentiuntur vnius generis non sunt, nam alia per se sensibilia sunt alia per Accidens. Per se sensibilia sunt, quæ nullo alio sensili interueniente percipiuntur; Horum alia Propria vni sensui sunt, quæ vno solo sensu comprænhenduntur, & in quibus

quibus percipiendis, sensu apte dispositum ad suum obiectum errare non contigit: Qualia quinque sunt Color, Sonus, Odor, & Tactiles Qualitates. Alia Communia Sensilia dicuntur, quæ non vno solo sensu, sed aut pluribus, aut omnibus percipiuntur, & circa quæ sentientem errare contingit: Eiusmodi sunt quinque quoque Motus, Quies, Numerus, Magnitudo, Figura. Per Accidens sensilia sunt, quæ interueniente aliquo per se sensili, sentiuntur, & vt cognoscantur interiori aliqua Facultate, sensu nimirum communi, indigent, vbi recipiuntur & determinantur obiecta exteriorum sensuum.

Sensus philosophis duplices Interiores & Exteriores: Interiores causa Externorum sunt, & resident in Cerebro, vbi etiam finiuntur externi sensus. Sensus autem Exteriores internuntij Interiorum tot sunt, quot propria obiecta, quibus definiuntur, nimirum quinq; Visus, Auditus, Olfactus, Gustus & Tactus: differunt Instrumentis Oculis, Auribus, Lingua, Naribus, Cute: differunt obiectis vt Colore, Sono, Sapore, Odore & Qualitate Tractabili.

Ab Obiectis Sensus Exteriores in Actum deducuntur siue sentiunt, & vt perfecte sentiant, quatuor illa supra requiruntur. Præterea omnibus sensibus hæc communia sunt. 1. Vt obiecti speciem sine Materia percipiant. 2. Vt sensatio non emissione, sed receptione speciei solum fiat. 3. Cum sensus potentia & λόγῳ sit, sensorium informans, & ad sentiendum aptum reddens, vt inter sensile & sensum proportio quædam sit. Nam excellens obiectum, quod vehementius Organum sensitiuum mouet, quam sensus ratio patitur, ipsum Organum corrumpit, aut deprauatam sensationem siue dolorem in sensu efficit: Hæc de potentia sentiente sequitur de Appetitu sensitiuo.

Appetitus Sensitiuus est vis animæ qua Animal ad rem sensum perceptam inclinatur. Obiectum eius est bonum, sensu apprehensum, siue id reuera sit bonum, siue tale appareat. Ex Appetitu, tanquã eius Actus prodeunt Passiones & Affectus. Quidam tres gradus statuunt Appetitionum 1. Est Appetitus Naturalis, siue Appetitio cibi ac potus, hic inseruit membris Nutritioni seruientibus. 2. Est Appetitio Sensuum, vt delectatio, & dolor, lætitia, tristitia, spes, metus, Odium, Amor, Ira, Misericordia, & si qui alij sunt Cordis Motus. 3 Est Appetitio Voluntatis, cuius propria est Actio appetere, siue persequi aut Fugere obiectum, vt ait Aristoteles.

Affectus est motus Voluntatis aut Cordis sequens Cognitionem, prosequens aut fugiens obiectum, quem perpetuo comitatur vel dolor, vel lætitia: cum enim obiectum suaue sit, lætitia existit, sin malum Dolor.

Affectus alij iuuant, seu conseruant Naturam, vt Lætitia, Spes, Amor, absq; his enim Vita esse non potest: Alij lædunt & destruunt naturam, vt Tristitia, Metus, Odium.

Species Affectuum præcipue sunt, Lætitia, mæstitia, Spes & Metus: Ex his quatuor tanquam ex fontibus manant reliqui Affectus, vt Odium, Inuidia & Misericordia.

CAPVT XXIII.

De Facultate Motiua.

FAcultas Mouens seu Motrix, ea est qua animal de loco in locum mouetur: Est autem vel perfecta vt animalium perfectorum, vel Obscurior animalium imperfectorum &c. hæ mouent se tantum dilatando & constringendo.

Facultas autem Motrix, omnibus totius Corporis Musculis insita, eos, quibus opus est, Musculos contrahit; Musculi contracti tendines attrahunt: Tendines attracti ossa: deniq; ossibus Motis membrum, vel totum Corpus de loco in locum mouetur. Instrumentum Motus est Musculus: vulgo enim definitur esse Organum spontanei Motus: Quando quidam anxie disquirunt, quænam in Musculo pars præcipuum Motus Instrumentum sit, an Neruus, an Teredo, an Caro: non adeò necessariò id facere videntur. Nam vt est apud Aristotelem 2. de par. Cap. 1. ἡ μὲν αἴσθησις ἐν ταῖς ὁμοιομερέσι αἱ δὲ πράξεις διὰ τῶν ἀνομοιομερῶν ὑπάρχουσι τοῖς ζώοις, id est vis sentiendi in Similaribus sita est: Actiones autem per Dissimilares administrantur: Quamuis enim 4. Motus Musculorum sunt differentiæ, dum vel contrahuntur Musculi, vel extenduntur, vel transferuntur, vel tensi manent vti Galenus lib. 1. de motu muscul. cap. 8. docet, Tamen contractio, qua Musculus Caput versus, & ad Proprium Principium trahitur, propria eius est Actio, qua Partes, quocunque opus est, flectuntur. Extensio & ipsa necessaria est, verum proxima Motus Causa non est; & Passio potius,

potius, quam Actio est: Dum enim contractus Musculus, extenditur, ab alio patitur, non ipse id agit: Ad Contractionem pertinet & Tonicus Motus, in quo Musculorum villi tensi, manent: In quo licet quies quædam videatur: tamen reuera in quiete illa Musculi agunt, dum membrum in eo situ, ad quem Motu id perduxerunt, conseruant.

Tribus autem Organis locomotiua opus habet, Neruis, Musculis, chordis. 1. Enim Cerebrum ciet Neruos, Nerui excitant Musculos, Musculi verò dilatant se & contrahunt, contracti Musculi, Tendines attrahunt, Tendines attracti ossa, ossibus Motis, membra vel totum Corpus mouetur de loco in locum. Intelligi etiam hoc loco debet Motus Voluntarius, non Naturalis: aliter enim mouetur lapis scilicet Motu Naturali, quo semper deorsum labitur, item Ignis, qui semper sursum tendit: sic Ventriculus Naturali vi sua cibum coquit: sed aliter mouentur Membra, siue partes Corporis, scilicet motu Voluntario: Cum enim Volumus, tunc manum mouemus, aut pedem: cum non quiescimus. Est etiam quidam à Medicis Motus Mixtus, partim scilicet Voluntarius, partim Naturalis, vt in Vrina videmus, quæ Naturali quidem impulsu effluit, sed non fere, nisi cum volumus. Potest enim Homo continere Vrinam, etiamsi Natura vrgeat ad expellendum: Inde Locomotiua à voluntate regi videtur, imperio scilicet herili δεσποτικῶ, vti enim Herus seruo, sic voluntas imperat Membris.

CAPVT XXIV.

De Facultate Principe.

FAcultas Princeps ea est, cuius Dominatu Homo regitur: earum sunt Tres, Phantasiá, Memoria & Ratio; De hac Facultate non per omnia inter se consentiunt Medici, Galenus 8. De vsu partium & lib. de symp. diff. tres Principes enumerat φαντασικὸν, λογιστικὴν, & μνημονευτικὴν, & Facultates ex functionum læsionibus iudicat. Auicen. quinque diuersas facultates Principes recenset: nimirum sensum communem, Imaginationem, Rationem, Memoriam & Reminiscentiam. Sedes principum Facultatum est in Cerebro teste Galeno 8. & 9. de Vsu part. Habet enim Cerebri substantia contentum Spiritum Innatum, complantatum, vna cum Spiritu Animali, permixtum, tan-

quam Organũ Conſeruatiuũ omnium Facultatum Principumq; propter diuerſitatem Medicorum primo dicemus de ſenſu communi.

De Senſu Communi. Hic ſenſus quaſi interſtitium & externorũ & internorum ſenſuum, ſpecieſq; ab externis recipit, & reliquis internis communicat. Sennertus lib. 1. cap. 13. de ſenſibus interniũ. Vnde non inepte centro circuli comparatur, in quo quinq; lineæ concurrant.

Senſus Communis eſt vis Animæ ſentientis, quæ Exterioribus ſenſibus vim Animalem per Neruos communicat, & ad quam ſpecies repræſentatæ in ſenſibus exterioribus deferuntur, vt ibi diiudicentur & diſcernantur. Hic ſenſus communis licet reſpectu Interiorum ſit primus, ratione tamen exteriorum vltimus & ſupremus iudicatur: in quo ſenſiones exteriorum velut in Centro terminantur & coeunt: Vnde ratione Termini Vnus ratione ſenſuum exteriorum, qui in eo finiuntur, multiplex eſſe iudicatur: Nam ſenſus Communis quaſi centrum eſt in medio circuli, à quo quinque exteriores ſenſus tanquam lineæ ad Circumferentiam exeunt, & vt Centrum non eſt ampliꝰ punctum, vbi diſcedit à medio, ſed linea: Ita ſenſus communis vt à Centro exit, ad Organa Viſus, Auditus &c. non eſt amplius ſenſus communis, ſed Viſus, Auditus &c. at contra ſi recedamus à circumferentia ad Centrũ, tum Viſus, Auditus, Guſtus & non amplius hoc nomine appellabuntur, ſed in centro coeuntes dicentur ſenſus comunis.

Quare Facultas ſentiens vna erit ratione Eſſentiæ, plures ratione Organorũ. Officia ſenſus communis ſunt: Omniũ exteriorũ ſenſuum obiecta, medijs ſenſibus exterioribꝰ, percipere. Differentiam inter diuerſorum ſenſuum obiecta cognoſcere; priuationem & abſentiã obiectorum, vt tenebrarum, ſilentij &c. diiudicare; mouere Phantaſiam, eiq; ſpecies ſenſibiles offerre. Sic duo præſtat: primũ vim ſentiendi per Neruos ſenſibus exterioribus communicat: deinde exteriorum ſenſuum ſpecies diiudicat, & ab inuicem diſtinguit: Nam ſenſus Communis exteriores omnes vnit, eorumque actiones perficit, ac nos ſentire iudicat: Præter ſenſum Communem addamus Phantaſiam &c.

CAPVT XXV.

De Phantaſia & Memoria.

PHantaſia eſt Facultas animæ ſenſitiuæ, quæ ſpecies à Senſibus perceptas repræſentat, & ex ijs nouas Imagines effingit, ſiue intentiones elicit, vt id quod ſibi Vtile eſt, proſequatur, aut noxium fugiat: Mouetur à ſenſu Communi, & vbi finitur Senſus Communis, ibi Phantaſia incipit, deinde auxilio memoriæ illi iunctæ circa abſentia ope-

operatur: & in somno quoque non quiescit; præterea iudicando obiecta amica & aduersa, sub notiones addit, & appetitū excitat, variasq; operationes in Brutis Naturæ instinctu, in Homine mentis beneficio producit. Hæc Facultas in homine media est inter Sensum & Intellectum, mentiq; proxime inseruit: ac à mente vice versa dirigitur. In Brutis præcipua est, sub qua æstimatiua continetur, quæ sub notiones addit, siue ex speciebus sensibilibus species quasdam in sensibiles amicas & aduersas colligit. Sennertus lib. 1. cap. 13. de sensibus Internis ait: Phantasia primum ab externo obiecto moueri debet, nihilque possumus imaginari, quod non prius sensu externo percepimus. Et quamuis Aureum montem, & Chimæram imaginemur, quæ nunquam tota vidimus: tamen secundū partem ea percepimus. Et nisi Aurum & montē conspexissemus, aureū montē imaginari non possemus: sic nisi Leonem, Capram, Draconē, vidissemus, Chimerā imaginari impossibile esset: Sequitur de Memoria inter sensus interiores referenda.

Memoria est Interna Animę sentientis Facultas conceptarū rerum imagines & notiones conseruans, ac ex præterito prompte repetens. Hæc Facultas in homine vna cum Phantasia menti inseruit: ac mens quaten⁹ ratiocinatione impressarū rerū imagines ordine mouet reminiscentia dicitur. Memoriæ autē seu Facultatis memorandi duo sunt Actus: Vnus qui Facultatis nomine appellatur memoria; Alter Reminiscentia Memoria definitur rei ante cognitę (præteritorū enim tantū est) vt cognita est, iterata apprehensio; seu eius, quod antea perceptū erat sensibus, vt perceptum erat repetitio. Reminiscentia ex vnius vel plurium rerum, in memoria asseruatarum, in alterius, quæ non prompte occurrit, recordatione regreditur: Et plura requiruntur ad Reminiscentiam quam ad Memoriam: brutis Memoria etiam communis est, Reminiscentia non item. Ad Memoriam satis est, vt rem eodem modo, quo eam percepimus rursum apprehendamus: ad Reminiscentiam verò requiritur, vt antea res exciderit, nec directe eius recordemur. Deinde vt aliam rem Memoria comprehensam habeamus, & eius ductu in ignoti notitiam rursum veniamus: tandem ad Rationem Facultas siue Potentia Rationalis λογικὴ complectitur λόγον, id est, rationem, siue νοῦν Intelligentiam & Voluntatem βούλησιν, quæ sunt Principes Facultates Animæ. Mens enim in Capite tanquam in summa arce collocata præses est, consiliarius & dictator studiorum &

Actio-

Actionum. Voluntas verò tanquam Rex Consilia mentis vel approbat & exequitur, vel improbat & reijcit: In homine pene est gubernatio Aulica, in Aula sunt Consiliarij, qui quid faciendum sit, monent atque suadent, & talis est Mens. Deinde in Aula est Princeps siue Rex, qui audit quidem consiliarios, sed interim tamen facit, quod lubet: Ita quoque Voluntas est.

Etsi enim Harmonia siue consensio summa Mentis & Voluntatis esse debebat, ita vt quæ suadet Mens eadem probet Voluntas: tamen propter ἀπαξίαν naturæ Voluntas sæpe dissidet à mente & facit contraria. Vsus doctrinæ de Potentia Rationali. 1. Deducit nos ad Agnitionem Dei, qui Æternæ Sapientiæ radios in mentes nostras sparsit, vt inde infinitam & immensam eius sapientiam, bonitatem, & in nos beneuolentiam æstimemus. 2. Cognitio mentis nostræ hortatur nos ad Cultum pietatis, sobrietatis, & Actiones Diuinæ Origini, & naturæ congruentes. 3. Consideratio dissidij rationis & voluntatis admonet nos de Cura regendi mores, & moderandi appetitus, ne rationem præcurrant, & extra modum prodeant. 4. Actiones mentis modum omnem atque progressum discendi, iudicandi, & memorandi res exponunt: &c. Includit ita Anima Rationalis duas illas Facultates: Intellectum, quo res apprehendimus & cognoscimus; & Voluntatem, qua ad ea, quæ sub ratione boni cognouimus ferimur: Sic in Intellectu sunt notitiæ, in voluntate προαίρεσις siue Electio: Notitia est habitus Intellectus, alia quidem rei præsentis, alia abstructiua, qualis est de Deo. Vel obiecti simplicis vt cognosco pulegium, vel propositionis notitia vt pulegium calefacit: Propositionis, notitia alia certa, alia incerta, incerta vel est opinio, δόξα vel suspicio ὑπόληψις: Habitus intellectus secundum Aristotelem sunt 5. Notitia principiorum, scientia, Ars, Prudentia & Sapientia: Dominus Philippus addit Fidem scilicet Historicam, cum aliquid certò credimus, quod narratur & asseueratur, &c. Examinemus itaque pluries cum Deo, clara luce singula fiant docibilia.

Principium nostræ cognitionis cõstituunt, sensus exteriores, mediũ Interiores, Finem denique mens ipsa imponit, quæ nos cum Fine omnium postremo Deo scilicet vnit.

CA-

CAPVT XXVI.

De Facultate intellectiua.

FAcultas intellectiua siue mens, est ea vis animæ humanæ, quæ sine interuentu organi Corporei adminiculo phantasiæ, & sensuum essentiam cuiusque scibilis intelligit.

Functio mentis proprie est Intellectio: Intelligere autem se habet aliquo modo vt sentire: Nam vt sensus nullam earum qualitatum actu habet quam sentit: ita Mens actu expers est eorum, quæ intelligit, sed potentia omnium particeps. Vnde τόπος εἰδῶν à Platone dicitur, quod si Actu intelligit, εἶδος εἰδῶν existit. Deinde vt sensus ab eo quod sentit, afficitur, nimirum à sensili, ita mens, ab eo quod intelligitur, sed non pari ratione. Sensus obiecta λόγῳ sibi correspondentia tantum percipit, & ab excellentibus læditur, quod Facultas sentiendi Instrumento Temperato vtatur. Sic intellectus excellentissimo obiecto magis acuitur, vt minus excellentiæ facilius percipiat: & corpori quatenus operatur, permixtus non est; sed proprie simplex & Immutabilis. Anima intellectiua licet secundum essentiam corpus humanum informet, tamen ratione operationis in nulla peculiari parte corporis vires suas exerit, nec in recipiendis speciebus intelligibilibus, organo corporeo indiget: sed sine interuentu organi corporei species illas intelligit; quo potissimum à sensitiua Facultate distinguitur, quæ receptam ab organo speciem iudicat.

Functio mentis.

Intellectus obiectum est omne id, quod intelligitur aut intelligi potest, νοητὸν id est scibile, quæ autem intelliguntur duplicia sunt. Alia omni materia carent, vt ἀπλῶς ὄντα, quorum ipsa, ac ipsorum, esse non differunt: alia cum materia concreta sunt, in quibus semper aliud est res ipsa, aliud esse rei. Simpliciſſima mentis apprehensio primi Philosophi est, quæ ἀπλῶς ὄντα considerat: reliqua scibilium genera, nimirum πρός τι ὄντα quæ ad Physicam, & ἐξ ἀφαιρέσεως ὄντα quæ ad Mathematicam pertinet, διάνοια apprehenduntur. Quemadmodum autem νοητὰ actu νοητὰ non sunt, priusquam à materia fiat. Extra

Intellectus versatur circa ens, quod late patet, vt sub illo ea intelligatur quicquid ex tra ipsa rerũ natura

Naturâ est Deus, hûc in primis nosse debet Homo In Natura sunt res Naturales, quæ cognitæ & perspectæ vtiq; Homini esse debent. Sed est ingẽs caligo mẽtis nostrarũ quã Aristoteles deplorat lib. 2. Metaphys. c. 1.

tia abstracta mente percipiantur: Ita mens ipsa potentia non actu intelligit, priusquam abstractas species recipiat, sed in ortu instar rasæ Tabulæ est: Speciebus verò receptis, & alia & conuersa ad suas species semetipsam intelligit, quod alijs intelligibilibus denegatum est, cum esse mentis ab ipsa non differat, & materiata proprie non sit. Nihilominus ex similitudine aliarum rerum, vt species illas mens recipit, materialis & quodammodo composita dicitur, & in mentem agentem & patientem diuiditur. Est autem mens Patiens, quæ Phantasiæ adiuncta νοητὰ in se recipit: mens vero agens, quæ facit vt species in Phantasia potentia intelligibiles actu intelligantur, & patibili menti imprimantur. Hæc vt Lumen ad Colores se habet: vt enim colores in subiecto aliquo sunt, sed per Lumen sine subiecto aêrem adficiunt, ita mens Agens efficit vt species in Phantasia traducantur sine materia in mentem patientem: Et vt Lumen à pellucido separatur: ita mens agens à Phantasia & corpore, cum per se immortalis sit. Verum mens patiens cum sine phantasia & memoria non subsistat, mortalis iudicatur.

Aristoteles lib. 3. cap. 5. de anima νοῦν παθητικὸν appellat acumen & vim diuinitus insitam ad inueniendum & excogitandum siue ratiocinandum bona honesta & vtilia: Estque hic intellectus similis actori, Doctori, vel dictatori. νοῦν παθητικὸν verò dictata intelligit, & tanquam dictata accipit, similisque est discipulo. Sic intellectus agens est vis siue acumen inueniendi aliquid laude & imitatione dignum. Qualis fuit in Archimede, qui inuenit machinas bellicas, & Monacho qui Typographiæ primus inuentor. Item in Aristotele qui primus definiuit virtutem, quod sit habitus bonus &c.

In Scholis 7. numerãtur actiones intellectus. 1. Simpliciũ cognitio illa cõis est cum beatis. 2. Nuda meratio soli Homini pro pria. 3. Com

Mentis humanæ operationes & actiones ratione obiectorum tres sunt, quarum 1. est νόησις simplicium apprehensio, 2. Est compositio, siue adfirmatio, & diuisio νοημάτων siue negatio. 3. λογισμὸς discursus & ratiocinatio ex veris notis ignota colligens, qua operatione scientiæ constituuntur. Ratione finis mens ipsa aut est θεωρητικὴ aut πρακτικὴ; illa circa Necessaria versatur, & in nuda veritatis consideratione consistens intra se vertitur: hæc circa contingentia, in quibus actio, & quæ in nostra potestate posita sunt, occupata est, ac veri consideratione contenta non est, sed boni alicuius gratia intelligit; nimirum in rebus agendis, vim suam exerit consultando & deliberando, quid fugiendum quidque expetendum sit, demonstrans

Vtra-

Vtraque sine Visis vel phantasmatibus in homine non est: sed contemplatiua phantasmata ex sensibus, non tanquam sensibilia, sed νοητὰ considerat, & adfirmationem vel negationem visis adiungit, & an vera, an falsa sint, inquirit.

positio & diuisio q̃ actio est formans ppositiones. 4. Ratiocinatio. 5. Iudicium cuius 3. κελητικὸν. 6. Memoria & Recordatio. 7. Conscientia.

Practica verò sensibilia, vt sensibilia considerat, nam deliberatio rerum singularium est, sed hic sensibilibus bonum siue expetendum, & malum siue fugiendum adiungit: Et comparando ex præteritis & præsentibus de futuris deliberat, in qua deliberatione prudens vere bona visis illis adiungit: Imprudens boni specie & cupiditate aliqua illectus apparentia bona pro veris habet, & cum visis illis comparat. Bruta vero sine deliberatione sensus communis iudicium visis illis adiungunt, & præsentibus sese accommodant, quæ si iucunda fuerint, persequuntur; sin tristia fugiunt: sequitur de voluntate, Supra dictum est de Facultate motrice, hic vero paucis agemus de voluntate seu parte Appetente.

Voluntas.

Actiones voluntatis propria.

Voluntas est potentia Appetens suprema, & libere agens, monstrato obiecto ad intellectum: Actiones voluntatis proprie sunt velle, nolle, suspendere actionem, id est differre opus, imperare locomotiuæ.

Actiones voluntatis Elicitæ & Imperatæ.

Hæc enim complectitur προαίρεσις, quæ est in voluntate, scilicet sponte velle aut nolle honesta & inhonesta, præcedente deliberatione: Sic voluntas manibus imperat, vt librum attingat vel non: Item si vis respondes molliter, sin vero tua voluntas non fert aspere respondes. Actiones voluntatis aliæ dicuntur Elicitæ siue προαιρετικαὶ in quibus serio & libere voluntas hoc vult, quod in sermone, gestu & Actione foris ostenditur: aliæ nominantur Imperata seu simulatæ, βελήσεις id est simulationes, in quibus non congruunt affectus cordis cũ Imperio voluntatis regentis Locomotiuam. Imperiũ voluntatis duplex πολιτικὸν ciuile & δεσποτικὸν herile. Cordi enim imperat voluntas πολιτικῶς, ciuiliter persuasione magis reprimens affectus, quam coactione. Membris verò Locomotiuæ potentiæ imperat δεσποτικῶς heriliter, perinde vt Herus seruum regit: obiectum voluntatis erit appetere & eligere Deum Conditorem suum, & res bonas cæteras, à Deo in natura conditas: sufficiant hæc de voluntate, sequitur & examinatio Somniorum.

Imperium voluntatis duplex: πολιτικὸν & δεσποτικὸν.

Somnia ad interiores sensus pertinent, cum mens concipit Phantasma aliquod, hoc est, imaginem siue spectrum, vel inspiratum sibi aliunde, vel à Corporis Humoribus, aut diurnis Actionibus subministratum: Cum enim Animus non quiescat etiam cessantibus Corporis Actionibus, ipse aliquid cogitat, fingit aut reminiscitur. Cicero 1. de Diuin. tacet Corpus dormientis, vt mortui: viget autem & viuit in somno Animus.

Somnia quadruplicia apud Philosophos.

Sunt autem quatruplicia apud Medicos somnia: alia diuina quæ Deus vel per se, vel Angelos mentibus inserit, habentque Testimonium certum, quod diuinitus ostendantur: qualia fuere Somnia apud Abrahamum, Isaacum &c. Vti ex veteri Testamento constat. De his Siracides 34. inquit: Si non fuerint ab altissimo monstrata Somnia, nihil eis tribue. Alia Diabolica, quæ per malos spiritus efferuntur, cuiusmodi sunt Veneficarum: alia Præsagientia, quæ velut pingunt futuros euentus, in genere tamen, non vero in specie. Horum tamen alia sunt ἄσημα id est nihil significantia, alia σημαντικὰ id est significantia, de nihil significantibus Siracides ait cap. 43. Qui multum tribuit Somnijs, captat Vmbram, & ventum persequitur. Nam Somnia nihil aliud sunt, quam fallax, fine re, similitudo. Et Salomon, vbi est multum Somniorum, ibi est multum vanitatis. Σημαντικὰ cum sunt, præsagit animus, hoc est futura prospicit, vel quæ geruntur, absens sentit, vide exemplum lib. 1. de Diuinatione: alia sunt Physica, quæ nimirum ex certis Humoribus in corpore vel ex rebus, quæ interdiu aguntur, aut cogitantur, existunt. Vti Galenus libro de Insomnijs: somnia alia ex Corporis dispositione, alia ex ijs, quæ agimus emergunt. 1. Bilioſi somniant colores flauos, incendia, vstiones, contentiones, pugnas & Volatus. 2. Sanguinei somniant rutilia, læta, conuiuia, choreas, complexus. 3. Phlegmatici aquas, balnea, mersiones in aquam, onera grauantia & impedientia incessum. 4. Melancholici, tristia, tetra, Caligines, atros fumos, oberrationes nocturnas, spectra & vagationes per loca solitaria: Deinde somniamus sæpenumero ea, de quibus vigilantes cogitauimus, aut egimus. Ciceronis præceptum lib. 1. de Diuinat. ex Platone: Plato sic iubet ad somnum proficisci corporibus affectis, vt nihil sit, quod errorem animis perturbationemque afferat: qui enim integri ad quietem eunt, his visa quietis occurrunt tranquillia atque veracia: qui vero Onusti Cibo & potu se quieti tradunt, his perturbata; tetra

Diabolica.

Præsagientia.

Physica.

Somnia sanguineorum.

Phlegmaticorum.

Melancholicorum.

&

& horrenda visa obijciuntur: Hæc de somnijs, sequitur de Facultate animali.

CAPVT XXVII.

De Facultate vitali.

FAcultas vitalis est vis animæ residens in Cordis substantia, qua ex sanguine vaporoso cum aëre in sinistrum eius sinum attracto spiritus vitalis, sanguisque spirituosus generatur; qui deinde per Arterias in totum corpus motu contractionis & distentionis distribuuntur, vt Calor Natiuus in sua temperie conseruetur.

Hæc Facultas non est eadem cum Naturali propter diuersitatem 1. Sedium: radicatur enim Facultas vitalis in corde Naturalis in Hepete. 2. Obiectorum; quia pro obiecto habet vitalis sanguinem, Naturalis Chylum, 3. Propter diuersitatem effectuum, quia alaborat vitalis sanguinem Arteriosum ac spiritus Vitalis: naturalis sanguinem venosum & Spiritus naturales.

Sub facultate naturali Gal. lib. de differ. Symptom. vitalē cōprehendit quæ θυμοειδὴς à Platone vocatur cuius sedes est cor, fons caloris natiui, & situm est in Thorace medio loco inter lecur & cererum, quē admodum ipsa facultas media est inter concupiscibilē & bellunis

Functio huius Facultatis prima & præcipua est vita, quæ vt docuit Aristoteles lib. de vita & morte est Participatio animæ in Calore natiuo. Nam vi caloris natiui facultates animæ in corpore conseruantur, & functiones perficiuntur.

Cor autem Vitalis Facultatis Domicilium est, fons vitæ, caloris que natiui, quo langueſcente aut deficiente omnia langueſcunt aut deficiunt cuius etiam gratia conditi sunt pulmones, qui tanquam flabellum sunt, quo cordis Calor refrigerari, & in sua naturali temperie conseruari queat.

Functiones vitalis facultatis tres Galenus enumerat, totidemque Facultates vnde promanant, quarum prima & præcipua est spirituum vitalium generatio, à Facultate vitali proprie dicta. Secunda priori tantum subseruit pulsuum effectio, à vi pulsifica Cordis: Tertia cæteras consequitur, nimirum affectuum concitatio à facultate Irascibili: de spiritibus supra dictum est: Pulsus autem & Respirationis vsus communis est similique modo perficiuntur, nam finis vtriusque est Conseruatio Caloris natiui in sua temperie, & spirituum

voluptatib. delectatur, & rationalē

vitalium generatio, deinde vtraque Functio ex motu dilatationis & contractionis componitur cum intermedia quiete: paucis itaque de Pulsu.

quæ diuinis honestisque studijs afficitur.

Pulsus est Functio cordis Arteriarumque Systole & Diastole constans vt Spiritus vitalis generetur, distribuatur, Calorque natiuus in naturali συμμετρία seruetur. Per Diastolen enim seu dilatationem cor impletur, dum sanguinem ex vena Caua in dextrum ventriculum

Diastole.

attrahit, & aerem ex Pulmonibus per arteriam venalem in sinistrum sinum deducit, vt spiritus vitalis generetur, & Calor natiuus euentiletur.

Systole.

Per Systolen siue modum contractionis ex sinistro suo sinu Cor, per Arteriam magnam spiritum elaboratum in totum Corpus transmittit, simulque Fuliginosas expirationes, seu excrementa, aeremque calidum ad pulmones per arteriam venalem expellit. Eodem modo Arteriæ Diastole per orificia sua, quæ in cutem desinunt, ex ambiente aere aliquid attrahunt & refocillantur; id quod præcipue in magnis æstibus animaduerti potest, in quibus auras frigidiores captantes, recreamur, & magnum inde commodum, recreatis spiritibus, percipimus: per Systolen vero Fuliginosa excrementa expellun-

Actio ἀφ πνοὴ ἀδηλὸς ἄφπνοὴ.

tur, quæ actio ἄφπνοὴ, & ἀδηλὸς ἄφπνοὴ, quod per occulta cutis spiracula fiat, Latinis transpiratio appellatur, & respirationi respondet, vt enim se habet ἄφπνοὴ ad Arterias, ita se habet ἀναπνοὴ seu Respiratio respectu Cordis: cuius ratione in animalibus totum corpus, teste Galeno lib. de vsu pulsuum confluxile & conspirabile redditur. Ad hos motus perficiendos tria vt diximus requiruntur, 1. Facultas pulsifica mouens, quæ in Corde primario residet 2. Instrumenta, quæ mouentur nimirum, primum Cor, deinde Arteriæ, quæ Facultatis impetum sequuntur.

3. Vis cordis.

Tertia vis cordis Platoni & Galeno est Irascibilis proprie dicta, vnde procedunt Pathemata non omnia, sed quæ consistunt in vindictæ, laudis & similium desiderio, vt Ira, gaudium &c. Vel contra in Mali alicuius, vt infamiæ, indigentiæ & similium, auersione & fuga, vt metus, mœstitia &c. Vt enim in libidine et estes afficiuntur, ita in ira, dum animus iniuria offensus vltionis desiderio concitatur, spiritus in Corde commouentur, & ad exteriora effunduntur: contra in metu auersione mali instantis ad interiora refugiunt: Hi affectus à cognitione oriuntur, & principia sunt motus voluntarij de quibus supra dictum est.

Re-

Respiratio est functio partim animalis, partim naturalis, & veluti pulsus duobus motibus constat Systole & Diastole, ita etiam respiratio gemino motu perficitur, & quasi duas partes habet; Inspirationem scilicet & expirationem: Inspiratione aër dilatato pulmone & Thorace per Os ac Nares attrahitur: Expiratione vero, compresso Thorace ac pulmone aër calidior & fuliginosa excrementa itidem per os ac Nares excluduntur: hi duo motus perpetua vicissitudine continuantur, quamdiu viuit Homo. In Respiratione vniuersum considerantur. 4. Primo vsus, qui triplex est, videlicet caloris Temperatio, spirituum nutritio, & Fuliginis exclusio. Secundo considerantur Instrumenta quæ sunt vel mouentia, vt Thorax, deducentia vt Larinx & Aspera Arteria: Excipientia vt Pulmones. Tertio causa efficiens, videlicet voluntas, quæ est vel ab electione vt in vigilantibus, vel ab instinctu, vt in dormientibus. Quarto differentiæ, quæ sumuntur quadrupliciter 1. vel à materia, hinc dicitur respiratio alia Calida, alia Frigida. 2. à motu, hinc dicitur respiratio celeris, media, vel alterius motu. 3. à quiete, hinc dicitur Frequens, mediocris, vel Rara. 4. à Parte quæ mouetur videlicet Thoracis dilatatione, hinc dicitur magna, vel Thoracis contractione & dicitur parua. Hæc sufficiant de respiratione, functionibus & facultatibus animæ, sequitur lib. 2. de pathologia.

De respiratione.

Systole & Diastole.

4. Requisita in respiratione.

1. Vsus.

2. Instrumenta.

3. Causa efficiens.

4. Differentiæ.

1. à Materia.

2. à Motu.

3. à Quiete.

4. à Parte.

***

Fracta.

Tractatus I.

BASILICÆ MEDICÆ

LIBER II.

De Pathologia Medicinæ Galenicæ Pars Secunda.

CAPVT I.

De Morbo, eiusque differentiis ex sententia Galeni, omniumque fere Medicorum.

Definitio Morbus essentialis & Accidentalis.

Morbus particularis vel communis.

Intemperies duplex simplex & composita.

MOrbus est affectus præter Naturam, actionem primo lædens: Huius differentiæ aliæ sunt essentiales, aliæ Accidentales: Essentiales à partium petuntur varietate, & ita consideratur morbus Particulariter vel Communiter: Particulariter dupliciter dicitur 1. Quando Lędit Partis similaris conuenientem temperiem & vocatur Intemperies, quæ duplex est: Simplex & Composita: simplex est Calida, Frigida, Humida & Sicca: Composita, vt Calida Humida, Calida Sicca, Frigida Humida & Frigida Sicca: vtraque consideratur vel vt est 1. Nuda & immaterialis, vt Phlogosis & congelatio, aut cum materia, videlicet sanguine, pituita & bile Flaua siue Atra. 2. Æqualis vel Inæqualis: Æqualis vt febris hectica, quæ est Intemperies totius

totius Corporis. Inæqualis vt verbi gratia Febris Lipyria sub qua vtuntur interiora, rigentque exteriora, quod accidit Inflammato aliquo viscere. Vel Febris Epiala, sub qua vna pars frigore obrigescit, altera Æstuante. *Intemperies æqualis & inæqualis.*

2. Particulariter morbus essentialis partis dissimilaris conuenientem Lædit vel numerum, vel magnitudinem: Numerum idque vel in redundantia vel defectu: Redundantia vel naturaliter vel præter naturam: Naturaliter seu ortu primo, vt tres testiculi vel sex digiti. Præter naturam vt polypus, verruca, callicondylemata, carunculæ meatus vrinarij: defectu vt vnus testiculus. *Dissimularis conuenientē Lædit. 1. Numerū dupliciter.*

2. Magnitudinem, idque eodem modo vel in redundantia, vel defectu: redundantia vt penis longior, Brachium longius, crus longius &c. Defectu, vt Lingua breuior, crus breuius &c. 3. Situm vt 1. luxatio artuum, 2. Intestina prolapsum in Inguen seu scrotum. *2 Magnitudinē. duplici tervel redūdantia vel defectu.*

3. Procidentia Ani vel vteri. 4. Conformationem idque vel in figura, meatu, læuitate & Asperitate: Figura, vt caput depressum vel Acuminatum, & Luxatio male curata. Meatu, vt viarum laxitas, & obstructio, quæ fit humoribus multis, crassis & viscidis, & obstructio ab alia quapiam materia. Læuitate, vt aspera arteria acri destillatione exasperata. Asperitate, si partes quæ debent esse asperæ læuigentur vt ventriculus, Vterus, Intestina &c. *3. Situm. tripliciter itidem redundantia vel defectu. 4. Cōformationem.*

Communiter morbus essentialis dicitur, quando lædit simul actionem partis vel dissimilaris: & ita dicitur solutio continui eaque pro partium varietate varie dicitur, & quidem in osse fractura, neruo conuulsio, Ligamento diuulsio & cute excoriatio, in carne ruptio, quæ adhuc dicitur Vulnus si prouenit à causa externa: Vel vlcus si prouenit à causa interna. *quadruplicitèr. Cōmuniter læditur actio partis similaris vel dissimilaris.*

CAPVT II.

De Morbis Accidentalibus.

SVpra dictum est de morbis, quod alij sint simplices, alij compositi: simplex morbus est, qui cum nullo alio morbo coniungitur: compositus, qui cum alio in eadem parte copulatur. Fernelius morbos *1. Morbi accidētales simplices ac cōpositi.*

Separati & Impliciti. bos diuidit in separatos seu disiunctos & implicitos. Separati & disiuncti sunt, qui in diuersis partibus consistunt, nec communem vsum vel actionem habent, nec affectus sibi inuicem communicant vt ophthalmia & Podagra. Impliciti sunt, qui diuersas afficiunt partes, & tales, quæ vnum communem vsum atque actionem habent, vt si diuersæ partis Thoracis laborant. Morbi connexi & consequentes sunt, cum vnus alterius est causa; vt, si ex magna inflammatione febris accendatur. Hocque fit vel partium societate & cognatione, qualis est ventriculi cum cerebro: vel ob situm, cuius gratiæ vna pars alterius excrementum excipit, veluti pulmones excrementa cerebri facile excipiunt: vel quia vna pars fortior in aliam debilem sua excrementa detrudit ac deponit.

Connexi & consequētes.

2. *Morbi fiētes & Facti.*

2. A generationis & subsistentiæ modo, alij morbi dicuntur fientes, alij facti; Fientes dicuntur, qui, etsi iam sint, àque sua causa producti existant: tamen sine causa efficiente subsistere non possunt, sed causa recedente, & ipsi á subiecto recedunt. Facti dicuntur, qui etiam remotis & ablatis causis generantibus, remanere & superesse possunt, nec illis sublatis statim tolluntur: sic ex potu frigidore, ventriculo intemperies frigida, aut potu calidiore Hepati intemperies Calida induci potest. Dicuntur autem fieri tribus modis 1. proprie fieri dicuntur, cum nondum sunt, sed producuntur & generantur. 2. qui augentur adhuc, quamuis sublata causa non tollantur, vt quæ eos in corpore solum augeat, non vero conseruet. 3. Qui etsi iam existunt, & affectus sunt, quibus actiones læduntur: tamen absque causa generante in corpore subsistere non possunt, & ita subiecto inhærent, vt cum causis suis recedant.

Morbi fieri dicuntur tripliciter.

3. *Morbi vniuersales & particulares.*

3. Ratione subiecti, morbus alius occupat totum, alius partem: qui totum occupat ab alijs vocatur communis, nos vniuersalem dicimus & qui partem, nuncupamus particularem: vniuersalis est qui totum corpus occupat, qualis morbus est febris. Particularis, qui particulariter partem aliquam, quamcunque etiam, occupat; vt ophthalmia, polypus, obstructio Epatis, Vulnus, Vlcus in aliqua parte.

4. *Morbi Ætatū. Hippo. 3. Aph. 24. 25. 26. 27. 29. 30*

4. Ratione Ætatum morbi alij sunt infantum, alij puerorum, adolescentum, iuuenum, virorum, alij senum: Ratione vero sexus morbi alij virorum alij mulierum.

4. A Cauſis etiam petuntur differentiæ. Sic morbus alius dicitur per ἰδιοπάθειαν ſeu eſſentiam, alius per συμπάθειαν ſeu conſenſum. Morbus per eſſentiam eſt, qui ortum habet à cauſa, eo in loco genita, in quo morbus excitatur. Per conſenſum verò dicitur morbus, qui excitatur à materia genita extra partem, in qua morbus eſt. Si enim cerebrum melancholico temperamento ſit affectum, vt Melancholicus & tenebricoſus ſpiritus gignat, dicitur Melancholia per eſſentiam. Si vero materia aliunde ſuppeditetur, fit melancholia per conſenſum, talis eſt hypochondriaca, vbi ex liene, & venis meſaraicis vapores Melancholici in caput attolluntur. Per conſenſum tribus modis fiunt 1. cum pars aliqua materiam aliunde excipit, vt cum caput eleuatis è ventriculo, vel vtero vaporibus, afficitur. 2. Cum ſpiritus, animæ actionibus influere prohibentur, vt fit contuſa ſpina, vertebris, vel ſi manus aut cura paradyſi corripiantur. 3. Cum materia ad actionem neceſſaria denegatur, vt cum pulmonibus obſtructis, vel perforatis aut reſolutis coſtarum muſculis, ſpiritus, ſeu aër exſpiratus ſufficiens ad vocis formationem non ſuppeditatur.

5. *Morbi per eſſentiam & per cõſenſũ.*

Melãcholia.

Morbi per conſenſum tribus modis fiunt.

9. Morbi alij dicuntur legitimi atque exquiſiti, alij Nothi & ſpurij. Legitimi & exquiſiti ſunt, qui ab vna & ſimplici cauſa proueniunt: Vt febris tertiana legitima ſeu pura, quæ à ſola bile excitatur; phlegmone exquiſita quæ à ſolo ſanguine ortum habet. Illegitimi verò & nothi morbi ſunt, qui ex miſtis humoribus excitantur, vt tertiana notha in qua bilis & pituita miſcentur; phlegmone Eryſipelatodes, in qua miſcetur ſanguine bilis.

6. *Morbi legitimi & notio: vel exquiſiti aut ſpurii.*

7. Morbi alij à primo ortu homini inhærent; alij genito iam adueniunt. Qui à primo ortu adſunt, ſunt duplices: vel hereditarij vel aduentitij: Hæreditarij dicuntur quorum cauſæ ab ipſis parentibus in liberos propagantur, & cum vitium aliquod, cui antea parentes fuere obnoxij, cum ipſo parentum ſemine & ſanguine materno in liberos deriuatur: vt in Epilepſia & podagra. Sunt quidem variæ morborum hæreditariorum differentiæ quos ab authoribus petere licebit. Morbi aduentitij ſeu adſcititij his opponuntur, qui iam genitis ex quamcunq; cauſa obtingunt

7. *Morbi Hereditarij & aduentitij.*

Variæ differentiæ morborũ hæreditariorum.

8. Morbi alij dicuntur contagioſi, alij non contagioſi. Morbi contagioſi ſunt, qui ſui ſemineum, atq; inquinamentum quoddam in aliud corpus transfundere, & per illud ſimile in corpore vitium

8. *Morbi cõtagioſi & non contagioſi.*

excitare possunt. Non contagiosi, hi alium, communicato inquinamento inficere non possunt. Morbus contagiosus est vel eminus vt pestis, vel cominus vt Lues venerea & Elephantiasis.

9. *Morbi sparsi & communes.* 9. Morbi quidem sparsi, ἀποφόδες siue ἀποφαδικοὶ dicuntur, cum plures diuersis laborant morbis: vt si hic ophthalmia, ille podagra, alius calculo laborat: Quidam dicuntur communes, παιδήμιοι, ἢ κοινοὶ, ἢ πάγκοινοι, quæ eiusdem speciei plures eodem tempore corripiunt. Hi diuiduntur in ἐνδημίους & ἐπιδημίους. ἐνδήμιοι, quasi vernaculi sunt, qui frequentes locum aliquem occupant, eiusdem regionis incolas, propter communem causam, aut aërem patrium, aquas, vel victus rationem, corripiunt. Talis morbus est scorbutus, Incolis littoris maris Baltici: Lues venerea Indis; Phthisis Lusitanis: Lepra Iudæis; Broncocele Alpinis; strumæ Hispanis &c. Ἐπιδήμιον sunt morbi, qui passim in vulgus grassantur & sunt eiusdem generis plures ab vna causa: sunt tamen λοιμώδεις vel pestilentes: vel interdum μὴ λοιμώδεις non pestilentes, vt catharrus, popularis, pleuritis popularis &c.

Morbi Endemij.

Morbi Epidemij.

10. *Morbi Magni & parui vel per se vel per accidẽs: & per se triplex.* 10. Diuiduntur & morbi in magnos seu vehementes & paruos: magnus per se tribus modis dicetur, 1. ratione dignitatis seu potestatis, qui organum natura dignius, & constitutionem ad vitam magis necessariam lædit. 2. Per se dicitur morbus magnus ratione essentiæ propriæ, seu recessus à naturali statu. 3. Dicitur morbus magnus, ratione κακοηθείας seu mali moris, cum nimirum praua aliqua qualitas affectui coniuncta est.

Per accidẽs morbus magnus duplici ter dicitur. Per Accidens etiam morbus dicitur magnus 1. Ratione partis præstantis, quando morbus partem præstantem occupat, vel talem, quæ, etsi sua natura præstans non sit, partem tamen præstantem in consensu trahere potest. 2. Magnus etiam dicitur ex læsione facultatis corpus nostrum gubernãtis, cum scilicet morbus facultatem, ex cuius læsione vitæ periculum immineat, deijcit.

12. *Morbi benigni & maligni.* 12. Est etiam alius morbos benignus, alius malignus: Morbus benignus est, qui nihil grauium symptomatum supra propriam naturam habet, tantumque ea, quæ proueniunt à peculiari à natura recessu. Morbus malignus est, qui peiora, quam pro suæ naturæ ratione habet Symptomata, & cui ex occultis qualitatibus aliquid vitij quod vires deiicit, coniungitur: Hic Medicum & ægrum sæpe fallit, refertur à nonnullis inter venenatos generantur à veneno vel intus

Morbi malignẽt dicuntur qui ve-

tus genito vel ab extra illato: Intus genito vt à menstruo, semine vel Humoribus putredine venenum acquirentibus: Ab extra illato & vel assumpto ore, vel admoto morsu serpentis vel Canis rabidi &c. Morbos malignos D. Sennertus comparat hominibus malis, qui aliud vultu & verbis præ se ferunt, aliud corde occultant & factis præstant. *nenati, vt dupliciter.*

13. Ratione motus, Durationis & finis, atque exitus, morbi etiam varie diuiduntur. Alij Breues, alij longi dicuntur. Breuis morbus est, qui celeriter mouetur, & cito ad terminum peruenit. Longus est, qui tardius mouetur, & ad finem peruenit. *13. Morbi breues & longi.*

14. Est etiam alius morbus Acutus, alius non Acutus: Acutus definiri potest, quod velociter atque cum impetu & periculo ad statum mouetur: proprie morbi acuti κρίσει terminatur: sumitur autem nonnunquam nomen acuti morbi late, aliquando stricte de quo authores videri possunt. Acutorum morborũ magna est varietas. Distinguũtur enim in κατὰξεις peracutos, Acutos simpliciter ἁπλῶς ὀξεῖς & acutos ἐκ μεταπτώσεως, ex decidentia. Hi diuiduntur in κατὰξεις ἀκριβῶς ἢ ἐξακάτως inexquisite & extreme acutos: tandem etiam sunt acuti ἐκ πεταπτώσεως &c. *14. Morbi acuti per acuti & perperacuti*

15. Ratione exitus alij morbi appellantur lethales seu Insalubres alij salutares seu salubres. Lethales simpliciter tales sunt, q in egrum ad mortem deducunt. Salubres sunt, qui plerunque & magna ex parte ad salutem Ægri determinantur. Contra salubres & lethales secundum quid sunt, qui quidem ad salutem ipsi terminantur non tamen in perfectam atque integram sanitatem desinunt. Vt cum ex aliquo morbo oritur alius vel curabilis vel incurabilis, veluti cum pleuritis in Phrhisin seu Empyema desinit. Tales etiam sunt qui reuertuntur & periculum recidiuæ coniunctum habent: hi ab Hippocrate, Aphor. 12. appellantur ὑποτροφώδεα νοσήματα; & ὑποτροφὸς ποιεῖν &c. *15. Morbi salutares & lethales. Morbi salubres & lethales secundum quid. Morbi recidiui.*

16. Morbi alij sunt continui alij intermittentes: Continui sunt, qui continuo affligunt, atque continuo à principio vsque ad finem mouentur, nec toto durationis tempore ad intermissionem veniunt. Hi iterum diuiduntur in συνόχας seu continentes, qui non solum perpetuo durant, sed & toto durationis tempore non intenduntur nec remittuntur. In σωεχεῖς, siue continuos, ratione *16. Morbi continui & Intermittentes.*

tione generis ita dictos, qui quidem perpetuo durant, interdum tamē aliquam exacerbationem atque remissionem habent.

17. *Morbi ordinati & Inordinati.* *In numero morborū ordinatorum sunt febris tertiana & quartana.*

17. Morbi alij sunt ordinati alii Inordinati: Ordinatos Græci τεταγμένους nominant, qui certis & definitis affligunt temporibus: Tales non solum sunt febres Tertiana & quartana, sed & alii dolores ac morbi per certa interualla affligentia, vti non solum fit Diebus, mensibus; verum etiam annis, exemplum est in Epilepsia & podagra, aliisque morbis ac multis &c. Inordinati morbi, erratici nuncupantur, qui nullam certam periodum obseruant, verum nunc hac, nunc illa redeunt die: nunc citius nunc tardius. Tales sunt febres erraticæ. Hæc dicta sufficiant de morbis Accidentalibus.

CAPVT III.

De Morbis Totius substantiæ.

Similaris partis perfectio in temperamento consistit. *Morbus in temperamento.*

SVpra dictum est quod morbus alius sit similaris, alius instrumentarius: similaris, qui videlicet similaris partis eucrasiam naturalemque constitutionem peruertit. Summa autem similaris partis perfectio consistit in temperamento, materia & forma, quorum vt symmetria sanitas est, ita ametria morbus: Hic triplex est: 1. Vel temperamenti 2. Materiæ 3. Formæ temperamenti morbus est intemperies, quæ vt temperies ipsa vel simplex vel composita: simplices supra sunt denominatæ hæ existunt puræ: compositæ itidem, prodeunt à vitio Humorum vel intemperatorum vel putridorum.

Morbus in materia.

2. Materiæ immoderatio: est à materia immoderata vel 1. vt mollis & dura. 2. Laxa & astricta. 3. Tenuis & crassa. 4. Rara & Densa.

Morbus in forma. *Morbus manifestus vel occultus.*

3. Formæ seu totius substantiæ corruptela, vnde definitur hic morbus, quod partium substantiam primum & per se oppugnet, estque manifestus, vel occultus: Manifestus, qui videlicet corporis substantiam manifestis ex causis demolitur, vt sunt

1. Vlcera maligna. 2. Phthisis. 3. Putredo Iecoris, lienis & aliarum partium, nata ex primarum qualitatum intemperie. 3. Dissolutio spiritus innati per vigilias, labores, inedias & atroces dolores. 4. Extinctio caloris natiui in strangulatu & extremo frigore.

Morbus manifestus ex 4. constat morbus occultus triplex.

Occultus, qui cæcis ex causis totam substantiam expugnat: Horum alij sunt 1. Pestilentes, qui videlicet ex aëre cœlestium corporum viribus inquinato oriuntur: Horum alij sunt vel Leuiores vt exanthemata eaque vel rubra vel purpurea, aut Ecthymata &c. Vel grauiores vt pestilens Febris Carbunculus & pestilens bubo. Vel Insolentes nouis ex causis ortæ vel grauedines anheloſæ, vel Febris sudorifica &c. 2. Contagiosi, qui externi veneni occursu & contagione inferuntur, vt stupor à Torpedine, pisce, opio &c. Vel qui inferuntur morsu bestiarum virulentarum &c. 3. Venenati, qui oriuntur vel ex veneno assumpto, vel intus genito vt morbus comitialis, strangulatus vteri à putri semine syncope ex putrido sanguinis grumo, & cordis quædam palpitatio. Vide Fernel. lib. 1. pathol. cap. 7.

Morbus occultus pestilens. Morbus occultus contagiosus. Morbus occultus venenosus.

CAPVT IV.

De morbis Organicis.

MOrbi organici alij sunt in numero, magnitudine, situ & conformatione 1. in numero, qui vel deficit vel redundat: qui deficit, oritur vel à facultatis imbecillitate, vel materiæ inopia, sectione, vstione, putrefactione & perfrigeratione: qui redundat, hic vel naturaliter, vel præter naturam redundat: naturaliter, vt sextus digitus, qui fit à materiæ alimentariæ copia, vel testiculus qui à facultatis existit robore: Præter naturam redundat vt erypus, verucæ &c. Quæ fiunt à materia copiæ excrementitiæ. 2. In magnitudine, cuius eædem sunt causæ ac

Apud Auicen. nam morbi cõpositionis in genere omnes morbi organici dicuntur. Morb. in magnitudine,

ac morbi in numero videlicet deficientis vel redundantis: deficientis vt materiæ Inopia & facultatis imbecillitas: Redundantis vt materiæ copia & facultatis robur. 3. In situ, quorum causæ sunt, Humida intemperies, & vehemens motus ac saltus, inde enim membrum potest loco moueri. 4. In conformatione: quorum adhuc alij sunt Figuræ, viæ Asperitatis vel læuitatis. 1. Figuræ, cuius morbus generatur vel à natura vel ab accidente: Natura vt si quis nascatur simus, varus, alatus, vel claudus: Id oritur vel à vitio seminis aut menstrui: vel impotentia seminis: aut materni sanguinis excessu, defectu, vel aliena qualitate: Ab accidente vt obstetricis incuria, paralysi, conuulsione, vel collisione.

Morb. in situ. Sennerto cõmunissimus morbꝰ

In situ est luxatio seu ἐξάρθρωσις.

Morbus in conforma. tione.

2. Viæ, vt constipatio, constrictio vasorumque apertio: constipatio illa prouenit ab obstructionibus. Constrictio, fit vel ab externo vt forti ligatura: vel interno comprimente vt calculo vel abuitatib. quos sceſſu. Vasorum apertio, seu ἀνάστομωσις fit vel instrumenti laxitate, vel retentricis Imbecillitate, aut expultricis robore, vel acrimonia alicuius medicamenti siue alimenti &c.

Hi à Sẽnerto vocãtur defectus in caritatib. quos & multifariam distinguit lib. 2. p. 1. c. 8. de morbis in situ.

3. Asperitatis: hi oriuntur à mordaci humore vel vapore, qui abradendo superficiem reddit asperam.

4. Læuitatis: hi oriuntur ab humore vel pingui vel viscido, à quo interior superficies læuigatur &c.

Hos duos morbos D. Sẽnertus vocat morbos superficiei.

CAPVT IV.

De morborum Symptomatibus.

Symptoma in 3. cõsistit. 1. Actione læsa. 2. Mutata qualitate 3. In excrementorum immoderatione.

SYmptoma affectus corporis viuentis præter naturam, morbum vmbræ ritum consequens. Hoc consistit 1. vel in actione læsa 2. in qualitate mutata, 3. in excrementorum immoderatione.

Primo in actione læsa, eaque vel naturali, vel vitali, aut animali: naturali, & vel seruitium postulante, vel seruiente: seruitium postulante, videlicet procreatione, alteratione, formatione, auxione & nutritione quorum omnium actio vel aboletur, diminuitur, vel

vel deprauatur. Seruiente vt attractione, retentione, concoctione & expulsione, q̃ actiones vel abolentur, diminuuntur aut deprauantur. Vitali, sunt actiones vitalis, pulsus & respiratio quæ itidem abolentur diminuntur vel deprauantur. Animali & vel in motu vel sensu: Motu q̃ vel aboletur, diminuitur vel deprauatur: sensu, vt interno vel externo: Interno vt imaginatione, cogitatione & memoria, qui sensus vel abolentur, diminuuntur aut deprauantur. Sensu externo: Vt visu, auditu, odoratu, gustu & tactu, qui sensus vel abolentur, diminuuntur aut deprauantur: Ad tactum verò refertur symptoma læsæ appetentiæ ventriculi & vel in cibo vel potu: cibo, vbi aboletur, diminuitur, vel deprauatur, peccans in quantitate & qualitate: potu, vbi abolentur, diminuitur, vel deprauatur, peccans in quantitate & qualitate.

Actio læsa in vitali.

Actio læsa in animali.

Symptoma læsæ appetentiæ.

2. Symptoma in qualitate mutata, quæ percipitur 5. sensibus, videlicet visu, auditu, odoratu, gustu & tactu. Visu: quo apprehenditur visibilis qualitas mutata, quæ consistit vel in colore, vel figura; Colore, qui in toto corporis habitu mutatur vel in corpore toto, vt cum flauescit ictero: vel mutatur in parte aliqua, vt apparet in erysipelate & carbunculo. Figura quæ mutatur vel in charactere vel mole. Auditu vt in vocibus, vel sonis: Vocibus in morbis qui sunt in ore, faucibus, aspera arteria, pulmonibus & thorace: Sonis vt in clangoribus, & tremulis vocibus. Odoratu: Vt in ructu viroso, piscoso, luteo & acido. Gustu quemadmodum ægri sentiunt, vel in sudore defluente in os, vel sanguine fluente ex naribus, item expectoratis, saliua, eaque vel acida, amara, salsa &c. Tactu, vbi videlicet tangibiles differentiæ naturæ legem excedunt, videlicet cutis aspera, dura, sicca, humida, laxa, rugosa &c.

Symptoma in qualitate mutata.

3. Symptoma in excrementorum immoderatione: peccant enim illa vel toto genere, vt cum quid induit Formam alienam, cui similem non reperias in humano corpore, vt sanguis grumosus, lumbrici, calculi, arenæ, vomitus, flatus &c. Vel qualitate, vt cum obiectiones sunt coloris varij vel albi &c. Vel quantitate, vt cum deiectiones feruntur vel nimis copiose vel nimis parce. Vel tempore excernendi, vt cum deiectiones sunt citæ, tardæ assiduæ &c. Vel modo excernendi &c.

Symptoma in excrementorum immoderatione.

CAPVT V.

De causis morborum, internis & externis.

Causa morbi efficiens externa & interna.

CAusa morbi efficiens est, quæ corpus viuens præter naturam alterat & afficit: ea vel est externa vel interna: Externa seu antecedens est, quæ videlicet primum fecit & fouet morbum: Et hæc iterum vel est Necessaria, vel non necessaria: Necessaria, vt sine qua viuere non licet, vt sunt res non naturales sex 1. Aër. 2. Alimentum. 3. Somnus & vigiliæ. 4. Motus & quies. 5. Excreta & retenta. 6. Perturbationes. 1. Aër, hic morbum parit vel inspiratus vel transpiratus, & immutat nos qualitate vel manifesta vel occulta: Manifesta vt prima vel secunda: Prima, quam contraxit à cœlo, vel ventis: Nam perflatus austro incalescit & calefacit, aquilonibus verò refrigescit & refrigerat. Secunda, ita 1. frigus externum vel cutem densat, impeditque perspirationem, inde à suppressis excrementis fuliginosis morbi innumerabiles, aut comprimit cerebrum & destillationem excitat. 2. Calor externus vt canicularis vel inflammat spiritus, humores aut corpus totum: Vel exhaurit, vrit & liquat spiritus ac humores, vnde morbi calidi. Qualitate occulta vt pestilenti: quod seminarium contrahit libere non perflatus, ab austro maligna constellatione, habitu tetro de specu exhalante.

Antecedens necessaria & non necessaria.

Aer agit vel occulta aut manifesta qualitate.

Manifesta prima vel secunda.

Alimentum nos immutat qualitate, quantitate & substantia.

2. Alimentum (puta cibus & potus) quod nos immutat qualitate, quantitate & substantia. 1. Qualitate, ita generantur morbi calidi vel frigidi: Calidi; Mero multo, allijs, porris, cæpis, piperatis &c. Frigidi vt lytho, pomacio, frequenti piscium vsu &c. 2. Quantitate, vt habetur vulgo, quod plures occidat gula quam gladius. 3. Substantia: ita pariunt obstructionem alimenta crassi succi, vt caro bula, panis azymus: Ita pariunt cruditatem alimenta difficilis concoctionis.

Ex somno morbi frigidi & humidi.

3. Somnus & vigilia: Somnus, cuius nimium soboles sunt morbi frigidi & humidi, nam nimius somnus refrigerat, corpus excrementitio humore replet, spiritus obscurationem inducit ob pituitæ coaceruationem, pallorem inducit corpori, & destillationes in primis excitat. Vigiliæ quæ sunt causæ morborum vel per se, vel per accidens,

Vigilia causæ morborũ

ita inducunt morbos calidos siccos ac frigidos: Calidos & siccos, nam

nimiæ

nimiæ vigiliæ exiccant corpus, accendunt bilem & acuunt, febresq; causant. Frigidos; dum enim natiuum calorem dissipant, & humidum radicale absumunt, sequuntur coctionis difficultas & cruditates &c. *vel per se, vel per accidens.*

4. Quies & motus: Quies, quæ nimia morbos parit frigidos, quia excrementa non discutiuntur, calor natiuus non obtunditur, & ciborum coctio ac distributio infelicior efficitur, motus: hic vel inducit intemperiem vel solutionem continui: Intemperiem, eamq; calidam vel frigidam: Calidam per se, quia calor auctus humores & spiritus inflammat, vnde oriuntur febres & cephalalgia &c. Frigidam, per accidens, dum enim spiritus exhaurit, totum corpus refrigerat & concoctionem impetit. Solutionem continui inducit: Rumpit enim vasa, vnde cruentæ vomitiones, expuitiones & mictiones. *De quiete & motu. Motus intemperiem inducit calidam vel frigidam. Solutionem continui.*

5. Excreta & retenta: & hæc morbos excitant vt vel excernenda vel retinenda: Excernenda, si retineantur vt apparet in retentione fœcum alui, vrinæ, muci, sputi &c. Retinenda, si excernantur vt apparet in nimia profusione sanguinis è naribus, vtero & hæmorrhoidibus: Vel nimia profusione seminis, hinc morbi ab inanitione. *De excretis & retentis quomodo nos alterent.*

6. Perturbationes, seu affectus animi, hinc morbi fiunt, 1. Dum in ira spiritus & sanguis quasi efferuescunt, hinc turbantur spiritus, agitantur humores, & generantur febres. 2. Gaudio nimio spiritus dissoluuntur, & sequitur syncope. 3. Timore calor & spiritus interiora deserunt, & ad cor reuocantur, inde spirituum resolutio. 4. Mœstitia paulatim spiritus dissipantur, vnde corpus refrigeratur & siccatur, item coctio vitiatur, vel vigiliæ inducuntur, hinc morbi melancholici. *De animi affectibus ex Ira, Gaudio, Timore, Mœstitia.*

Interna morbi causa & abdita, quæ ex nobis ipsis profecta est, & in nobis ipsis delitescit, duplex est: Alia est morborum immaterialium, alia materialium: Immaterialium, vt alteratio & corruptela: Alteratio agit qualitatibus primis & secundis: Primis, calore, frigore, humore, siccitate hinc intemperies: Secundis, vnde laxitas astrictio &c. Corruptela, vnde morbi formæ, contagiosi, venenati, ac pestilentes quæ fiunt à causis corrumpentibus, quæ basin primum petunt & conuellunt. Materialium vt inanitio & repletio: Inanitio; vt immodicæ vacuationes rerum vel vtilium vel inutilium: Vtilium, vt sanginis, seminis ac spirituum. Inutilium, vt excrementorum, nam & horum nimiæ euacuationes spiritus dissipant. Repletio: quæ continetur *Interna morbi causa duplex morborum immaterialium & materialiũ. Materialiũ inanitio & Repletio.*

corporis regione prima, secunda & tertia: 1. Vt cruditas in ventriculo & Mesenterio. 2. Vt humores qui peccant in quantitate vel qualitate: Quantitate & ita vocatur plethora: quæ duplex est ad vasa vel ad vires: Ad vasa, quæ vocatur, quando sanguinis copia adeò tument venæ, vt rupturæ periculum immineat. Ad vires, quando videlicet maior sanguis est copia, quam vires ferunt. Qualitate ita vocatur cacochymia, quæ est biliosa & pituitosa, quæ fit à calore intenso & debili, vel melancholia. 3. Vt humores effusi in corporis habitum & morbos producentes.

CAPVT VI.

De humoribus contra naturam.

Humores contra naturam.

HVmores contra naturam sunt è naturalibus, si deficiunt à requisitis naturalium humorum, velut iusta substantia, quantitate & qualitate: hinc sicut naturalium ita & contra naturam humorum variæ oriuntur, differentiæ: sunt namq; non naturalis 1. Sanguinis. 2. Pituitæ. 3. Bilis. 4. Atte bilis.

Differentia humorum non naturalium 4.

1. Non naturalis sanguis, vel depravatur vel superatur.

1. Sanguinis, à pristina videlicet natura descisentis duæ species: namque deprauantur vitio, aliquo & corruptela, vnde dicitur sanguis putridus & serosus: vel separatur caro aut pluribus sibi commistis humoribus: vt bile vnde dicitur sanguis biliosus: sic pituitæ vnde dicitur sanguis pituitosus: ita melancholia vnde dicitur sanguis melancholicus.

2. In tribus speciebus.

2. Pituitæ vel ratione consistentiæ, vel ratione qualitatis: Consistentiæ tres sunt species.

1. Mucosa.

Prima est mucosa, quæ similis est muco, qui quotidiè emungitur: hac ad lubricandam viam fæcibus natura intestina illeuit, quæ, incipiente dysenteria, bilis acrimonia abraditur, primaq; excernitur.

2. Species similis mucosæ duplex.

Secunda, quæ similis est mucosæ, & ex ea sæpe oritur: ea melius albuginea diceretur, est enim ouorum albumini similior, quam vitro fuso: crassa & frigidissima. Hæc efficit & cibi inappetentiam ac fastidium: & in loco calido obstructa sæuissimos cruciatus.

3. Species gypsea.

Tertia species vocatur gypsea, hæc fit ex vitrea, ea nempe per resolutionem & concretionem lapidescente; ideo eam Galenus sub vitrea complexus est: spectatur in bronchijs asthmaticorum, & in arthritide nodosa &c. accepto videlicet ex destillatione principio.

Qua-

Qualitatis ratione etiam tres sunt pituitæ species: Prima vocatur dulcis: hæc ea est, quam plerique cum screatu expuunt; ea paucam & sensilem habet dulcedinem, ideoq; dulcis nominatur: Hæc somnolentos facit, non est exquisite frigida, sed exiguam frigiditatem, calorem tamen eius superantem obtinet; cum enim dulcis sit, caloris etiam aliquid habeat necesse est. *Qualitatis ratione etiã tres species pituitæ: 1. Dulcis.*

Secunda vocatur acida, quæ fit à vehementi frigiditate, hoc est incoctione vel immaturitate; sicut fructus immaturi sunt acidi, qui paulatim coctione dulcescunt: Hæc tamen est calidior vitrea, dulciq; frigidior: Nam cum coctione paucus admodum calor ei adiectus sit (neque enim acidus sapor fit, nisi quando à calido mutatur subiecta materia ita tamen vt non superet) necesse est, vt sit frigidior dulci, calidior vitrea. Et quemadmodum fructuum succi exiguo calore natiuo præditi, postquam sponte efferbuerint, breui accescunt: ita etiam hæc pituita. *2. Acida.*

Tertia salsa, quæ fit propter putredinem, vel salsæ seroſæ humiditatis, vel bilis, mistionem: cum enim dulcis pituitæ portiones quædam vi putredinis assæ reliquæ dulci substantiæ permiscentur, salsum in ea vaporem efficiunt. *3. Salsa.*

Discernuntur autem acida & salsa pituita contrarijs effectis; quia acida excidat βουλιμίαν id est famem implacabilem: salsa verò sitim: hinc perpetuo hydropici sitiunt, q hoc humore abundant: Hæc de pituita, restant adhuc duo humores non naturales, scil. bilis & atrabilis. *Differunt salsa & acida.*

3. Bilis, cuius species quatuor propriæ, & duæ impropriæ: Propriæ inter has prima est vitelina λεκιδώδης, quæ crudorũ ouorũ vitellis similis est, colore & cõsistentia: hæc in iecore & venis procreatur, quãdo caloris præter naturã vehementia summe coquit & quasi torretur: vnde consequitur substantiam crassiorẽ ex tenui & calorem igneũ ex flauo. *3. Non naturalis bilis. Cuius species 4. propriæ.*

Secunda species est porracea πρασοειδὴς ϕ succo porri similis sit. 2.

Tertia Æruginosa ἰώδης, quod similis est ærugini: Hæ duæ species virides sunt & fiunt maiore assatione quam vitellina: differunt tamen, quod porracea fiat in ventriculo ob ciborum cruditatem: Æruginosa vero ab inflammato ventriculo & hepate. 3.

Quarto Glastea ἰσατώδης quod calore glastum seu isatidem refert: Hæc eò peior est, quo proprius accedit ad nigrum colorẽ: ardore tantam acquirit acrimoniam, vt exulceret & erodat: gignitur enim in ventriculo & circa ipsum, ad hanc etiam refertur cærulea. 4.

Vltima tres ſpecies bilis non naturalis videlicet porracea, æruginoſa & glaſtea, fiunt in ventriculo ex cibis mali ſucci: vt ſunt allium, porrum cepa, naſturtium, ſinapi &c. cum enim nequeunt à ventriculo deuinci, neq; in cremorem conuerti, colorem ſuum magna ex parte retinent: & fit ex illis 1. Porracea, quæ ſi diutius inhæret, ventriculi perſiſtente incendio, fit æruginoſa, poſt ea rurſum fit glaſtea &c.

Bilis ſpecies impropriæ: pallida & rubra.

Improprie duæ pallida & rubra: Pallida quæ fit permiſtione pituitæ ſeu aquæ & tenuis humiditatis, eſtque naturali ſimilis: Rubra, quæ proprie eſt ſerum ſanguinis: diſtinguitur tamen à ſanguine, quod extra vaſa non concreſcit, vt ſanguis: fit autem bilis rubra, quando ſero ſanguinis humor quidam ruber permiſcetur.

Non naturalis atræ bilis tres ſpecies.

4. Atræ bilis tres ſunt ſpecies. Prima quæ vſtione ſanguinis: hæc omnium eſt mitiſſima.

Secunda, quæ fit vſtione melancholici humoris: conſiſtentia eſt tenuior, quam humor melancholicus & ὀξύς hoc eſt in aceti modum acris eſt: partes corporis, quibꝰ ſyncera adhæret, erodendo exulcerat.

Tertia quæ fit ex bile retorrida, vitellina præſertim: Hæc primum igneo calore percoquitur: exuſtione primum in Porraceam; deinde in æruginoſam, poſt in cæruleam, poſtremo in atram bilem omniũ peſſimã commigrat: Calida eſt potentia, vt calx, cinis, fex vſta. Partes non ſolum in quibus colligitur, ſed & quas attingit, erodit, vrit, liquat, corrumpit: Hinc dyſenteria ab atra bile lethalis, quia inteſtinis facit vlcus cancrodes: tam maligna eſt, vt aceti acris modo terram fermentet, in quam ceciderit.

Summatim ex cuiuslibet humoris vſtione fit atra bilis vna tamen altera mitior. Diſtinguuntur hæ tres ſpecies effectis: generantur namq; exuſtione ſanguinis, carbunculi: Exuſtione melancholici humoris ſcirrhi, ex vſtione bilis cancri: hæc de humoribus.

CAPVT VII.

De morbis intemperiei.

Intemperies ſimplex quotuplex.

TOt ſunt morbi intemperiei, quot ſunt naturalia temperamenta, atq; ab ijs receſſus. Intemperies duplex eſt, alia ſimplex, alia compoſita: ſimplex eſt, in qua vna qualitas excedit: & hæc pro quatuor qualitatum numero eſt quadruplex; calida, frigida, humida & ſicca.

Com-

Composita, in qua duæ qualitates excedunt ex quadruplici συζυγία qualitatum primarum, ea etiam quadruplex est: Calida & humida: Calida & sicca: frigida & humida: Frigida & sicca, hæ intemperies rursum distinguuntur varijs modis: 1. Quod alia intemperies cum affluxu materiæ, alia sine affluxu: Cum affluxu ab alijs materialis nuncupata dicitur, si materia intemperata ad locum aliquem confluat, qualitatesque suas parti communicet, sicq; in ea intemperiem excitet & foueat. Sine affluxu intemperies dicitur immaterialis sine materia aut sine materia affluxu. 2. Intemperies alia est æqualis, alia inæqualis: Æqualis illa est, quæ in omnibus membri partibus similis, easque omnes similiter & æqualiter afficit. Inæqualis seu dissimilis, quæ in vna parte est intensior, in alia remissior, & alias magis alias minus afficit. Æqualis temperies est in cachexia & hectica: Inæqualis est in reliquis febribus &c. Videndæ etiam sunt causæ mouentes & efficientes intemperiem vel calidam, frigidam, humidam vel siccam. Calidam intemperiem producunt. 1. Omne calidum aduentitium, quatenus calidũ. Innatum supra modũ calefaciendo intendit, vt circumfusi aëris æstus, cibus ac potus calidior, item medicamenta calida & acria. 2. Producunt nimis obstruens, ne excrementa possint expelli, vt excrementorum suppressio, obstructio & hinc nata putredo, item exercitium vehemens &c. 3. Quæ putredinem excitant in partibus contentis. 4. Excitans calorem natiuum per confuscationem. Intemperiem Frigidam: Hanc producunt 1. Omne frigidum aduentitium, quatenus calidum natiuum frigefacit, vt aër frigidus, & alimentorum vsus frigidus. 2. Suffocans calorem natiuum, vt & alimenta immodice sumpta. 3. Dissipans calorem natiuum. Intemperiem humidam: Hanc producunt 1. Omne humidum aduentitium, quatenus corpus præter naturam humectat, vt pluuiosum cælũ, balneæ dulces, & alimenta humectantia. 2. Humorum superfluorum expulsionem impediens. 4. Intemperiem siccam producunt 1. Omne siccum aduentitium, quatenus corpus nimis exiccat, vt aër siccus, inediæ, vigiliæ & mœror. 2. Omne absumens humidum natiuum illudque dissipans vel euaporando vel euacuando, &c.

Intemperies composita quadruplex.

Intemperies cum affluxu & sine affluxu.

Intemperies æqualis & inæqualis.

Calidam intemperiẽ producunt.

Frigidam intemperiẽ producunt.

Humidam intemperiẽ producunt.

Siccam intemperiem producunt.

CA-

CAPVT VIII.

De morbis & ſymptomatibus ventriculi.

Microcoſmus in tres ventres ſe catur ab anatomicis.

MEdici corpus humanum diſtinguunt in tres cauitates ſeu ventres, qui præcipuarum functionum organa continent. Nam infimus venter continet organa nutritionis & generationis: Medius organa vitæ, & reſpirationis & vocis: ſupremus organa cognitionis:

Organa infimi ventris præcipua nouem.

Organa infimi ventris præcipua ſunt nouem. 1. Ventriculus, qui ſitus eſt ſub diaphragmate inter epar & ſplenem: Huic inſeritur Oeſophagus, & ſunt duo orificia: Vnum ſuperius quod cibum accipit, græce στόμαχος & εὐκαρδία: Alterum inferius quo chylum ad epar mittit, græcis πύλωρος. Conſtant tunicæ ventriculi villis ſeu fibris triplicibus

Ventriculi fibræ triplices.

1. Rectis, quæ attrahunt. 2. Obliquis, quæ retinent. 3. Transuerſis, quæ expellunt.

Temperamentum.

Temperamentum eius frigidum eſt, non abſolute quidem, quia alias concoquere non poſſet, ſed reſpectu epatis, cordis, & aliorum viſcerum calidiorum &c. In hac methodo etiam nobis conſultum fuit, viſum præcipuorum organorum recenſere affectus, initium ſumptui ab affectibus ventriculi.

Facultas ventriculi læſa.

Primaria læſio ventriculi communis eſt facultatis fruſtratio, quæ fit vel vitio partis vel errore externo. Alia læſio eſt, quæ fit vel per intemperiem ſimplicem vel cum materia. Per externum etiam læditur

Errore externo affectus triplex.

errorem, qui fit vel ratione obiecti, vel eorum ad obiectum ſpectantia, vtpote tripliciter 1. In alimentis, vt ſunt immodica quantitas, alienа qualitas, intempeſtiua aſſumptio & ordo præpoſterus. 2 In excrementis, quorum rationem vide de excretis & retentis inter res non

Morbus ventriculi compoſitionis.

naturales. 3. In vitæ ratione, intellige diætam. Deinde poſſunt etiam ventriculo accidere morbi compoſitionis, vt ſunt anguſtia & tumores præter naturam, quibus addit Auicenna paruitatem. Anguſtia vt plurimum eſt aut orificij ſuperioris vel inferioris, quodque accidit vel à conſtipatione, compreſſione aut obſtructione. Sic & ſolutio continui accidit ventriculo, vt per vulnus incurabile fere, (exemplum tamen expertũ propinquus meus Crollius refert quod Pragæ accidit)

Ventriculus etiã laborat

deinde vlcus ab abſceſſu. Afficitur etiam ventriculus ex conſenſu aliarum partium, qualis affectus eſt cardialgia, vel cardiace, dolor ſeu morſus,

morsus,& punctio in ore ventriculi: Nam os ventriculi καρδία vocatur propter consensum videlicet cordis & oris ventriculi. Alio nomine appellatur καρδιωγμὸς cordis morsus; Fit ex humoribus prauis, venenatis & vellicantibus,qui intollerabilem mordacitatem pariunt, vel etiam syncope stomachica appellatur. Anorexia cibi fastidium, vel appetentiæ amissio, quæ fit cum sensus exsuctionis ventriculi & venarum amittitur,vel corpus non inanitur: perit autem vis sentiendi vel ex proprio affectu,vel per consensum,vel quia substantia corporis non euacuatur, vel ob constipationem, pororum, cutisque densitatem, vel caloris natiui debilitatem, ex viscerum immodica frigiditate,desidia &c. Hic sciendum est in animali appetentia ventriculi hæc 5. sese ordine consequuntur 1. Partium solidarium inanitio. 2. Partium inanitarum naturalis appetitus. 3. Suctio per venas à ventriculo. 4. Suctionis sensus ex defectu alimenti. 5. Animalis appetitus desiderium,illius alimenti: His eo ordine non consequentibus varia exinde consequuntur genera morborum. Deprauata ciborum appetentia quæ duplici modo fit,vno quando intenditur, siue in qualitate modum superat,quæ inexpleta fames dicitur, sub qua continetur βούλιμος canina appetentia proprie dicta, quæ accidit ex vitioso humore in ventriculo debiti tempore mediæ, morsus orificij ventriculi,qui nisi alimentis reficientibus statim contemperetur, ægri mutuo deficiunt: Altero quando in qualitate peccat, siue ægri ea appetunt, quæ præter naturam & rationem alimenti sunt, vt carbones, calcem &c. hæc appetentia Μαλακία sine κίττα latinis pica dicitur, appetentia videlicet vitiosa alienæ substantiæ solidæ vel liquidæ præter naturam & rationem alimenti, orta ex tristi sensu suctionis,ex vitioso excremento tunicis imbibito peculiari substantiæ proprietate os ventriculi infestante: Ista affectio grauidis sæpe accidit tribus primis mensibus, & viris, qui elephantiasi, aut simili affectu laborant. Sic inexpleta fames est immodica ciborum appetentia, excitata à vehementi sensu suctionis in ore ventriculi, vel immodica suctione per venas ob magnam venarum inanitionem, aut plurimam substantiæ corporis euacuationem: Diminuta fames est quando minus aut tardius cibus appetitur, quam naturæ ratio exigit. In appetentia potus oritur ex defectu sensus suctionis humidi alimenti in ventriculo. Sitis inexplebilis est immodica potionis siue alimenti humidi

ex consensu aliarum partium. Cardialgia,καρδιωγμὸς. Vis sentiendi multifariam læditur. 5. In animali appetentia ventriculi consequuntur. Deprauata ciborum appetentia. Canina appetentia. Μαλακία siue κίττα. Sitis inexplebilis

humidi frigidi cupiditas, orta à tristi sensu suctionis in ore ventriculi ex defectu & alteratione propriæ humiditatis. Post appetentiam sequitur deglutitio ciborum &c.

Symptoma deglutitionis. Est & symptoma deglutitionis & attractionis ciborum quæ deglutitio & attractio ad fundum ventriculi læditur si aboleatur debiliter aut deprauato modo gula aut ventriculus attrahat: abolita deglutitio oritur vel labefactata facultate, vel impedita facultate: Debilis deglutitio & attractio ciborum ab ijsdem causis fit sed leuioribus, ac etiam vitio obiecti, quando cibus ingratus, acer, viscidus &c.

Læsa facultas retentrix. Facultas ventriculi retentrix læditur tripliciter, si omninò non complectatur, vel debiliter vel deprauate abolita oritur ab extrema imbecillitate recentricis, fibris obliquis resolutis plane, ex intemperie frigida & humida potissimum, cum materia pituitosa, aut copioso potu fluctuante in ventriculo, vel quia impeditur aut tumore, vt inflammatione, aut immodica pylori apertione ex relaxatione tunicarum, vt cibi statim effluant, aut vlcere &c. accidit etiam errore, vitio cibi.

Abolita facultas retentrix.

Fluctuationes. Hanc sequuntur fluctuationes cum sonitu, debilem flatus magis consequuntur. Fluctuationes græcis κλύδωνας vocant, oriuntur tales motus cum sonitu, quia ventriculus vehementer refrigeratus est, aut immodica potius copia ita oppressus, vt nullum vaporem aut flatum excitare queat. Debilis retentio ab ijs causis quibus abolita, fit, sed minoribus: Deprauata est, quando ventriculus in amplectendo cibo, quasi tremit ob imbecillitatem à frigore, vel palpitat ex flatibus contentis vel concutitur vt in rigore; vel quasi conuellitur vt in singultu: Abolitam sequitur cruditas & lienteria, debilem colica affectio &c. de quibus in sequentibus.

Retentio debilis.

Deprauata retentio.

Cruditas ventriculi. Concoctio vitiata dicitur cruditas, ea triplex est. 1. ἀπεψία proprie cruditas, quando nihil omninò cibi transmutatur à ventriculo, & dicitur abolita alimentorum concoctio, in ventriculo eueniens ex frustratione facultatis alteratricis: Frustratur autem vel per se, vel ex accidente vt sunt res non naturales, & intemperies sine nudæ siue cum materia, aut expultrice ventriculi, vel morbo instrumentali, vel ab errore externo. 2. βραδυπεψία concoctionis imminutio & tarditas. Huius causæ eædem sunt quales in ἀπεψία verò leuiores. 3. δυσπεψία est corruptio ciborum in qualitatem alie-

Ἀπεψία.

Βραδυπεψία.

Δυσπεψία.

nam,

nam, eueniens ex frustratione facultatis concoctricis ventriculi: Aliena qualitas illa est fumosa & nidorosa vel acida, vnde ructus nidorosus vel acidus. Corruptionis Nidorosæ peculiariter causæ sunt. 1. Affectus calidi. 2. Redundantia biliosorum calidorumque humorum in ventriculo. 3. Alimenta calida, quæ in calido ventriculo facile in Bilem vertuntur aut corrugantur: Corruptionis acidæ causæ sunt, intemperies frigida, redundantia pituitosorum humorum, & alimenta frigida. *Ructus nidorosus.*

His accedunt ordo præposterus, vt si assumantur in debili ventriculo, primò cibi difficilis concoctionis, deinde facilis, item expultricis debilitas, vnde chylus & excrementa in ventriculo diutius detenta necessariò corrumpuntur. *Ordo præposterus.*

Ex debili concoctione oriuntur Flatus, item Flatuosæ distensiones, Ructus & similia: Ructus sunt Flatus per os cum strepitu erumpentes: Hi Flatus verò per secessum exeuntes dicuntur crepitus ventris: quando vero Flatus in neutram partem erumpunt, ἐμπνευμάτωσιν gignunt, & peculiariter in colo intestino colicum affectum: Sin intra capacitatem abdominis coerceantur, Tympanitidem. *Flatus.* *ἐμπνευμάτωσις colica.*

Deprauata expulsio est, vbi ventriculus expellit qualia, quantum, vel quomodo secundum naturam non oporteat, dependens à facultate expultrice irritata: Innitatur autem per se vel ex accidente, vel copia aut acrimonia excrementorum & humorum in ventriculo, aut alimentorum & medicamentorum assumptorum. *Tympanites.* *Deprauata expulsio.*

Vomitus qui duplex vnus naturalis seu opus naturæ, per os superflua in ventriculo contenta expellens, cum tollerantia & conferentia: Alter non naturalis & symptomaticus naturæ inutilis, nimirum motus deprauatus ventriculi, dependens ab expultrice ipsius irritata expellente præter naturam sensibiliter per os materiam in capacitate ventriculi contentam. *Vomitus naturalis & symptomaticus.*

Multæ sane vomitionis causæ, præcipua verò erit materia illa in ventriculo contenta supernatans. Vergens ad superius os facultatem expultricem ita stimulans, vt eam versus superiora expellat: Innitat autem expultricem materia, vel nimia copia, vel qualitate mordaci, vel substantiæ ratione. *Causæ vomitionis.*

Nauſea vomendi inanis. Nauſea inanis vomendi conatus ab ijſdem cauſis oritur, ſed leuioribus, veluti ſi materia minus copioſa & acris ſit, ſed magis cruda lenta & impacta, aut vaporoſa, deinde os ſuperius ventriculi non ita debile.

Cholera duplex. *1. Arida.* *2. Humida.* *Cholera notha.* Cholera, hæc ab ijſdem cauſis totum ventriculum & vtrumque os infeſtantibus oritur: Ex Hyppocrate duplex eſt: Vna arida, vehemens dolor cum inflammatione totius ventriculi ſine vomitu alui deiectione ab acri flatulento ſpiritu: Hæc cholera notha videtur & à nonnullis ad iliacam paſſionem aut colica reducitur: Altera eſt humida veraque cholera, quæ proprie definitur motus deprauatus expultricis totius ventriculi materiam, quæ eam contriſtat & irritat per vtrumque os expellentis. Materia illa quæ ſenſu moleſtiæ inducendo expultricem ſtimulat, eſt non ſolum bilis flaua vitellina &c. Sed etiam quælibet corruptio humorum.

Singultus. Singultus eſt motus conuulſiuus ventriculi cum ſonitu, ortus ab expultrice initata noxia tunicis ventriculi infixa celeri tenſione & diſtrictione fibrarum excludere intente.

Cauſa. In cauſa eſt humor mordax tunicis impactus, venena acria aſſumpta, item medicamenta aut alimenta acria vt piper &c. Si Fibris ingerantur: Vnde Galenus com. 39. Aph. 6. ſingultum oriri dicit, ſi quis aëre aliquid (vt piper) deglutiat, mox vinum bibat aqua temperatum devehens acria ad interiores fibras ventriculi: Excitatur etiam ex conſenſu aliarum partium, vt inflammatione hepatis, affectibus cerebri, vteri, Febribus malignis, aut à tetro vapore os ventriculi feriente, qualis oritur à vermibus, & in lethali voluulo: excitatur etiam ab affectione ventriculum diſtendente, vt ex hernia inteſtinali in ſenibus, qui non curatur niſi in locum repoſito inteſtino: Huc refertur etiam compreſſio orificij ventriculi à coſta contorta, cuius meminit Fernelius.

Compreſſio orificij ventriculi.

CA-

CAPVT IX.

De affectibus inteſtinorum, & meſenterij.

SEcundum Organum eſt omentum, græcis ἐπίπλοον panniculus (innatans inteſtinis, cui additum eſt πάγκρεας glaudula ſic dicta) hunc vſum habens, vt innatum calorem foueat. *Infimi ventriculi organum 2.*

3. Περιτόναιον, panniculus amplus, inuoluens omnia membra inferioris ventris, veluti culeus oblongus. *Organũ 3.*

4. Inteſtina, quæ diſtinctione non reali ſed ratione diuiduntur in gracilia & craſſa. *Organũ 4.*

Gracilia 3. ſunt, quæ vno vocabulo lactes in homine & oue, in cæteris animantibus Ilia vel Ile nominantur, nempe 1. Duodenum. 2. Ieiunum. 3. εἴλεος. *Inteſtina gracilia 3.*

Craſſa etiam 3. ſunt, 1. Cæcum. 2. Cœlum. 3. Rectum. Horum duo præcipua ſunt officia, chylum diſtribuere, & excrementa alui detrudere, quibus additur vtriuſque muneris gratia vis quædam ſentiens, quæ in tenuibus inteſtinis magis exquiſita eſt, quam in craſſis: læduntur hæ functiones, vt aliæ omnes etiam tribus modis: Ac primum ſymptoma conſiſtit in abolita expultrice vel attractrice, 2. In diminuta. 3. In deprauata, horum variæ cauſæ apud medicos exiſtunt. *Inteſtina craſſa 3. Munus Inteſtinorum. Tribus itidem lædunt modis.*

Morbi inteſtinorum, vel ex proprio affectu, aut per conſenſum, aliquando ab errore externo vitio aſſumptorum & humorum, vt in ventriculo dictum eſt: Morbi proprij inteſtinorum ſunt intemperies morbi inſtrumentales & communes: Intemperies cuiuscunque generis eſſe poſſunt, ſimplex, compoſita ſine vel cum materia vel alluente inteſtina, vel impacta & in tumorem attollente, quæ dignoſcitur vt in ventriculo.

Accidunt etiam ijs morbi compoſitionis, Primò in conformatione quæ ſunt ratione cauitatis vel ſuperficiei: Ratione cauitatis nimia dilatatio, à relaxantibus & aperientibus &c. Aut anguſtia vel conſtipatio ab aliquo tumore, vt inflammatione in ipſis inteſtinorum tunicis. Vel compreſſio à tumore vicinarum partium incumben- *Inteſtinorũ morbi in ne vel ſunt in cauitate,*

vel superficie.

tium. Item obstructio à fecibus crassis, siccis, induratis, coagulatis, longoque tempore retentis ex alui astrictone: aut à pituita crassa vel vitrea: Ratione superficiei sunt asperitas & læuitas: Exsperantur intestina acribus mordacibus humoribus defluentibus, & ab alimentis aut medicamentis detergentibus: Læuigantur à viscida pituita, interiorem superficiem oblinente, vnde chylus & excrementa citò delabuntur.

Morbi intestinorum ex genere compositionis, quod est in magnitudine diminuta, vel aucta.

Secundum genus morbi compositionis est in magnitudine, vel diminuta cum intestina valde extenuantur, vt in marasmo: vel aucta vt tumor præter naturam. Accidunt etiam intestinis inflationes, à crassis flatulentis vaporibus tunicis infarctis: Item inflammatio præcipue intestinis crassis recto.

Morbi intestinorum.

Tertio obnoxia sunt intestina morbis in numero præcipue aucto, vt vermibus, deinde calculis: Aristoteles 5. de historia anim. capit. 19. Vermes vocat ἑλμίνθες eorumque tria genera ponit. 1. Quod sit genus latorum. 2. Rotundorum, hos Galenus 14. Methodi ἑλμίνθες proprie vocat. 3. Paruorum rotundorum, qui ἀσκαρίδες nominantur: Vltimo subiungit latos: Rotundi in intestinis tenuibus magis gignuntur, vnde in ventriculum ascendunt: Ascarides in recto intestino: Lati longique in vtrisque intestinis, sed præcipue crassos interdum in cœco & cellulis coli &c.

In consensu & situ.

Quartò quandoque etiam intestina laborant in consensu & situ, quando è suo loco exeunt, vt rupto aut laxato peritoneo, & vel in scrotum prolabuntur, vnde ἐντεροκήλη; vel ad inguia, vnde βωβωνοκήλη: Vel disrupto peritoneo circa vmbilicum seu cutem prorumpunt, quod mulieribus nonnunquam in difficili contingit partu.

Morbi intestinorum communes.

Morbi intestinorum communes sunt vulnera & vlcera genita vel ex abscessu disrupto, aut alimento acri, vel medicamento valide detergens & purgans, vt colocynthis, scammonium &c. hæc primò detergendo statim erodunt vel exasperant, deinde sensim exulcerant: Causare etiam potest bilis flaua vitellina atra, aut pituita salsa, vel alius humor mordax acris aut corruptus: Ex vlcere intestinorum oritur dysenteria, & tenesmus.

Functio

Functio inteſtinorum læditur per conſenſum, vbi vim ſentiendi per neruos ſexti paris non accipiunt, vel bilem à veſicula felis; aut ventriculus grauiter affectus eſt; vel ſeptum tranſuersum musculique abdominis ad excrementa detrudenda non concurrant &c. in ſpecie ſymptomata inteſtinorum ſunt recenſenda. *Læſa functio inteſtinorum.*

Facto initio à Colica & Iliaca. Inteſtinorum craſſorum eſt: Caula eius dolorifica Colica paſſio ſeu colicus dolor, non à nuda intemperie, ſed potius à ſolutione continui, & intemperie cum materia. *Colica ſiue colicus.* *Cauſa ſolutionis quadruplex.*

Cauſa ſolutionis continui quadruplex. 1. Craſſus ac pituitoſus humor intra membranulas coli receptus. 2. Craſſus flatulentus ſpiritus, exitum non habens. 3. Inflammatio inteſtini. 4. Humores acres & mordaces: Additur his 4. obſtructio à fecibus duris, aut à viſcoſa materia qualis pituita vitrea.

Huc refertur colica ex aſſumpto veneno aut medicamento: Accidunt etiam ventri dolores colico conſimiles ex flatulento ſpiritu vel acribus humoribus peritoneo & membranis concluſis, (hæc colica notha dicitur) ſæpe poſt febres, materia per criſin imperfectam eo translata, qui nullis medicamentis aſſumptis aut iniectis expurgatur, nec vt colici dolores fomentis digerentibus & Anodynis mitigantur: eiuſmodi tormina & dolores, ſicca Hydrops conſequi ſolet 11. Aphoriſ. 4. *Colica ex veneno vel medicamento.*

Iliaca paſſio εἵλεος latinis voluulus nomen habet ab Ilee inteſtino, aut quia accidit cum dolore, torminibus, vomitu & tumore ventris ad ſimilitudinem chordæ inuolutæ, vnde χορδάψος vocatur quibuſdam miſerere mei: grauis eſt & lethalis dolor, ex humoram corruptione qui & cruditate & corruptione ciborum continua fiunt, imprimis verò à carnibus pinguibus, quæ obſtructionem in tenui inteſtino efficiunt. Fit etiam ab inflammatione tenuis inteſtini ex contuſione, plaga, vulnere, aceruata potione frigida, ſudante adhuc corpore &c. Deinde ab inteſtino in ſcrotum cum ſtercore deuoluto, indeque violenter retruſo vt inflammetur. Perinde etiam à veneni potione aut acribus & corruptis humoribus in tenuibus inteſtinis, ob feces induratas in craſſis, & circa tenuia impactas, vnde duritiem admota manu percipitur. *Iliaca paſſio ſiue voluulus.* *Cauſæ paſſionis Iliacæ.*

Sym-

Symptomata deiectionis 3. 4. In deiectione considerantur. Tempus, modus, quantitas, qualitas.

Symptomata deiectionis sunt alui suppressio, astrictio & profluuium: Considerantur autem in deiectione quatuor 1. Tempus, an cito aut tarde: 2. Modus excernendi, an raro, aut frequenter, an assidue, aut cum longa intermissione. 3. Quantitas deiectionis, an pauca, aut copiosa. 4. Qualitas & substantia illius, quod excernitur, an vtile vel inutile: Sub alui astrictione deiectiones tardæ, raræ, paucæ, & cum longa intermissione: Sub alui profluuio, citæ, copiosæ, frequentes, assiduæ, & cum vtile excernitur. Causæ citæ deiectionis sunt copia assumptorum supra ventriculi capacitatem, vel vires, vel vtramque ipsum ventriculum grauans & ad expulsionem excitans: 2. Punctio & morsus ab acribus alimentis vel excrementis, seu irritatio à re aliena minus familiari: denique assumptio alimentorum prompte delabentium per intestina, scilicet humidorum grauiorum leui ambulatione subsequente, cum expultricis robore.

Causæ tardæ deiectionis.

Causæ Tardæ deiectionis à contrarijs fiunt causis. Verum cum ad alui deiectionem. 4. Requisita sint. 1. Vt excrementa qualitate & copia expultricem stimulent. 2. Vt stimulus ille sentiatur. 3. Vt expultrix intestinorum ad feces expellendas insurgat. 4. Vt concurrat motus musculorum, cum abdominis tum pectoris: Quorum vnum si desideretur tardior fit deiectio, quam pro naturæ modo.

Causæ paucæ deiectionis.

Causæ paucæ deiectionis præcipua est vehemens distributio & digestio alimenti in corpus: Qua non solum excrementa siciora redduntur, sed etiam pauciora, quam pro alimentorum copia: Item alimenta pauca, parumque excrementosa: Vehementem verò digestionem & distributionem excitant immodici labores, exercitia, immodica perspiratio, nimiaque corporis raritas & similia.

Causæ deiectionis copiosæ, triplices.

Copiosæ deiectionis causæ sunt duæ 1. Est defectus digestionis & distributionis alimenti in corpus, quæ fit ab omnibus causis, à quibus perspiratio, & venarum ductus impeditur: 2. Est confluxus humorum à supernis partibus in ventrem: vtpote cerebro, iecore &c. in ventrem verò confluunt, propter facultatis retentricis imbecillitatem, vel expultricis validum motum: item ob alimenti excrementosi copiam.

Assiduæ

Assiduæ deiectionis causæ 3. sunt 1. Imbecillitas Retentricis ventriculi & intestinorum, oritur potissimum à Frigida intemperie Humida. 2. Facultas expultrix intestinorum præter Naturam irritata: duobus autem modis irritatur 1. propter vehementem ventriculi & intestinorum sensum, siue naturalem, siue præter naturam ex vlcere: 2. propter punctionem & morsum à rebus acribus, mordacibus contentis in ventriculo &c. Tertia causa est resolutio musculorum sedis. Hic notandum omnes humores qui intestinis accidunt, oriuntur per supernas partes, vel ratio Cerebri, ventriculi, Hepatis, Lienis aut totius corporis vnde Diarrhæa, Lienteria, Cœliaca, Dysenteria Tenesmus &c. *Causæ assiduæ deiectionis tres.* *Diarrhæa duplex.*

Diarrhæa dupliciter accipitur 1. Communiter pro omni profluuio alui: profluuium vero dicitur celer materiæ liquidæ per aluum exitus propter deprauatam expultricem aut retentricem intestinorum. Hic sex tanquam summe necessaria notanda: 1. Si materia profluuij sit cibus, præsumitur Lienteria & cæliaca. 2. Si Chylus, fluxus inde Chylosus 3. Si Feces, vnde Fluxus stercoralis. 4. Si sanguis simplex, vel cum pure, vnde Dysenteria. 5. Aut aliquid de substantia partium per colliquationem, vnde Fluxus colliquatiuus. 6. Vel Humores excrementitij, nimirum Biliosi, Melancholici, pituitosi, sinceri aut corrupti, vnde Diarrhæa propriissime dicta. Hinc Diarrhæa proprie est frequens Alui deiectio Humorum excrementitiorum, proueniens à debilitate retentricis, aut expultrice irritata copia, aut qualitate humoris defluentis in aluum: Diarrhæa communiter dupliciter dicitur: Alia naturæ opus, alia Symptomatica, opus morbi. Sub illa continetur non solum Critica Fluxio in ægris, à natura vincente morbum, sed etiam spontaneæ euacuationes in sanis, natura sese exonerante à superfluis Humoribus. In Symptomatica Diarrhæa propriissime dicta læditur vis expultrix aut retentrix intestinorum per se, aut vitio prauorum humorum affluentium: & in ea considerantur 1. materia ipsa quæ fluit 2. Pars mandans, à qua descendit ad Intestina. Materia potissimum sunt Humores excrementitij, Biliosi, Melancholici, pituitosi, aliquando corrupti, aut maligna qualitate affecti: vnde Diarrhæa alia Biliosa, Melancholica, pituitosa &c. Quando Humores à parte aliqua peculiari, vt à capite defluunt vnde Fluxus Catharralis & Pituitosus: si vel à Iecore, & vesicula fellis, vnde Diarrhæa Biliosa: vel à Liene vn- *In Diarrhæa sex notãda.* *Diarrhæa cõmuniter duplex.* *Diarrhæa Symptomatica.* *Diarrhæa biliosa, Melancholica, Pituitosa.*

de Diarrhea Melancholica: In Diarrhæis Epidemicis, & Crisibus Febrium acutarum euenit, vt Humores ad Inteſtina aliquando à ventriculo, vel à toto corpore defluant. Sub Diarrhæa continetur à nonnullis etiam ſtercorale Alui profluuium, vt ante dictum, à redundantia excrementorum, aut cibis excrementitijs in ventriculo corruptis. Diarrhæa σωτηκλικὴ, fluxus alui colliquatiuus, oritur ex colliquatione ſubſtantiæ corporis & Humorum in venis, ab intemperie valida ſolidarium partium calida, cum debilitate retentricis, qualis accidit in Hectica, & peſtilentialibus febribus, vbi materia pinguis, quaſi adipe perfuſa, per aluum deiicitur.

Ælui ſtercorale profluuium.

Diarrhæa σωτηκλικὴ.

Lienteria proprie dicta.

Lienteria ſeu leuor inteſtinorum proprie dicta eſt celer ciborum non tranſmutatorum per aluum tranſitus, orta à facultate retentrice ventriculi abolita. Cauſa præcipua eſt abolita functio retentricis, cibos non retinentis & complectentis, cuius ratione impeditur concoctio, vt cibus non coctus ercernatur.

Cœliaca affectio.

Differt à Lienteria.

Cæliaca, prouenit ex debilitate retentricis ventriculi, & magnitudine differt à Lienteria, leuiorque eſt affectio, à leuiori cauſa, verum deijciuntur humida excrementa & alimenta aliquo modo tranſmutata, ventriculo ob imbecillitatem retentricis non perfecte concoquente. Fernelius Cæliacam vocat profluuium alui, quod non vitio ventriculi, ſed inteſtinorum tenuium potiſſimum euenit, aut ob cicatricem relictam poſt dyſenteriæ curationem, aut impedita chyli diſtributione propter obſtructionem venarum meſaraicarum, & debilitatem attractricis venarum.

Dyſenteria.

Materia dyſenteriæ.

Dyſenteria epidemica.

Dyſenteria proprie eſt deiectio cruenta cum torminibus ventris, orta ab exulceratione inteſtinorum: Exulcerationis cauſæ præcipuæ ſunt materia acris abradens erodens, vt Bilis flaua, vitellina aduſta pituita ſalſa Melancholia aduſta, humores corrupti aut praua qualitate inquinati à contagio vnde Dyſenteria Epidemica, Item medicamenta & alimenta acria, corrupta, vel vehementer purgantibus. Dyſenteria communiter pro omni ſanguinolento fluxu alui ſumitur: ſanguinolentus autem fluxus triplex eſt: vnus ab vlceratione inteſtinorum, quæ Dyſenteria vera dicitur: Cæteri fluxus hepatici ſunt, & Dyſenteriæ nothæ. Differentiæ Dyſenteriæ ſumuntur à parte affecta & magnitudine exulcerationis: pro magnitudine exulcerationis dyſenteriæ tres gradus aſſignantur 1. Quando exulceratio in ſuperficie tantum inteſtinorum incipit, & pinguia exiguo-

Fluxus ſanguinis triplex.

3. Gradus dyſenteriæ.

quo admodum cruore perfusa deijciuntur 2. Quando abrasio altius nonnihil penetrat, ac Fibræ ac ramenta cum copiosiori sanguine exeunt. 3. Quando Frustula substantiæ carnosæ intestinorum vi vlceris depascentis, egeruntur. Tenesmus & Dysenteria differunt 1. Sede affecta 2. quod Dysenteria est Fluxus alui, cum ventris Tormi-nibus, & à materia magis acri & tenui. 3. Tenesmus egerendi cupiditas est cum tensione & pondere recti intestini, quâ tamen præter mucosum & subcruentum nihil magnopere excernitur & pluri-mum irritat. Nothæ Dysenteriæ tres sunt species: Vna est excretio sanguinis purioris rubentis, vi & prouidentia naturæ separantis id, quod superfluum est: vt quibusdam naturæ robur virtute expultricis sanguinem per Hæmorrhoidas, nonnullis per nares, mulieribus per verum evacuat: apud pletoricos sæpius contingere solet, consuetis videlicet oppressis euacuationibus, & intermissis exercitijs, atque ijs quibus membrum aliquod Insigne mutilatum est, per circuitus etiam deiectiones sanguinis per aluum contingere solent, præcipue ob redundantiam tantam sanguinis, grauantis Hepar & vasa: profusio sæpe etiam sanguinis fit apertis internis Hæmorrhoidibus, nec cum excrementis permiscetur, verum non in superflua copia.

Tenesm⁹ & Dysenteria tripliciter differunt.

Species tres nothæ dysenteriæ.

1. Species.

Altera species Dysenteriæ nothæ est Deiectio sanguinis nigri-oris & splendentis iecoris expultricem stimulantis, qui se ita ad iecur quodammodo habet, vti fluxus chylosus ad ventriculum; oritur talis, quia sanguis in Hepate post sufficientem delectationē non distributus perassatur, aut putrescit, perassatus sanguis Hepar mordens, & grauãs vi expultricis hepatis ac venarum, adq; intestina detruditur.

2. Species nothæ dysenteriæ.

Hæ duæ species sunt fluxus hepatici

Tertia species Nothæ Dysenteriæ est deiectio sanguinis aquosi ad formam Loturæ carnis recenter mactatæ; oritur ab Insigni intēperie substātiæ hepatis vires eius labefactante & debilitante, arguitq; instantem aut futuram interni membri putredinem: hæc affecto ita se habet ad hepar, sicut stomachica Affectio aut cœliaca ad ventriculum.

3. Species nothæ dysenteriæ.

Quidam addunt ad Dysenteriam notham fluxum alui purulentum sine torminibus, qualis accidit interdum in Empyemate & suppuratione pectoris, quando videlicet materia purulenta à pectore ad aluum transmittitur, deinde ex abscessu ventriculi, Hepatis, lienis, aut mesenterij: quoniã intestina in ano terminantur, per quem excrementa reddũtur opere pretium videbitur de eiusdem vitiis hic obiter etiam recensendum esse.

Fluxus alui purulentus.

Ani tres Musculi. Sciendum autem primo est quod Anus ex intestini parte extrema componitur, deinde 3. Musculis constat, Horum 2. in egerendi conatu anum foras impulsum in propriam sedem retrahunt, tertius intestini exitum claudit, ad tempus oportunum nobis desidendi, ne feces nobis inuitis exeant, σφιγκτὴν nuncupatur: His adduntur venæ 2. Interiores à Ramo splenico venæ portæ, exteriores à vena caua, quibus nonnulli Ramuli à vena porta permiscentur. Symptomata ani sunt: Resolutio Musculorum, conuulsio, Inflammatio, Vlcus, Rhagades, Condylomata, Thymi, Ficus &c. Resoluuntur Musculi aliquando ex affectu proprio scilicet valida Intemperie frigida Humida cum materia pituitosa, interdum per Consensum affectis Neruis, qui ad Musculos Ani surculos mittunt: si Musculo accidat claudente Anum, feces nobis inuitis exeunt, si cæteris duobus Musculis, Ani procidentia oritur. Conuulsio vero sphincteris, alui deiectionem impedit, aliorum duorum Musculorum Anum ita sursum retrahit, vt in egerendi conatu foras impelli nequeat. Inflammatio Ani ex influxu Humoris calidi oritur, concitati à multa ac dura equitatione, & non raro consequitur alios Ani affectus, vt Hæmorrhoidas clausas, rimas &c. Si illa Inflammatio tendat ad suppurationem, purulentum relinquit Vlcus, vnde sæpe Fistula, quæ interdum intestinum rectum perforat, & ad vesicam penetrat: sub genere vlcerum Rhagades continentur, Fissuræ in extremitate Ani. Nam vlcuscula sunt oblonga cũ ardore & dolore orta ab Humore erodente aut siccante, aliquando à fecibus duris & propter Condylomatum inflammationem, si partes circumsitæ rumpantur.

Ani symptomata. Resolutio Musculorum.

Conuulsio.

Inflãmatio.

Ani Vlcus.

Rhagades.

Condyloma ta. Condylomata proprie sunt tubercula rugarum ani ad similitudinem eminentiarum in Articulis, dum manus clauduntur, quæ κόνδυλοι vocantur, orta à confluentibus vitiosis Humoribus, hæc Tubercula interdum mollia sunt sine inflammatione, aliquando dura dolorifica cum inflammatione.

Thymi. Thymi siue mariscæ sunt tubercula Carnosa, oblonga quasi verrucæ, ad cutem tenuia supra lata, subrubra, aspera, florem Thymi referentia, vnde nomen sortiuntur, si amplius vulnerantur pro magnitudine sanguinem profundunt, gemita à Melancholico sanguine, cui aliquid acris Humoris permixtum est, aut ex Melancholia adusta, plerumque propter atritionem sedis. Thymi alij parui simpliciter dicti, alij maligni, qui ex similitudine ficus proprie appellatur. Thymi etiam

Ficus Ani.

alij

alij sunt benigni, nimirum Carunculæ, paruæ, asperæ albicantis aut subrubri coloris sine dolore; alij maligni qui duriores, asperiores, maiores sunt, coloris subnigri aut Liuidi cum dolore, pungente, naturam cancri referentes.

Fluxus Hæmorrhoides.

Hæmorrhoides communiter sunt fluxus sanguinis per Ani venas, aut Tumor in illis ex affluxu Crassi sanguinis. Proprie vero sunt Fluxus sanguinis ex apertione venarum Ani quæ duplices vt dictum est, exteriores à vena Caua, interiores à Ramo Splenitico venæ portæ, vnde Hæmorrhoides aliæ externæ aliæ internæ.

Symptomata Hæmorrhoidum.

Symptomata Hæmorrhoidum sunt Immodica sanguinis profusio, deinde præter consuetudinem suppressio, parciorque fluxus ac etiam intumescentia &c. Hic notandum quod tria considerantur in profluxu sanguinis, 1. Facultas fluxionem concitans. 2. Materia profluens, 3. Instrumenta à quibus & per quæ fluunt. 5. Organum infimi ventris est Mesenterium, quod est Panniculus intestinis implicitus hunc præcipuum vsum habens, vt sit fulcrum venarum Mesaraicarum, per quas tanquam manum Epar Chylum ex ventriculo & intestinis accipit. In hac eiusque Glaudulas Humores ex venis confluentes varios humores excitare solent: qui dolore vacant, quod pars sensu careat, & tam alte sepulti sunt vt non nisi pressu animaduertantur: Ex Humore autem frigido initio mollis laxusque Tumor oritur, qui progressu temporis in scyrrhum induratur: Ex Humore calido inflammatio, quæ ex febricula lenta, siti cum grauitate deprehenditur; ac in abscessum plerumque terminatur, ex quo primo sanies rubra, deinde pus album per venas ad intestina relegatur, magnaq; copia sine tormin. bus per aluum euacuatur.

Officiū mesenterij.

Tumores.

Scyrrhus.

Abscessus.

CAPVT X.

De Affectibus Hepatis.

4. Facultates requirūtur ad elaborationem sanguinis.

SExtum organum infimi ventris est Hepar, officina sanguinis & nutritiuæ potentiæ organum præcipuum. Porro ad sanguinis elaborationem & distributionem 4. Vtitur Facultatibus ministrantibus, Exempli gratia, Chylum per Venas Portæ attrahit, attractum tamdiu continet, donec in perfectum sanguinem transmutauerit,

quo tempore separato, excremento bilioso ad vesiculam fellis, Melancholico ad lienem, purum sanguinem cum vehiculo sero in venam cauam detrudit, vbi à Renibus percolatur: sic etiam sanguificatio non solum cæditur facultate alteratrice, sed etiam Attractrice, retentrice, & expultrice iecoris & venarum: & singulæ harum functionum tripliciter læduntur, semperque vitia secundæ concoctionis vitijs primæ correspondent, vt tertiæ vitiis secundæ, & à similibus fiunt causis. 1. Sanguificatio abdita est vbi vel sanguis non generatur, aut loco sanguinis aquosus Humor qualis in ascite: 2. Sanguificatio Diminuta est, quando parum boni sanguinis gignitur vt Atrophia, aut qui generatur semicoctus qualis in Cachexia, Anasarca, Fluxu Hepatico &c. 3. Sanguificatio deprauata est, vbi sanguis generatur impurus, vitiosus, Biliosus, Melancholicus Adustus &c. qui circa viscera conceruatus, primasque venas, Hypochondriacam & flatulentam melancholiam inducit &c. In venis Cacochymiæ varias species facit, vnde Cacotrophia

Functiones in huius officio tripliciter ladūtur.

Sanguificatio abolita.

Sanguificatio diminuta.

Sanguificatio deprauata.

Præcipui morbi Hepatis sunt intemperies, quæ facultates in sua substantia labefactant, deinde obstructiones, tumores, inflammationes, Scyrrhi, absessus & vlcera, quæ functiones proprie impediunt.

Affectus Hepatis intẽperies, obstructiones, Tumores, inflãmat: Scyrrhi, abscessꝰ vlcera &c.

Hic sciendum est non omnem intemperiem iecoris efficere Hepaticos, sed quæ harmoniam & naturalem temperiem substantiæ Hepatis dissoluit. Hinc intremperies aliæ iecur & Humores contentos pro sua qualitate tantum alterant, aliæ simul Harmoniam substantiæ eiusdem dissoluant: Illi si calida calidos adustos Humores gignit, frigida efficit contraria nempe pituitosum crudumque sanguinem, sicca intemperies Humores & excrementa sicciora reddunturr, corpus aridum, ægrique magis sitiunt &c. In Humida contraria &c.

Obstructio est angustia venarum iecoris, distributionem alimenti impediens oritur à materia cauitatem earum occupante: causæ obstructionis sunt vapor crassus, Flatulentus, vel humor crassus aut calidus à bile flaua, Item Humor frigidus, Crassus, Viscidus, Crudus, pituitosus, Melancholicus &c. Interdum vitio ventriculi, etiam ex Catharro à capite ad ventriculum, aut ex Liene vel vtero, etiam suppressione consuetæ euacuationis, vel ex toto corpore

Obstructio venarũ Hepatis.

Causæ obstructionis.

pore Humores feruntur vitiosi ad Hepar, item & ab alimentis & medicamentis adstringentibus &c.

Tumores Hepatis varij sunt, pro ratione videlicet Humorum, qui ex venis in meatus substantiæ Iecoris effusi, eos implent, & impactos distendunt: Sic sanguis phlegmonem, bilis Erysipelas, melancholia Scyrrhum non exquisitum &c. His adduntur etiam Hydatides id est vesiculæ aquæ plenæ in membrana iecur ambiente, quibus ruptis Hydrops oritur: Deinde tumor magnus ex materia collecta intra membranas iecur ambiétes, quæ interdum est vapor crassus, flatulentus genitus ex cruditatibus &c. *Varij tumores Hepatis.* *Scyrrhus nõ exquisitus.* *Hyatides.*

Inflammatio Hepatis est Calidus tumor, sanguine impacto ortus, inque substantia iecoris putrescente, aduenies cum febre continua dolore ac sensu magni ponderis & grauitatis in dextro Hypochondrio: sub calido tumore hic phlegmone comprehenditur exquisita ex puro videlicet sanguine, vel notha vt Erysipilatodes, Oedematodes, scirrhodes ex sanguine nimirum redundante, cum bile, vel pituita, vel melancholia, Item Erisipelas phlegmonides ex bile redundante cum sanguine. *Inflãmatio Hepatis.*

Hic notandum quod veteres eos Hepaticos nuncupauit, inflammatione iecoris laborantes, verum hi proprie Hepatici vocandi, qui imbecillitate iecoris afficiuntur, & ipsa inflammatio iecoris, à nonnullis Hepatites: distinguendum est hic etiam inter totalem inflammationem Hepatis, plerunque etiam pars gibba aut cana afficitur quod suis signis patet, accidit nonnunquam etiam vt Musculi iecori incumbentes inflammentur, quare sic distinguitur iecoris tumor rotundus & circũ scriptus ad Figuram iecoris est, & maior apparet corpore ad sinistrum latus inclinato, minor rursus ad dextrum deuoluto, & cutis incumbens naturali modo conspicitur: Tumor vero musculorum oblongus est iuxta musculi longitudinem magisque eminet, cutis incumbens circumtenditur, dolor vehementior, sed minor febris cæteraque Symptomata; distinguenda etiam à Pleuritide est inflammatio, quod & suis patet signis. Terminatur sæpe immediate ad mortem aut in tabem, Hydropem, non vero in abscessum & suppurationem, post ruptum abscessum vlcus fere insanabile relinquitur. *Hepatici.* *Tumor rotũdus & circũscriptus.* *Tumor musculorum oblongus.* *Declinatio Inflammationis.*

Scyrrhus Hepatis duplex est vnus exquisitus, Tumor Durus renitens, doloris expers, ortus à Melancholico succo Impacto & con- *Scyrrhus Hepatis duplex.*

plex vnus exquisitus alius minus exquisitus.

& concreto in substantia iecoris: Alias minus exquisitus tumor durius quidem, sed nec plane renitens, nec sensus expers, genitus sæpe à pituita crassa, viscida, vel alio impacto Humore concrescente in substantia iecoris. Ex inflammatione Scyrrhus dupliciter etiam relinqui potest, vno modo dum discussis partibus tenuioribus à flameo Calore inflammationis, vel errore medici quando vrgente inflammatione immodice refrigerantibus & repellentibus vtitur, à quibus non modo per expressionem Humores veluti concrescunt, sed etiam calor natiuus ita labefactatur, vt alimentum proprium digerere nequeat, & Humores quasi congelatos relinquat, vel etiam sanguis impactus exiccatur & crassescit, naturam melancholiæ acquirit: veluti inflammatio ita & scirrhus in parte gibba vel caua consistit.

Læsio functionũ Hepatis per consensum partiũ aliarum.

Functiones Hepatis per consensum aliarum partium lædi potest, vt cordis, quando Calor influens deficit vel immodice augetur &c. præcipue vero quando vtili ministerio destituitur ventriculi, tenuium intestinorum, & venarum meseraicarum ex defectu aut praua qualitate Chyli, ex quo in Hepate sanguis generatur, vel vesiculæ fellis, Lienis, Renum, ob suppressam euacuationem excrementorum ipsius Hepatis: sequuntur alij morbi iecoris partiumque ministrantium, orti ex causis nonnullorum præcipuorum, Hepatis Symptomatum.

Cachexia, p prie dicta.

Cachexia proprie est praua dispositio vniuersi corporis habitus seu inflatio & subtumiditas malusque color corporis, procedens ex

Causa primaria.

nutritionis errore, sanguinis vitio potissimum. Primaria causa eius est Cacochymia siue sanguis vitiosus, qui sub halitus specie partibus perfecte agglunari & assimilari nequit, qualis sanguis in Cachexia est frigidus crudus, pituitosus aut crudus non proprie Biliosus aut Melancholicus, ex quo Icterus & Cacotrophia potius, quam Cachexia oritur, licet sæpe aliquid Melancholici aut Biliosi succi affluat.

Causa secundaria.

Secundaria causa est intemperies totius corporis habitus Frigida Humida contraria à longo morbo, & proprie ex redundantia Frigidi pituitosi aut aquosi sanguinis, quam Partes solidæ elaborare & digerere

Consequens Cachexia.

nequeunt, sed eas potius alterat & copia inflat. Cachexia consequitur febres longos pituitosas, obstructiones, Scyrrhos iecoris ac Lienis, morbum Gallicum male curatum, Diuturnos Fluxus alui, immodicos fluxus sanguinis per vterum, Hæmorrhoidas, vulnera, item suppressionem

preſſionem menſtruorum, vrinæ &c. Et veluti iecoris imbecillitas via eſt ad Cachexiam, ita Cachexia ad Hydropem.

Hydrops ὑδρωψ & ὕδερ Latinis Aqua intercus, eſt Tumor totius habitus corporis aut ventris, procedens à labefactata virtute ſanguifica, ob debilitatem caloris natiui iecoris venoſique generis ex materia nutritioni inepta, quæ partibus affluens non agglutinatur, nec expellitur. Sumitur etiam pro ſymptomate excrementi præter naturam retenti inhabitu corporis, ortum habentis ex ſanguificatione debilitata vel proſtrata, cuius vitio ſuccus nutritioni ineptus, quo partes alendæ, redditur. Hydropiſis tres ſunt ſpecies præcipue materia inuicem differentes: 1. Species dicitur ἀναϲάρκα, cui ſtotoſarca ſarcites & λευκοφλεγμαϲία vocatur, quæ proprie eſt Tumor totius habitus corporis & ventris: Hoc malum plerumque originem ſumit ex copia pituitoſi humoris in venis, quam ob ſuam debilitatem, aut materiæ vitioſæ copiam emendare nequeunt. Vnde partes, quia id, quod attrahunt, non agglutinant, nec euacuant, totius corporis habitus in tumorem mollem, laxum aſſurgit, corpuſq; colore pallido aut ſubalbido emortui inſtar apparet.

Hydropiſis.

Hydropis ſ.

ſunt ſpecies.

ἀναϲάρκα.

ὑδροϲάρκα

ϲαρκίτης

λευκοφλεγμαϲία.

Secunda ſpecies Hydropis ἀϲκίτης vocatur, quod totus venter ab aquoſo humore repletus vtrem aqua plenum repræſentat, hæc proprie eſt Tumor totius ventris aliquando ſcroti & fœmorum, pedumque ex ſeroſo Humore defluente plerunque inter peritoneum & inteſtina, rarius intra peritoneum & externam abdominis tunicam, deinde ad inferiora decumbit interdum ad pectus portio aliqua erumpit: In Anaſarca particulatim iecur per ſe initio minus afficitur, in Aſcite vero malum incipit à iecore & venoſo genere ex debilitate non tantum concoctricis, ſed etiã virtutis expultricis, quæ humorem ſeroſum à ſanguine ob debilitatem natiui caloris nõ ſecernit, vel ex imbecillitate vaſorum emulgentium & renum, vnde ſanguis ſeroſus redditur impurus, adque alenda membra minus idoneus; primis venis ſeroſo ſanguine repletis, roris aliquid inſtar in peritoneum ſenſim defluit, aliquando per vias cæcas ipſæ venæ Humorem ſeroſum in ventris capacitatem tranſfundunt, vnde abdomen totum paulatim intumeſcit, ſæpiſſime ſcrotum, pedes omneſque partes inferiores. Ex humore circa iecur ſeroſo, intra etiam peritoneum, Hyatides ſiue veſiculæ interdum aqua plenæ oriuntur, ex quibus Aſcites, quæ per fluctuationes quaſdam inæquales deprehen-

2. Species Hydropis ἀϲκίτης.

Ortus huius ſpeciei.

3. Hydropis species τυμπανίτης. duntur, ex loco certo quasi sunt circumscriptæ. Tertia species τυμπανίτης dicitur, quod ventre manibus percusso Tympani percussi sonum imitetur, vocatur & sicca Hydrops, est Tumor ventris à flatibus intra peritoneum & intestina collectis: Hoc malum incipit à ventre & intestinis magis, & desinit in iecore vnde Galenus 3. de

Hydrops sicca.

Causa Tympanitidis. sympt. caus. & 11. Aphor. sect. 5. Videtur Tympanitidis causam ventriculo ascribere: initio sola inflatio esse animaduertitur, deinde flatus inspissatur & quasi nubilus redditur, atque ita cum flatu, quasi Nebulosus Humor congregatur; inflationem plerumque etiam consequuntur tormina ventris quæ nec natura nec medicamentis soluuntur, flatus verò debilitatem ventriculi & intestinorum. Inter peritoneum & intestina flatus colliguntur, totumque Abdomen distendunt sine grauitate, aliquando cum flatibus aliquid serosi Humoris intra capacitatem Abdominis coaceruatur, & oritur affectio mixta: In Anasarca tota corporis moles intumescit, in Ascite Tumor ventris variato corporis situ mutatur, in Tympanitide non &c.

Icterus. morbus regius. Icterus Latinis Arquatus & morbus Regius proprie dictus est fœdus color corporis, citrinus, pallidus nonnunquam & porraceus &c. Productus ex effusione bilioſi Humoris per summa cutis Symptoma est excretricis bilioſi Humoris: Improprie dictus Icterus niger dicitur qui est subliuidus, aut niger totius Corporis color procedens ab effusione Melancholici Humoris in summam cutem: Symptoma excretricis Humoris Melancholici. Icterus proprie dictus oritur 1. Ob calidam intemperiem Hepatis & alimenta calida, aut ob feruentem iecoris inflammationem. 2. Ex solidarum partium intemperie 3. Ex morsu bestiæ venenatæ, viperæ aut veneno assumpto. 4. Quando Iecur Bilem à sanguine non separat, aut ad Cystin fellis non expellit. 5. Ex debilitate virtutis vesiculæ Fellis Bilem à iecore non attrahentis, aut à se ad duodenum expellentis. 6. Bile ab interioribus partibus in cutem effusa, facultate expultrice concitata vel à natura, vt in crisibus Febrium biliosarum potissimum: vel symptomatice vesicula fellis ad expellendum concitata à copia, magnaque acrimonia Bilis, dum eam in iecur ad venas eructat.

1. Proprie oritur Icterus.

2. 3. 4. 5. 6.

Scor-

Scorbutus Ictero nigro affinis proprie est praua quædam nutritio, aut vitiosus corporis habitus, sæpe cum debilitate crurum & maculis, gingiuis tumidis & sanguinolentis, nautis nonnullisque populis maritimis familiaris Plinius Sceletyrben & stomacacen vocauit, recentiores scorbutum, aliqui gingipedium à gingiuis & pedibus, corrupto sanguine infectis, & ad magnos lienes Hipp. referunt, eorumque symptoma videtur: prouenit à Melancholicis corruptis Humoribus ex vitiosis alimentis in iecore genitis, qui à liene affecto, non attrahuntur & expurgantur, sed in corpus distribuuntur. *Scorbutus.* *Sceletyrben & stomacacen.*

Atrophia, vera est macies aut corporis attenuatio, orta à facultate nutriente labefactata non valente frui debito alimento: Alia est totius corporis, alia partis, interdum etiam sumitur pro ipso defectu nutritionis, sæpe pro macie aut attenuatione totius Corporis. Atrophiæ totius corporis causa prima videtur affectus alicuius præcipui visceris (vt cordis, iecoris, cerebri, ventriculi) calorem natiuum cum spiritibus debilitans, obtundens & extinguens. Atrophia autem quæ vnam partem obsidet, causa est ipsius partis peculiare vitium, nimirum intemperies calorem natiuum debilitans, vel sanguinis vel spirituum defectus, ex interceptione, obstructione, compressione venarum, arteriarum ac etiam neruorum, vt in Paralysi, nam partes resolutæ attenuantur &c. Notandum etiam hic est quod macies corporis tribus modis oriatur *Atrophia.* *Alia partis, alia totius corporis.* *Causa Atrophiæ ex vna parte.*

1. Ob defectum alimenti in venis, ex inedia, immodicis euacuationibus, longo morbo &c. *Macies corporis tribus oritur modis.*

2. Ob consumptionem substantiæ corporis, vel subito à calore colliquante, vt in febribus ardentibus & malignis, vel lente à siccitate Humidum natiuum depascente, quæ affectio Marasmus dicitur.

3. A debilitata aut deperdita nutritione, quando partes alimento non fruuntur, hoc modo Atrophia proprie dicta oritur, à cæteris non nisi improprie.

Catotrophia deprauata nutritio proprie est alimenti in aliquam substantiam à qualitate conuersio, siue proprietate naturali *Catotrophia.*

humani corporis, proueniens vitio alteratricis facultatis, aut ipsius alimenti. Vitio facultatis alteratricis viscerum corporisque partium ex intemperie cum substantiæ corruptione in Lepra, Elephantiasi & similibus facit, vt cibi boni in prauum succum & substantiam conuertantur. Præcipua vero causa prauæ nutritionis est alimenti vitium. Sub vocabulo alimenti hic intelligitur non vere alimentum, quod partibus apponitur & agglutinatur, sed primum alimentum scilicet sanguis, deinde futurum alimentum, cibus, qui ab ore in ventriculum recipitur. Sic sanguis Pituitosus carnem in album colorem transmutat, ad similitudinem carnis testaceorum, si leuis error sit alteratricis & humor cutem tantummodo occupauerit, excitantur in eius superficie maculæ albæ non continuæ ad squammarum similitudinem quæ ἀλφοὶ vocantur: sin error magnus sit in toto corpore & pituita crassa tenta cutem & subiectam carnem occupauerit, oritur λέυκη, à nonnullis lepra alba, sic sanguis Melancholicus corpus in nigrum colorem transformat; si error sit leuis alteratricis, in cute tantum maculas nigras excitat, quæ à Græcis μέλας, à nonnullis Alphi Nigri. Si magnus sit & Humor adustus acris euadat, cutemque erodat, scabies simplex, si altius depascat ψωρὰ ἀγρία & lepra à Græcis: sin maior multo sit alteratricis error & Humor adustus maligna qualitate affectus, in toto, Elephantiasis, in parte Cancer oritur. Bilios us Humor in cutem effusus ἐξανθήμα maculasque rubeas, aut purpureas efficit: Humor aeris, serosus tenuis, paucus pruritum, cum crassis permixtus λειχήνην seu impetiginem proprie dictam, verum sub impetigine communiter dicta comprehendunt nonnulli puritum scabiem ac lepram, quæ inter se magnitudine, forma & causis distinguuntur: Et vt Alphi sunt viæ ad Leucen, ita pruritus ad impetiginem, impetigo ad scabiem, Scabies ad Lepram, Lepra interdum ad Elephantiasin.

Scabies simplex.

Lepra.

Lepræ Celsus duas recenset species, vnam siccam maiori cum pruritu, alteram Humidam cum pustulus multaque sanie, quidam 4. ponunt sola magnitudine differentes, quarum pessima est crassa, Dura, subalbida recenti cicatrici similis, alte depascens &c.

Elephātiasis.

Elephantiasis est morbus contagiosus magnus ex Atra Bile mali-

maligna qualitate inquinata, substantiam totius corporis immutante; vel est Tumor totius corporis cancrosus, valde contagiosus, genitus ex Atra bile venenata qualitate prædita à iecore & Liene in totum corporis habitum effusa. 1. prouenit ab vtero malo Hæreditario ex semine parentum eodem morbo laborantium, Auicenna putat ex sanguine materno. Si concipiantur fluentibus mensibus. 2. contagione ex concubitu aut conuersatione cum Elephantiacis. 3. proprio vitio ex suppressione Hæmorrhoidum, vel mensium, item varicibus cohibitis. 4. Ex Lue gallica & vsu alimentorum crassi succi ac etiam exiccantium, dum obstructo liene Humores in Atram Bilem aduruntur, & per adustionem venenatam qualitatem ascisciunt, ac primum viscera inquinant, deinde corporis habitum. Nam cum in totum affici nequeat, nisi viscus aliquod, initium mali à viscere aliquo erit, præcipue à labe contracta in iecora aut Liene vbi succus Melancholicus naturaliter generatur aut elaboratur, & expurgatur, deinde quia sensim Humidum radicale inuadit, & occupat à corde quoque erit cæterisque partibus: Quare viscera labe hac infecta similis qualitatis succos gignunt. Elephantiasis duplex est 1. Minus maligna subrubicunda ex humore melancholico Adusto. 2. Magis maligna ex Bile flaua adusta in qua corpus prauis vlceribus fœdatur, extremæ partes decidunt vt cutis digitorum, nasi &c. additur & tertia species subalbida ex adustione melancholici Humoris cum pituita salsa crassa commixti: dicitur & Leontiasis, ob rugarum frontis similitudinem cum Leonibus: ob libidinem & faciem Satyris similem, quos poëtæ fingunt naso simo, labris crassis, auriculis extenuatis, ossibus iuxta Aures prominentibus Satyriasis. *Elephantiasis duplex.*

Lues venerea, est morbus contagiosus defluuio capillorum, maculis, tuberculis, vlceribus, & dolore sæuiens, genitus ex putrido lento excremento, qualitate virulenta maligna & venenata prædito, aliunde susceptо, plerunque ex impuro concubitu: Prima causa huius labis est putridum excrementum tota substantia nobis infensum qualitate virulenta maligna & venenata præditum quod non modo Humores & spiritus inquinat, sed etiam partes solidas inuadit & corrumpit, ac primum partes quibus insidet, contaminat, deinde sensim continuatione quadam etiam per arterias & venas *Lues venerea.*

in totum Corpus spargitur. Quatuor gradus & species constituuntur Luis venereæ 1. Leuissima est ex veneno consistente in spiritibus & Ichoribus, quando pili capitis & barbæ tantum defluunt. 2. In sanguine tenuiori virus habet, qua cutis vere tota multis maculis non extuberantibus conspergitur, nũc paruis lentiginis instar, nunc latioribus, & vtrisque flauis rubris &c. 3. Multò teterior est vbi virtute iecoris debilitata, sanguis vitiosus prauique Humores generantur & in Corpus distribuuntur, ex quibus pustulæ rubræ flauæ & siccæ circa frontem, tempora, in capite, pone aures, per totum corpus erumpunt, tubercula vlceraque oriuntur, tenellæ partes præcipue ad Nares & Fauces exulcerantur &c. 4. Omnium pessima in qua virulenta corruptio, non solum carnes, sed etiã Spermaticas partes inuadit mẽbranas, neruos, tendines corrodit, ingentesque dolores excitat, Ossa diuellit, exedit, carie consumit gummositates trophosq; parit &c. Sequuntur in ordine reliqua organa cum suis vitiis.

CAPVT XI.

De Affectibus vesicæ Fellis ac Lienis.

Functio vesicæ fellis.

SEptimum Organum est vesica fellis, quæ est bilis flauæ receptaculum, in cauo iecoris consistens. Hac vesica obstructa Bilis cum sanguine in totum corpus effunditur, & Ictericum seu morbum Regium efficit & gignit, quem illustrauimus inter Affectus Hepatis.

Functio eius præcipua est, à Bilioso excremento iecur sanguinemque euacuare, siue bilem attrahere debito modo & retinere, adque duodenum intestinum expellere: Læditur hæc Actio, vbi nihil aut parum Bilis à iecore attrahit & suscipit, vel ad Duodenum expellit, aut deprauato modo euacuat. Causa Abolitæ & Debilis Functionis 1. Est insignis intemperies vesiculæ & vasorum vim attractricem à iecore, & Expultricem ad intestina labefactans 2. Angustia ductus vel à iecore, & tum vesicula vacua est, vel ad

1. Causæ 2. Functionis abolitæ.

Duo-

Duodenum, & tum plena est, orta à crasso viscido Humore infarcto, 3. Calculis in vesica genitis ex crassa Bile concrescentibus. 4. Vel à magna Bilis copia vesicam distendente, vt sese contrahere, & expellere nequeat. 5. Ob compressionem ex tumore iecoris vicinarumque partium incumbentium: Hac euacuatione suppressa per aluum, Bilis cum sanguine in totum corpus distribuitur, & Icterus oritur de quo supra.

Deprauata bilis euacuatio.

De prauata Bilis euacuatio, fit ab Expultrice cystis Fellis prorita à copia aut magna acrimonia Bilis. Vesicula vehementius stimulata interdum omnem fere Bilem violenter propellit ad intestina, aut ventriculum, & Bilioſas Diarrhæas, Dysenterias, vomitus &c. Concitat aliquando in iecur & venas eructat, ac Icterum quoque efficit.

Affectus Lienis.

Octauum organum est splen siue Lien, situs in sinistro Hypochondrio receptaculum est crassi & fœculenti sanguinis, qui succus dicitur Melancholicus: Eius vitia sunt vel Symptomata: morbi vel Symptomata consistunt in Læsis functionibus vt & alia organa tripliciter: vt in læsa facultate attractionis, retentionis, & expultricis, hæque rursus tribus modis tentantur, vel quod debiliter agunt vt parum, vel deprauate id est nimis multum, vel abolite aut plane nihil; horum rationes & causas varias & ambiguas satis apud medicos videbis. Morbi lienis sunt

1. Intemperies.

1. Intemperies omnis generis. Vires Lienis labefactantes, vnde Melancholici Humores in primis venis, deinde in toto corpore coaceruantur, vnde obstructiones, tumores aliaque vitia multa lienis oriuntur.

2. obstructio lienis.

2. Obstructio Lienis oritur ex Melancholico Humore venis aut Arteriis infarcto, qui à liene non expurgatur, adueniens cum leui tensione & grauitate sinistri Hypochondrij &c. Oritur etiam Angustia per compressionem vasorum à Tumore Lienis, aut constrictionem ab astringentibus &c.

3. Tumor lienis.

3. Tumor Lienis ab Humore crudo aquoso substantiæ eius impacto oritur, primo fit laxus ab Humore Melancholico, verum sensim induratur.

4. Inflatio lienis.

4. Inflatio Lienis est Tumor ex Flatulento vapore Lieni incluso, genito ob debilitatem caloris, & succos aut cibos flatulentos, vel in ipso Liene vel in ventriculo, à quo in Lienem postea transferuntur.

5. In

Inflãmatio Lienis. 5. Inflammatio Lienis est Tumor calidus dolorificus ex sanguine impacto & putrescente in substantia Lienis. Causæ fere eædem quæ in Hepatis inflammatione, nisi quod sanguis hic plane impurus est, & plerumque crassus melancholicus, aliquando Bilioſus siue adustus: Hinc Lienis inflammatio phlegmone notha est, vt phlegmone scirrhodes, aut scirrhus phlegmonides, interdum Erysipelatodes &c. Hæc inflammatio terminatur aliquando critice per Hæmorrhagiam siniſtræ naris, aliquando in abscessum, sæpius vero quam iecur in scirrhum desinit.

Phlegmone notha.

Abscessus, Scirrhus lienis.

Scirrhus duplex. 1. ex humore melancholico. 6. Scirrhus Lienis vt iecoris duplex est; vno modo sponte ex Humore melancholico è venis effuso & concreto in substantia Lienis, plerumque verò à tumore laxo, minusque duro inchoatur, qui sensim concrescit & in scirrhum obdurescit: Secundo non raro ex inflammatione Lienis, tenuioribus partibus discussis, aut expressis vt in scirrhæ Iecoris dictum: in hoc affectu ipse Tumor situm & figuram Lienis retinet, prorsus durus, cum tensione & magna grauitate Diaphragma comprimente vnde & respirationis difficultas oritur dolor siniſtri iuguli, corpus subliuidi plumbei coloris, ventriculi concoctio vitiata, flatus sursum deorsum cum murmure erumpentes, progressu Hydrops, & vlcera Tibiarum nascuntur. Hoc morbo laborantes Hippocrates σωλινώδεις vocat. Hic adhuc obiter notandum Humor Melancholicus in iecore detentus, caloremq; natiuum debilitans, gignit Hydropem, per venas distributus, Febres quartanas, ac Melancholiam, in habitu corporis, scirrhus exquisitos, in cutem effusus Icterum nigrum, si aduratur, scabiem, Lepram, cancros, si vasa obstruat, melancholiam Hypochondriacam, cum in Venas Mesaraicas & loca circa ventriculum effunditur, vbi detentus corrumpitur, & per ebullitionem euaporans, ventriculum subuertit, deliria propter vapores tetros ad cerebrum missos producit, & vt dictum Melanch. Hypochondr. aliquando in ventriculum obtruditur & si acidus caninam appetentiam, si adustus vomitus pernitioſos excitat, interdum in intestina propellitur, si adustus, Dysenteriam aut cancrum intestinorum incurabilem facit &c.

2. ex Inflammatione Lienis.

***

CAPVT

CAPVT XII.

De affectionibus renum, vesicæ, & membrorum genitalium.

NOnum Organum huius ventris sunt renes, νεφροὶ, qui serosam superfluitatem, græcis ἐρρῶδες περίττωμα, ex massa sanguinea expurgant. Alliciunt etiam illam serosam superfluitatem, intra se ex vena caua per venas emulgentes, & rursus ex se in vesicam effundunt per canales, qui οὐρητῆρες seu vrinarij meatus appellantur. *Renes vesicæ. Φροὶ 9. organum.*

Symptomatum renum eadem pene ratio est, vti iam præcessit cum liene, videlicet quod consistat in tribus functionibus, quæ aut deprauantur, debilitantur, aut obolentur, horum causa latius apud medicos aggrediamur morbos. Morbi vtique renum possunt esse intemperies, tumores, inflammationes abscessus, scirrhus, vlcus, calculi &c. *Symptomata renū.*

Intemperies à causis tum externis quum internis temperiem naturalem alterantibus gignuntur, ex calida intemperie, sensus ardor in lumbis, sitis, vrinæ copiosæ, diabetes &c. Frigida vim attractricem seri debilitat &c. Et si cum humore substantiæ renum impacto fuerit, tumorem præter naturam excitat: eiusmodi tumores sunt inflammationes & scirrhi. *Intemperies ab externis & internis.*

Inflammatio renum est tumor præter naturam calidus ex sanguine substantiæ renis impacto, siue bilioso, pituitoso siue melancholico, à venis emulgentibus spatia renum influens, præcipue ob calorem & dolorem renum attrahentem, pharmacorum calidorum potionem, contusionem à calculo, ictu, plaga, vehementi continua equitatione &c. Symptomata inflammationis plurima sunt alia mitia, alia vehementiora, prout instat vel augetur, si vires fuerint validæ intensa inflammatione, in abscessum aut scirrhum tendet, sin minus ad mollem declinabit: post abscessus ruptionem relinquitur vlcus insanabile sin inflammatio in scyrrhum conuertatur ardor, febrilis & dolor mitigatur, sed grauitas manet &c. *Inflammatio renum. Symptomata inflammationis.*

Renibus etiam accidunt morbi confirmationis, vt vasorum dilatatio & renum angustia; ob nimiam enim vasorum dilatationem *Renū morbi compositionis.*

Calculi renum varij. sine vlla percolatione vrina cum sanguine in vesicam descendit: Contra, anguſtia, seri percolationem & descensum impedit. Calculi varij

Proprie calculus renũ νεφρίτης. sunt, quia & in alijs partibus generantur, vt in intestinis, pulmonibus, aliquando in corde præhensus, in abscessibus, nullibi verò frequentius quam in renibus & vesica. Calculus renum proprie νεφρίτης dicitur quod renes grauissime exerceat: Sumitur aliquando pro morbi causa, quando renes obstruit, continuumque soluit, à Galeno pro morbo in numero aucto toto genere præter naturam.

Causa. Causa eius materialis primaria est pituita crassa, glutinosa terrenæ substantiæ, lenta in renibus, plerumque cum sanguine commixta, aliquando cum alio humore, vel pure crasso, lentoque. Humor crassus lentus ex cruditatibus & alimentis crassi succi difficilisque concoctionis generatur.

Calculorũ renum differentia. Calculi in renibus, magnitudine, numero; Colore, forma, duritie & asperitate inter se differunt, deinde etiam aut in renis substantia aut cauitatibus oriuntur, quæ omnia suis constant signis.

Morbi vreterum anguſtia & continui solutio. Morbi vreterum sunt anguſtia & continui solutio; Anguſtia transitum seri à renibus impedit, interdum est compressio à tumore partium incumbentium, vt plurimum obturatio ex grandiori calculo à renibus emoto, & cauitati vreterum impacto, qui ex sensu calculi transeuntis & inhærentis dignoscitur, obstruuntur etiam sed rarò ex humore valde crasso, lento aut grumo sanguinis. Continui solutio est vulnus aut exulceratio plerumque à calculo asperiore conterente, diuellente, vulnerante aut acri seroso humore abradente.

Morbi vesicæ. Morbi vesicæ: per se omni fere morborum genere tentatur vesica, præcipue: Intemperie, inflammatione, scirrho, abscessu, anguſtia,

Intẽperies, Inflammatio &c. calculo & exulceratione: Per consensum verò, quando à renibus serum, quantum & quale non oporteat, suscipit, item calculos, pus, sanguinem: Deinde cerebri, & spinæ, quando vis animalis in corpus

Vesicæ inflammatio. vesicæ aut musculum ceruicem claudentem non distribuitur ob paralysin &c. Interdum ex intemperie, dolore aut tumore partium vi-

Phlegmone exquisita. cinarum, nimirum vteri, recti, intestini &c. Inflammatio vesicæ est tumor calidus, dolorificus ex sanguine vel bilioso, pituitoso vel me-

Notha erysipelatis. lancholico, exinde inflammatio, vel est phlegmone exquisita vel notha erysipelatis, œdematis aut scirrhi particeps. Si inflammatio sit magna, non rarò in Gangrænam abit, ex qua vix vllus restituitur;

rarius

rarius discutitur, nisi parua sit, aliquando remisso dolore & febre, manente grauitate in scirrhum transit, licet etiam scirrhus vesicæ sponte oriri queat, vt renum, sæpius non sine periculo in abscessum abit, nam dum suppuratio fit, febris, dolor, cæteraque symptomata augentur, vt in renum inflammatione, deinde rupto abscessu pus copiosum, in multa vrina excernitur, tandemque vlcus incurabile relinquitur.

Variæ species angustiæ cervicis vesicæ.
1. obstructio.
2. Constipatio.
3. Distensio.
4. Compressio.
5. Subsidentia.
Et vltima, error externus.

Angustiæ orificij aut ceruicis vesicæ variæ sunt species ac causæ. 1. Est obstructio ex humore crasso, pure, vel grumo sanguinis vel calculo. 2. Est constipatio à caruncula carnisue excrescentia innata, ab vlcere vesicæ ceruicis, vel callo, siue cicatrice dura ex vlcere relicta, aliquando à tuberculo. 3. Nimia distensio vesicæ ceruicis, vt inde meatus occludatur, à tumore, inflammatione, scirrho, abscessu &c. 4. Compressio ceruicis à tumore partium vicinarum incumbentium, nimirum vteri ex fœtu grandiore, recti intestini, aliquando ani ob Hœmorrhoides valde intumescentes. 5. Subsidentia aut conniuentia meatus ob conuulsionem musculi claudentis ceruicem, ex immodica siccitate & inanitione inprimis, qualis interdum accidit in febribus ardentibus & colliquantibus: His & additur vitium ratione subiecti ab errore externo, nimirum immodica tensio totius corporis vesicæ, à nimia vrinæ copia diutius quam par est, retentæ, quod sanis accidit in conuiuijs & foro &c.

Calculi vesicæ.
Differentia.

Calculi vesicæ non solum maiores vt plurimum sunt calculis renum, sed etiam duriores minusque asperi & friabiles, coloris subalbi, aut cineritij, in renibus vt plurimum, subruffi, rarò albi, flaui aut nigri &c. De his apud medicos latius inquire.

Exulceratio vesicæ.

Exulceratio vesicæ, vel ex abscessu rupto oritur, vel consequitur contusionem, rupturam, aut vulnus, casu, vel minus periti chirurgi opera in sectione calculi inflictum, vel ex erosione materiæ acutæ, vel acris, abradentis, vt calculis asperioribus, vrinis acribus, salsis, corruptis humoribus, vsu alimentorum calidorum, vini potentis, medicamentorum erodentium præcipuè cantharidum, quæ proprietate vesicam lædunt & exulcerant.

Morbi fistulæ vrinariæ. Causæ 4.

Morbi fistulæ vrinariæ ijdem sunt, quibus ceruix vesicæ infestatur, ceruicem enim vesicæ excipit in maribus fistula vrinaria, seu meatus penis, lotio & semini communis: præcipue verò inflammatione alioue tumore. 2. Meatus angustia, ex humore crasso ac lento, aut calculo impacto, vel caruncula, aut tuberculo innato &c. 3. Exulceratione ex abscessu disrupto, calculo asperiore, vel acri corrupto humore abradente. 4. Ex impuro concubitu cum muliere lue venerea infecta: Morbi penis exterius patent, facileque dignoscuntur, his prætermissis ad symptomata morborum pergemus: Horum alia sunt vitia. 1. Attractionis, quando vesica à renibus ad se trahit vrinæ vel parum, vel nimis multum vel plane nihil. 2. Retentionis, quando vesica vrinam retinet vel debiliter, vel deprauate vel plane non, eius species sunt Ischuria proprie dicta & notha, item incontinentia. 3. Expulsionis, huius species sunt octo. 1. Oliguria. 2. Dysuria quæ fit cum vel sine dolore. 3. Stranguria. 4. Diabethes. 5. Mictus inuoluntarius. 6. Mictio cruenta. 7. Mictus purulentus. 8. Mingendi impotentia &c. Horum signa causasque ac differentias pluries ex Medicis petenda erunt, pergamus obiter ad enarrationem vitiorum membrorum genitalium, virilium ac muliebrium.

Symptomata morborum vesicæ.

Symptomata citra vrinæ excretionem contingentia, correspondent symptomatibus deiectionum alui: sic suppressioni alui, Ischuria; Lienteriæ, diabetes; Diarrheæ, incontinentia vrinæ; Dysenteriæ, dysuria, mictus cruentus ac purulentus; Tenesmo, stranguria.

Vitia membrorum genitalium virilium & muliebrium alia sunt morbi, alia symptomata morborum: Morbi sunt simplices vel compositi: Simplices sunt vel intemperies, vt calida, frigida, humida & sicca: vel vitium structuræ, quod est primò vel in conformatione, cuius vitium vel est in figura, vt si membrum genitale, vel nimis obliquum, tortuosum vel rotundum: vel in meatu, vt si est nimis amplum vel angustum: Vel in qualitate secunda tactili, vt si est nimis durum molle, crassum, tenue, densum, rarũ, asperũ, læue. Secundò magnitudine, quando est nimis paruum aut magnum, longum aut breue. Tertiò, numero vt si eius pars aliqua vel integrum etiam retundat, vt fit in Hermaphrodite, tres testiculi, vnus testiculus aut nullus. Quartò vt si extra locum propendet. Quintò connexione vt vlcus, vel vulnus. Morbi compositi. 1. Sunt Apostema, vel calidum, vt sanguineum, bileosum, vel frigidum, vt phlegmaticum melancholicum. 2. Inflatio, quo refertur hermia, bubonocele, & oscheocele sub quo epiplocele, enterocele, hydrocele, sarcocele, pneumatocele & kirsocele.

Sym-

Symptomata Morborum, quorum alia sunt actionum, naturalium, alia animalium: naturalium concernit semen vel menstrua: Semen vt asporia, gonorrhæa quarum alia fit interdiu inter vigilandum, alia noctu inter dormiendum: Menstrua, vt menstruorum fluxus nimius, & suppressio, vel profluuium album. Animalium quorum alia sunt vitia appetitus, vitia procreationis, & motus localis: appetitus venerei vt debilitas, prauitas, priuatio: Procreationis quorum alia spectant coitum, cuius vitia sunt, debilitas, prauitas, priuatio seu impotentia: alia conceptionem, vt difficultas concipiendi, & sterilitas: Alia formationem vt mola, monstrum: Alia partum, vt abortus, difficultas partus, secundinæ in vtero retentio: Motus localis: vt viriium, priapismus, satyriasis: Muliebrium, vt matricis suffocatio, procidentia, declinatio ad latus. Horum definitiones ac signa in medicorum libris perspicue satis illustrantur ac declarantur, sequuntur organa medij ventris.

Symptomata morborum.
Naturalium asporia.
Gonorrhæa.
Fluxus menstrui.
Suppressio.
Profluuium album.
Difficultas concipiendi.
Suffocatio matricis procidentia.

CAPVT XIII.

De vitijs cordis.

MEdij ventris organa sunt septem 1. Diaphragma seu septum transuersum, quod est veluti paries, vitalia membra ab organis nutritionis distinguens: Estque plane musculus motu suo voluntario respirationis inseruiens, item & eiectioni excrementorum. 2. Πλευρὴ tunica succingens intus costas, quo loco morbus oritur πλευρίτης exquisita & vera, cum affluentibus humoribus calidis & acribus membrana illa inflammetur. 3. Mediastinus, qui gemini panniculi sunt diuidentes thoracem secundum longitudinem, sicut διάφραγμα secundum latitudinem. Inter hos geminos panniculos tanquam duos parietes sunt capsula cordis & cor ipsum. 4. Cor, quod est vitæ dominus, primum videlicet viuens & vltimum moriens, vt docet Aristoteles: Est autem figuræ pyramidalis instar nucis pineæ, cuius basis medium fere thoracis occupat, mucro sensim ad sinistrum latus inclinat ad leuam papillam, deinde membrana crassa neruea que claditur, quæ Pericardium dicitur: Substantia eius dura, densa, solidaque

7. Organa medij, ventris.
1. Diaphragma.
2. Πλευρὴ Vnde pleuritis.
3. Mediastinus.
4. Cor primum viuẽs & vltimũ moriens.
Substantia Cordis.

Cordis ventriculi. est triplici genere fibrarum intertexta; Rectis obliquis & transuersis. Porro hæc præcipue sunt consideranda. 1. Thalami seu ventriculi, quorum duo sunt dexter & sinister: Dexter dicitur *2. Dexter & sinister.* καρδία πνευματική, quia est officina spirituum vitalium, qui ibi à sanguine elaborantur. 2. Vasa sunt consideranda, quæ in ventriculos cordis *Vasa ventriculorum cordis.* vel inseruntur, vel ijsdem nascuntur. In dextrum ventriculum primum vel inseritur, vel ex eo excrescit vena caua. (Huic tria ostiola *Vena caua.* siue tres membranæ introrsum ductæ perficiuntur) quæ sanguinem *Vena arterialis.* intrò ad cor aduehit: Alterum vas est vena arterialis (quæ tres habet membranas extrorsum spectantes) Hæc attenuatum sanguinem ad Pulmones alendos transuehit. Vena vocatur quia sanguinem vehit arterialis, quia habet tunicas crassiores & arterijs similes, ne *Vena aorta.* sanguis subtilior transudando exhalet. Ex sinistro ventriculo primum oritur Aorta truncus Arteriarum omnium, quæ spiritus vitalis sunt vehicula. Alterum vas est Arteria venosa, quæ aerem à Pulmonibus ad cor transmittit, & halitus fuliginosos hinc vicissim *Arteria dicitur quia vehit spiritum & aerem.* educit. Dicitur Arteria, (cum duabus membranis introrsum vergentibus) quia vehit spiritum vel aerem: Venosa qui habet corpus venæ, vt propter mollitiem ad motum magis sit idonea. Horum 4. vasorum orificijs vndecim membranulæ quasi valuulæ perficiuntur, dictæ tricuspidales, quæ regurgitationem sanguinis vel *Venosa dicitur quia habet corpus venæ.* aeris & spiritus aduecti aut emissi prohibeant. 3. Postea Auriculæ cordis ob similitudinem sic dicuntur, quia basi cordis instar aurium annascuntur & promptuaria sunt aduecti sanguinis atque aeris, ne confertim illa in cor irruant. 4. Denique motus natu- *Membranæ tricuspidales.* rales cordis sunt duo: Pulsus & affectus: Pulsus est motus cor- *Motus naturales cordis, pulsus & affectus.* dis naturalis, quo cor aërem frigidum attrahit, & fuligines expellit, ne calor natiuus suffocetur. Fit etiam in pulsu συστολὴ καὶ διαστολή, ex quibus συστολὴ est contractio cordis & thalamorum in hoc compressio, eorumque quæ in his continentur expressio. διαστολὴ est dilatatio horum ex influentis sanguinis atque aeris re- *συστολή.* ceptio, inter quæ duo ῥυθμὸν id est pulsum considerant medici, *Διαστολή.* quem morbi tum affectus etiam manifeste mutant. Affectus verò *Affectus.* sunt motus cordis non naturales, qui sine contractu fiunt, sequentes tamen cognitionem, vt amor, lætitia, odium, ira &c. Vitia cordis *Vitia cordis* vel morbi eius præcipue sunt. 1. Palpitatio cordis seu tremor, du- *1. Palpitatio*

pli-

pliciter autem dicitur palpitatio legitima & illegitima: Legitima est motus cordis inordinatus ex dilatatione & subsidentia compositus, ortus à vapore crasso flatulento, copioso influxu cor dilatante, deinde irritante, vt contractione sua vicissim depellat ac discutiat. Illegitima est motus cordis inordinatus palpitationi similis à pulsu, magnitudine tantum differens, & proprie motus pulsatorius depraua-tus ortus à facultate cor dilatante & constringente incitata ex vsu immodice aucto. Causa incitans facultatem triplex esse poterit. 1. Defectus spirituum, quem cor inæquali & frequenti pulsatione resarcire conatur. 2. Calor vehemens inæqualiter auctus in corde, vt in febribus acutis & malignis, vnde motus cerebri, veloces, qui καρδιωγμὸς à Galeno dicitur. 3. Ab aliena substantia cor extimulante, vt violenta dilatatione & contractione eam trudat & depellat. Substantia autem aliena stimulat vel qualitate, vel copia vel vtroque, & quo magis stimulat, eò violentius mouetur. Substantia autem illa primum est prauus vapor, aut sanguis maligna qualitate affectus, potissimum atra bilis: Deinde sanguis magna vi cum spiritu in cor irruens ex vehementi timore: Tertio aer pestilens, venena assumpta, aut venenati humores; item vermes cor mordentes. Præterea tuberculum in arterijs pulmonis prope cor exortum, quod Antipatro medico contigisse tradit Galenus 4. de locis; Vnde post pulsum inæqualem in palpitationem & asthma incidit, ex quo subito interijt. Insuper tuberculum pericardij aut pustulæ quæ hydatides vocantur, lapilli ac magna serosi humoris aut flatus copia collectus in pericardio &c. Sic in palpitatione si vires sint debiles, & spiritus confertim euacuentur, in syncopen transire solet.

Legitima & illegitima.
Illegitima palpitatio.
Causæ fultatem incitantes triplices.
Substantia stimulat qualitate vel copia.
Tuberculū in arterijs pulmonis.
Tuberculū hydatides.

2. Affectio cordis est syncope, secundus gradus pulsationis cordis imminutæ, fit autem à causa longe validiore, pulsum habet longe minorem tardiorem ac rariorem. Primus gradus est deliquium animi, λειποθυμία & λειποψυχία, in qua actio cordis pulsans subito & confestim imminuitur, vt pulsatio euadat parua, tarda & rara non tamen in extremo gradu; Verum prior adhuc alius esse videtur gradus ἔκκλυσις leue animi deliquium. 3. Gradus est ἀσφυξία pulsus ablatus, qui à causa adhuc vehementiore oritur, & morti proximus est ac summus syncopes gradus.

Syncope.
Causa.
Deliquium animi.

Dum-

Humore vel vapore καθ' ἕξιν & καθ' ἕξιν ac venenata.

Duncanus in arte medica lib. 3. cap. 10. Laborare cor etiam potest intemperie omnis generis simplici, composita, sine vel cum materia, humore scilicet aut vapore καθ' ἕξιν aut καθ' ἕξιν, ac etiam venenata. Intemperies autem in solidis cordis partibus firmata est καθ' ἕξιν: in humoribus aut spiritibus est tantum καθ' ἕξιν intemperies calida,

Calor natiuus vel in spiritibus vel humoribus accenditur.

febris dicitur, quæ calorem natiuum in corde accendit, & per arterias in totum corpus distribuit. Accenditur aut calor natiuus cordis vel in spiritibus vnde febris diaria, vel humoribus putrescentibus, vnde febris putrida, vel in solida cordis substantia, vnde hectica. Contraria ratio est in intemperie frigida, quæ caloris natiui qualitatem debilitat, pulsus reddit tardos, raros atque exiles, deinde si augetur, ipsum calorem natiuum in substantia cordis extinguit. Humida cordis intemperies cum materia semper fere est, vt in anasarca caloris natiui vim obtundit, & cum materia augetur, veluti ignis à multis viridibus lignis suffocatur. Sicca intemperies per se caloris natiui vim acuit, etsi intendatur solidani cordis substantiam inuadit, humidumque eius primogenium consumit, vnde Marasmus: Nam Marasmus proprie est consumptio viuentis corporis à siccitate. Est autem Marasmus duplex: Simplex qui cum intemperie calida quæ hectica marasmodes dicitur: vel cum frigida, oriturque in viris aut iuuenibus marasmus naturali senectute similis quem Philippus Medicus teste Galeno senectutem ex morbo vocauit: Additur etiam Marasmus Syncopticus, qui ægros ad syncopen deducit, ortus ex siccitate cum magna ínæqualitate caloris & frigoris.

Marasmus duplex.

Hectica Marasmodes.

Marasmus syncopticus.

Intemperies cordis ex affectu primario, vel secundario, vel per consensum est.

Oriuntur autem intemperies cordis ex affectu primario vel secundario, & per consensum alterius partis, quæ vel suam calidã intemperiem per continuam alterationem cordi communicant, vnde febres symptomaticæ apud Hypochondriacos & Hystericos. Aliquando intemperies venenosa est, orta à qualitate rei venenatæ tota substantia cordi & calori innato inimica. Poterit etiam cordi accidere solutio continui, nimirum per vlcera aut vulnera. Morbi etiam instrumentales videntur cordi posse accidere, vt 1. in magnitudine, vel aucta, vt tumores in substantia cordis vel pericardij, vel vasorum, vel in diminuta, vt ex Marasmo accidit, deinde vasorum angustia & dilatatio: Angustia autem vel est obstructio à crassis humorib⁹ aut vaporibus, vel compressio aut constipatio à tumoribus ipsum cor aut vasa

In magnitudine aucta vel diminuta.

eius

eius occupantibus, vel subsidentia ex nimia inanitione vasorum; addunt nonnulli vermes, qui in ventriculis in peste interdum gignuntur, item capillos, flatus, succos collectos in pericardia. Læduntur etiam functiones cordis sæpe ab externo errore, vitio obiecti, aut eorum, quæ ad obiectum pertinent, nimirum quis sufficiens aut competens materia pro generatione spirituum cordi nõ suppeditatur; aut spiritus geniti euacuantur & dissipantur, aut obruuntur & suffocantur, hæc de corde eiusque affectibus, sequitur organum.

Functiones cordis læsa ab externo errore.

CAPVT XIV.

De affectibus pulmonum.

QVintum organum est pulmo πνεύμων spirandi officina, quæ in perpetuo motu est, aerem subinde reciprocando ducens & reddens. Mouetur autem pulmo ratione vacui, vt agitatio fit mollior: Nam quando διάφραγμα motu voluntario à circumferentia ad centrum contrahitur, atque ita in superiorem partem thoracis dilatatur, tunc simul ne vacuum fiat, pulmo distenditur & aerem attrahit motu concitatus alieno. Dilatatus postea thorax sua grauitate in naturalem situm concidens contrahitur & pulmonem etiam comprimit, vt fuligines expellat. Affectiones pulmonum sunt 1. Tussis qui triplex aut ratione humoris tenuis vel humoris crassi sit denique humoris mediæ consistentiæ. 2. Asthma, quæ vel sit à crassorum viscosorum & tenaciorum humorum in bronchijs pulmonis infarctorum, copia grandinis aut calculi speciem (uti Duncanus ait lib. 3. cap. 9.) referentia, aut à tumore aliquo vel tuberculo in substantia pulmonis.

Tussis triplex.

Asthma.

3. Dyspnæa est quando actio respirandi deprauate editur, vel si Anhelitus moderatam respirationem paulo excedat, vnde & Anhelatio Galeno & Celso δύσπνοια: Ex hac si valde frequens, appellatur ἄσθμα, quæ si ad summam frequentiam accedat ὀρθόπνοια. 4. Orthopnæa quæ est difficultas respirationis, vt nisi erecta ceruice respirent suffocari videantur. 5. Apnæa, quæ dupliciter accidit. 1. Quando vsus pene non penitus, sed quo ad sensum tollitur, siue natiuus calor cordis ita refrigeratur, vt ab omnimoda extinctione non distinguantur, vt mulieribus accidit, quæ grauissima vteri suffocatione

Dispnæa.

Anhelatio.

δύσπνοια.

Ὀρθόπνοια.

Apnæa duplex.

tentantur, & ex graui syncope. 2. Vbi facultas tollitur, vt in grauissima apoplexia. 6. Pleuritis notha, quæ fit tripliciter vel ex catharro à capite defluente ad musculos exteriores vel interiores pectoris. 2. Ab inflammatione ex humore calido influente à vicinis veris ob repletionem, ictu, casu &c. 3. Ex vapore flatulento, membranas, musculosque pectoris distendente: Hæc plerunque pleuritis notha sine febre constat teste Aetio. 7. Peripneumonia: quæ duplex exquisita & notha: Exquisita est inflammatio pulmonis ex sanguine immedicam spirandi difficultatem, sensumque grauitatis sine dolore febrem continuam, tussimque vehementissimam excitans, cum sputo spumoso cruento. Notha ex tenui acrique catharro à capite per asperam arteriam ad pulmones, magnam respirationis difficultatem, cum febre lenta, tussi vehementi, sine sputo cruento inducit. 8. Expuitio cruenta, aut reiectio sanguinis. Hic intelligendum est sanguinem. 1. Ab oris partibus simplici expuitione reijci, à faucibus vt screatu. 2. Ex gula, ventriculo viciniisque partibus, vt vomitu. 3. Ex gutture, frequenti tussicula cum dolore laringis. 4. à pectore & pulmonibus vehementi tussi: Verum vbi pectus afficitur dolor aliquis in parte peccatoris percipitur, & sanguis crassus nigricansque est: Vbi pulmo multus floridus, calidus, spumosus confertim exit sine vllo dolore. Causa sputi sanguinis cum tussi raro est ἀμπώδησις, transcolatio sanguinis per tunicas vasorum: Plerumque ἀναστόμωσις, orificiorum vasorum apertio, aut διαίρεσις, solutio vnitatis vasorum. 9. Empiema exquisitum est, collectio puris in capacitate thoracis, difficultatem respirationis cum tussi sputæque purulento inducens: orta ex abscessu vel vomica disrupta & vlcere sordido. Fit autem empyema. 1. Ex peripneumonia. 2. Ex vomica duplici modo vt in asthmate, quod oritur à crudo tuberculo in pulmone arterijs cordis adhærescente pulsumque inæqualem & interciſum, palpitationem cordis & similia inducente, hoc tuberculū vbi concoquitur, in vomicam transmutatur: phthisicis, vbi non rarò ex vena aperta, rupta aut erosa portio sanguinis in particulam pulmonis secedens, in pus conuertitur, & in summa succescens cystim efformat. 3. Pleuritide. 4. Angina. 5. Vlcere pulmonis vel thoracis vel asperæ arteriæ ex apertione, ruptione, aut erosione vasis. 6. Catharro à capite, quod spurium nuncupatur. 10. Phthisis cuius nomen interdum late sumi-

Pleuritis notha triplex.

Peripneumonia duplex.

Exquisita & notha.

Expuitio cruenta.

Ἀμπώδησις. (σις. ἀναστόμωσις. διαίρεσις.

Empyema exquisitū.

1. Ex peripneumonia.

2. Ex vomica.

3. Pleuritide.

4. Angina.

5. Vlcere pulmonis.

6. catharro.

Phthisis.

sumitur pro omni consumptione sine aut cum febre, proprie pro consumptione totius corporis cum febri lenta, respirationis difficultate, tussi, sputo purulenta orta ex vlcere pulmonis potissimum. Vlcus pulmonis oritur affecto pulmone primario vel secundario: Primario ex abscessu aut vomica pulmonis rupta; aut post sanguinis sputum vase aperto rupto aut eroso: Secundario ex affluxu materiæ Pulmonem progressu temporis erodente, vel à capite ex catharro tenui acrique, vel ex pleuritide aut angina, aut vlcere gutturis, effuso pure in capacitatem thoracis vt in empyemate dictum: inde exulcerato pulmone cor sensim exsiccatur, & primum zorida eius substantia, deinde fibrosa, tandem membranosa consumitur: ac cum corde totum corpus simili modo necessario contabescit.

Vlcus pulmonis.

Dupliciter oritur.

Exulcerato pulmone exsiccatio cordis consequitur.

CAPVT XV.

De vitijs linguæ.

SExtum organum medij ventris, aspera arteria est: quæ instrumentum est formandæ vocis, cuius orificium dicitur larinx, cauitas videlicet faucium. Porro λάρυγξ tribus cartilaginibus constat, quarum prima & anterior, dicitur θυρεοειδὴς id est scuto seu peltæ similis. Altera & posterior est ἀνάνυμος annulo signatorio similis: Tertia media ἀρυταινοειδὴς dicitur. In medio huius tertiæ cartilaginis profunda tima est, quæ nominatur γλωττὶς id est lingula, quia proprijssimum vocis organum est. Supra hanc verò rimam operculum est laryngis quod nominatur ἐπιγλωττὶς factum vt arceat cibum ac potum, ne quid in trachæam illabatur. Cæterum quod Plato Canalem esse potus scribit trachæam id Galenus sic explicat, potum accipi à Pulmonibus non totum, sed tantum aliquid Roscidum de potu transudare per arteriam quo riganturPulmones. Septimum organũ medij ventris est lingua, quæ articulatæ vocis seu sermonis formatrix est, & voluntatis ac mentis nuncia. Nam in larynge vox non sermo formatur. Ac differunt hæc 3. ψόφος id est sonus vel strepitus, qui qualibet corporis parte edi possit. φωνὴ, vox, quæ formatur in larynge: Et λαλέκτος, sermo, cuius formatrix est lingua: Sub hoc organo

Aspera arteria.

Λάρυγξ.

Constat cartilaginibus.

Γλωττὶς.

Ἐπιγλωττὶς.

Lingua.

Ψόφος.

Φωνὴ.

Λαλέκτος.

de vitijs loquelæ,& læsione vocis agemus. Si vox desciscat ab optimis conditionibus lædi dicitur ; quod fieri potest tribus modis, vel enim aufertur,vel imminuitur,vel deprauatur. Abolita vox ἀφωνία nuncupatur, qua qui laborant muti dicuntur. Imminutæ voces sunt parua seu exilis, & obscura seu tenuis & submissa: Deprauatæ voces sunt vox clangosa,aspera,rauca,tremula & abrupta. Sic sermo & loquela etiam sua habet symptomata. Nam nonnulli potentia destituuntur, qui appellantur muti : Nonnulli cum difficultate literas quasdam imprimis R,L,K,pronuntiant : Alij in loquendo nunc subsistunt, nunc sermonem præcipitant , & balbutiendo primam syllabam repetunt,quæ mala τραυλότης & ψελλότης nominantur, Galenus τραυλὸς,latini balbos vocant. Causæ læsionis est vitium vel vocis, vel facultatis linguam mouentis, vel ipsius linguæ, vel alicuius partium ministrantium,vt palati,dentium,narium vel labiorum. Proprie obmutescentia oritur ex ἀφονία aut ex ijs causis , à quibus vox aufertur. 2. Quia vsus loquelæ perit & ignoratur, vt in surdis à natiuitate. 3. Læsa facultate animali,vel quia viæ spirituum intercipiuntur, vt in apoplexia, aut dissoluuntur, vt in ijs, qui vicini sunt morti ; vel non transmittuntur per neruos septimi paris, qui per musculos linguæ disseminantur; Vnde ipsi musculi paralysin patiuntur : Fit quoque obmutescentia ex conuulsione linguæ, propter contractionem neruorum septimi paris. 4. Proprio linguæ affectu nimirum ipsius linguæ defectu , aut amputatione, vel magnitudine supra modum aucta,siue ea sit ab ortu,siue post ex affluxu humoris : Deinde quia à vinculo ita contrahitur & ligatur,vt moueri nequeat , aut fauces vicinæq; partes vehementer intumescunt &c.

ἀφωνία.

Muti.

Obmutescentia ex 4.oritur causis.

Obmutescentia ex conuulsione linguæ.

Ab ijsdem causis verum leuioribus oritur locutio imminuta seu loquela debilis. 1. Sciendum enim voces imminute aut deprauato modo dearticulari , quia vox ipsissima est aut debilis aut deprauata. 2. Spiritus arimalis , iusta quantitate non influit per neruos, vnde motus linguæ torpidus aut tremulus redditur ; aut spiritus multi absumpti sunt,viresque debiles ex graui morbo , aut alio conuertuntur & ira, timore &c. Aut pars linguæ dimidia eiusque musculi nonnulli resoluti sunt. 3. Lingua proprio laborat affectu, nimirum humiditate nimia siue ab ortu, vt in pueris , siue ascititia ex ebrietate aut catharro, postea à linguæ nimia siccitate aut scabritie , item crassi-

Causæ loquelæ imminutæ & debilis.

Vox tremula.

3.Linguæ proprio affectu.

crassitie & propter musculorum malam compositionem breuitate. Præterea quando lingua à vicinis partibus ita est contracta, vt libere nequeat moueri, hoc euenit vel ab ortu propter ligamentorum sub lingua breuitatem & duritiem, vel post à dura cicatrice relicta ex vlcere sub lingua: taliter laborantes ἀγκυλογλώσσοι nuncupatur. Tandem etiam loquela vitiatur à palato eroso & perforato, quod Gallicanis accidit, qui obscure & quasi per nares loqui putantur, deinde quia nares coryza, polypo aut crustis obturatæ sunt; vel etiam dentes anteriores deciderunt; aut labia ab ortu, vel vulnere vel vlcere deformata sunt. His additur tumor mollis, laxus, βάτραχος dictus sub lingua, è quo aperto exit mucus oui albo persimilis. ἀγκυλογλώσσοι. βάτραχος.

Vox autem formatur ex aeris percussione, quem cum flatu expiramus, motu musculorum laryngis. Hinc 1. Læditur vox, quando non sufficienter spiritus cum efflatu ad laringem alliditur, videlicet thorace perforato, aut musculis resolutis thoracem mouentibus &c. 2. Læsa facultate mouente musculos laringis, cerebri vitio, aut neruorum vocalium, præcipue recurrentium. 3. Affecta laringes cuius morbi præcipui intemperies & angustia. Intemperies illa est membranæ succingentis guttur & fauces, eam aut nimium humectans, aut exiccans & exasperans. Humectantur autem & permadescunt guttur & fauces, à graui catharro, maxime ex humore pituitoso, vnde primum raucedo oritur: Deinde affectus si augeatur, vox obscura redditur aut tollitur. Exiccatio verò & asperatio gutturis ex febri ardente, puluere, fumo, acribus vaporibus, defluxu humoris bilioſi, vocem asperam, clangosam acutamue reddunt. Angustia Gutturis interdum est constipatio à tumore, intra tunicam laringis asperæque arteriæ, nonnunquam obstructio ex columella elongata, plerunque compressio à tumore aut inflammatione, vel ipsius laringis, vel vicinarum partium ministrantium vt faucium: Vel ob luxationem vertebrarum versus intentiora, atque hæ affectiones sub angina continentur. *Formatio vocis.* *Vocis læsio.* *Vox pauca.* *Vox aspera.* *Vox clangosa.*

CAPVT XVI.

De affectionibus cerebri.

Ἰητρὸς φιλόσοφος, ἰσόθεος. Hipp. lib. de flatibus sect. 1.

SVpremi ventris organa præcipua sunt. 1. Cerebrum, quod est domicilium sapientiæ, instrumentumque principum facultatum & officina mirandarum actionum, quibus homo ad imaginem Dei accedit. Est autem sensorium primum siue sedes communis, à quo dependent 5. sensus exteriores, & motus voluntarius. Hinc à cerebro immediate perficiuntur tres illæ functiones, quæ à medicis principes vocantur, nimirum imaginatio, cogitatio & memoria.

à primo sensorio 5. sensus exteriores & motus volũtarius.

Functiones à cerebro tres.

Hæ functiones puræ similares non existunt, à sola temperie inchoantur & absoluuntur, sed mixtæ: Quantumuis enim ab idonea temperatura cerebri primò originem trahant, absque instrumentalis apparatus ope perfecte non exercetur. Temperatura autem illa, substantiæ primum cerebri est, vnde actio; 2. Animalium spirituum, sine quibus non; 3. Partium ministrantium, vt membranarum &c. Instrumentalis verò apparatus, omnium partium est apta compositio in magnitudine, numero, conformatione, consensu & situ. Horum vnicum si lædatur pro læsionis modo, cerebri vitiatur functio. Sic læduntur functiones cerebri, vel vitiata temperie, aut labefactatis ijs, quæ ad organi intemperiem spectant. Intemperies authore Galen. 3. de locis sunt simplices vel compositæ, sine vel cum materia, humore, vapore, flatu, item intemperies mixtæ ex contrarijs &c.

Actio spiritus animalis.

Partes ministrantes.

Intemperies cerebri differt secundum magis & minus.

Intemperies autem cerebri differunt non modo secundum magis aut minus, vnde magna symptomatum existit varietas, sed etiam totum cerebrum omnesque partes cerebri, impari modo afficiuntur: His ventriculi cerebri (duo anteriores, 3. In medio. 4. In postremo) vel tantum, vel omnes, vel aliqui interdum etiam vniuersa vasa afficiuntur. Præterea laborat & cerebrum vel per se, propria affectione, siue ea sit primogenia, siue secundaria: Vel ex con-

consensu partis alterius, item ex vaporibus, vel humoribus ad cerebrum ascendentibus. Sic cerebrum, pars instrumentaria, laborare potest tumore, angustia, obstructione, compressione & subsidentia ventriculorum & cauitatum, patitur etiam nonnunquam solutionem continui, vt vulnere, vlcere, contusione & concussione, &c. Hi morbi sunt causæ præcipuæ symptomatum facultatis principis, sensusque primi & sub nominibus symptomatum plerunque describuntur, ad reliquos cerebri affectus pergemus, primordiumque initij trahemus à delirio siue desipientia

Affectus cerebri.

Causæ symptomatum.

Delirium seu παραφροσύνη commune vocabulum, omnem ratiocinationis & imaginationis deprauationem complectitur; vnde omnes qui praue ratiocinantur & imaginantur in genere delirare dicuntur. Est autem duplex vel cum febre, vel sine febre authore Gal. 1. Prorhet. com. 1. Alia nuda seu simplex, alia continua. Quod cum febre est, φρενίτις est; sine febre aliud est mediocre non dissimile delirio; aliud est melancholia: aliud mania Phrenitis est delirium perpetuum vel continuum, imaginationis scilicet & ratiocinationis priuatio cum febri acutum, orta ex calida intemperie cerebri, coniuncta cum inflammatione membranarum, cerebrum contegentium.

Delirium παραφροσύνη.

Duplex delirium: cum febre, sine febre.

Phrenitis.

Ortus eius.

Imaginatio per se, ratiocinatio per accidens deprauatur.

Hic notandum quod imaginatio in phrenitide per se, ratiocinatio vero per accidens deprauatur. Item inflammatio cerebri ac meningum, vel erysipelas exquisitum est vel erysipelas phlegmonodes, vel phlegmone erysipelatodes: Intemperies verò cerebri est inæqualis & æqualis: Inæqualis occupat partem tantum cerebri, aut in vna parte intensior, in altera verò remissior est. Æqualis totum occupat cerebrum. Ex hac oritur phrenitis hectica, blanda & tremula, omnium pessima, omnesque functiones in ea deprauantur: Hinc etiam phrenitis tumultuosa in qua omnes functiones non læduntur.

Intēperies cerebri Inæqualis & æqualis.

Phrenitis hectica & tumultuosa.

Paraphrenitis est delirium moderatum sine ferocitate quod sæpe febres ardentes & inflammationes partium inferiorum comitatur, & ex humoribus & vaporibus calidis in caput elatis originem habet, dicitur phrenitis notha. Interdum etiam sine febre excitatur ob vigilias, nimiam vini potionem & similes causas; distinguitur à vera phrenitide ex inæquali respiratione, præcordiorum calore & contractione.

Paraphrenitis delirium moderatum.

Me-

Melancholia. Melancholia est delirium, ratiocinationis & imaginationis deprauatio, sine febre cum timore & tristitia, absque manifesta causa, ab intemperie frigida, sicca ex humore, vel vapore melancholico, cerebrum occupante, & spirituum in cerebro substantia alterante.

3. Species melancholiæ. Melancholiæ 3. sunt species: 1. Primaria siue per essentiam hæc continua est, cum cogitationibus intentis, fit ab humore melancholico cerebrum duntaxat obsidente. 2. Ex consensu totius, quæ fit ab humore vel melancholico, redundante in toto corpore & abitu omnium venarum. 3. Melancholia hypochondriaca, quæ fit proprie à vapore melancholico ex hypochondrijs, siue quibuscunque partibus imi ventris in cerebrum sublato. D. Sennertus dicit, tot deliriorum atque melancholicorum esse imaginationes atque occurrere exempla, vt numero facile compræhendi non possint: His addunt nonnulli amorem insanum &c. Melancholiæ mania est cognata, vnde mania pro melancholia & melanch. pro mania à Galen. & Hipp. non rarò sumatur: eius examinatio generalis sic existit.

1. Per essentiam.

2. Per consensum.

3. Melancholia hypochondriaca.

Amor insanus.

Mania. Mania seu furor est delirium cum deprauata principum facultatum sine febri continua cum excandescentia, à feruida cerebri intemperie, cum humore calido sine tumore: Cum furore, audacia, irarum iurgijs &c. Ad maniam referuntur λυκανθρωπία seu lupina insania, quo qui laborant, lupinam fere naturam moresque induunt à melancholia adusta de qua vide D. Sennertum. Cynanthropia quæ fit à bile præaslata. Hydrophobia, ex morsu canis rabidi aut lupi vel alijs. His addunt nonnulli choream S. viti &c. Hinc pro causarum varietate magna etiam existit varietas deliriorum, deliranteque plurium animalium actiones imitantur, pro vt causa delirij ab hoc vel illo animali deducta est. Exhausto sanguine felis, quædam puella naturam felis induit D. vide Sennertum. Vertigo, est deprauata seu falsa conuersionis imaginatio, affecta cernendi facultate, aliquando oculis caligine offusis, vna cum læsione motus voluntarij, ex inordinato motu spiritus animalis, insignitis speciebus visibilibus, à flatulento vapore permixto spiritibus, coarctante ventriculos cerebri. Hoc symptoma Græci pluribus appellarunt nominibus, vt δῖνος, ἴλιγγος, σκοτοδίνιος, σκότωμα, σκοτωματικὸν πάθος. Sunt autem vertiginis aliquæ species. 1. Quæ ex proprio affectu cerebri. 2. Quæ per consensum. 3. Leuis δῖνος. 4. Grauis, quæ σκότωμα, & σκοτόδινος dicitur.

Accidentia maniæ.

Λυκανθρωπία.

Cynanthropia.

Chorea S. viti.

Mania etiã à venenis.

Vertigo.

Varia vertiginis nomina.

Vertiginis species 4.

Inc"-

Incubus est insomnium prauum siue phantasma rei grauis & suffocantis, id est vocem & respirationem intercipientis, à vapore crasso sursum ascendente, ventriculosque cerebri adimplente, & liberam spirituum ad neruos penetrationem impediente. Græcis ἐφιάλτης ab ἐφάλλεσθαι id est insiliendo; quidam & ὄπιθολὴν nominant, id est aggressionem vel inuasionem, vt qui malo hoc corripiuntur, se ab aliquo incumbente præmi somniant. Nominant etiam πνιγαλίωνα & πνιγάμοια, item πνιγμὸν ἐνύπνιον, quod hoc malo laborantes in somno suffocari videntur. Veteres in dæmones hoc malum retulerunt, & etiam vulgo in sagas hoc symptoma refertur. Nonnullis præludium putatur Epilepsiæ aut Apoplexiæ: Hæc de deprauatis functionibus facultatum principum, hinc sequuntur diminutæ & abolitæ, vt sunt ἄνοια & μώρωσις. *Incubus.* *Præludium epilepsiæ aut Apoplexiæ.*

Ἄνοια, Latinis amentia extrema fatuitas est, definitur defectus rationis, quem plerumque comitatur defectus imaginationis & memoriæ, aduenies sine læsione sensus & motus ex defectu caloris natiui residentis in substantia cerebri: causa eius proxima defectus natiui caloris residentis in substantia cerebri, qui vel est primitiuus vel positiuus: 2. Vel est defectus ab vtero, vel post ortum ab Apoplexia, peste, graui Epilepsia &c. *ἄνοια amẽtia.* *Causa proxima.*

Ab iisdem causis sed leuioribus oritur μωρία, diminuta functio rationis, orta à debilitate laboris natiui in cerebro, ex intemperie frigida potissimum. Memoria abolita & debilis communi nomine obliuio dicitur, proprie vero & absolute memoria deperdita, vbi nil omnino præteritorum recordantur, obliuio: Debilis vero aut diminuta memoria, vbi difficulter aut ex non longo tempore reminiscuntur, stupor tantum memoriæ, & minus absolute obliuio: Obliuio abolita aut deperdita memoriæ functio oritur à debilitate aliqua caloris natiui in cerebro ex defectu spirituum & substantiæ eiusdem, vel ex intemperie frigida, coniuncta plerunque cum siccitate aut humiditate & materia pituitosa vel melancholica: Non tamen tanta debilitate, vt cum memoria, imaginatio & recordatio lædatur. Ab eadem causa sed leuiore oritur debilis memoria. Causæ natiuum calorem debilitantes, sunt defectus spirituum, & substantiæ caloris in cerebro ab vtero, vel graui morbo cerebri, vt Apoplexia, peste, vehementi ictu, senio &c. Vel à frigida intemperie vel sola, vel cum Humiditate, *μωρία.* *Memoria abolita siue obliuio.* *Obliuio abdita aut deperdita.* *Debilis memoria.* *Causa natiuũ calorem debilitãtes.*

ditate, aut siccitate: cum materia pituitosa, vel melancholica &c. Sequuntur affectiones soporiferæ.

Sensuũ externorũ symptomata. Hic primo dicendum de vigilijs & somno, quæ sensuum externorum sunt Symptomata. Sunt autem vigiliæ nimirum præter naturam, cum homo dormire non potest per aliquot dies, vel longius tempus, vel etsi dormiat, tamen nimis breui tempore dormit. Vigiliæ opponitur Somnus, qui est vel naturalis vel præter naturalis. Naturalis est vel absolute talis, vel non absolute talis. Absolute naturalis est, qui post consuetas vigilias, moderatum cibum & exercitia noctu quotidie hominem occupat, ad spirituum instaurationem. Non absolute naturalis est, qui fit ob calorem, & spiritus supra modum exhaustos ob insignem aliquem corporis laborem, hic non rarus est ebrijs. Somnus præternaturalis est, qui à causa morbifica ortum habet, quique ad spirituum & virium restaurationem sanitatisque commodum & emolumentum nihil confert. Hunc appellant κῶμα & καταφοράν. Κῶμα tanquam κοίμημα dicitur à κοιμᾶν quod est somno profundiore & prolixo sopitum esse. καταφορὰ vero, quod vehementior & quidem præter naturam insomnum sit propensio & inclinatio.

Somnus naturalis pter naturalis.

Absolute naturalis.

Nõ absolute naturalis.

Somnus præternaturalis.

Definitio. Vera definitio sic est: κῶμα seu καφωδὴς est nimia in somnum propensio, seu actio sensus communis imminuta, qui velut torpet, neque vim suam in externos sensus diffundit, neque ab ijs oblata obiecta cognoscit & diiudicat. Κῶμα constituitur duplex; ὑπνῶδης seu somnolentum & ἄϱγυπνον seu vigil. Somnolento comate ij laborant, qui clausis oculis profunde & nimium dormiunt. Qui autem vigili comate laborant, ij oculos quidem attollere nequeunt, sed tamen vigilant & somnum in quem propensi sunt, capere nequeunt ob varias imagines ipsis obseruantes, somnumque interturbantes. Sub hoc cataphora pigra refertur, cuius meminit Hipp. 3. Epid. à nonnullis dicitur τυφομανία.

κῶμα constituitur duplex.

Coma somnolentum.

Cataphora pigra.

Apoplexia. Apoplexia est repentina priuatio omnium functionum animalium, respiratione solâ illæsâ manente, ab Angustia ventriculorum & Cauitatum cerebri cum debilitate expultricis eiusdem ex crasso humore confertim irruente; eius causæ apud Galenicos authores satis notæ ac perspicuæ tenentur. Epilepsia, ἀπὸ ϛ ἐπιλαμβάνεσθϛ.

epilepsia ἀπὸ ϛ ἐπιλαμβάνεσθϛ.

καύσος dicta est, quod subito mentem sensusque omnes quasi prænendat & intercipiat. Vulgo morbus comitialis, latinis Caducus, item sonticus, Lunaticus, veteres ἱερὸν νόσημα vocarunt. dicitur & Herculeus: Hipp. in libr. de aëre aqu. & loc. appellat. παιδ@ παιδίων, &c. Est autem motus conuulsiuus totius corporis, vna cum sensus & principis Functionis læsione, ortus à pituitoso Melancholico, vel maligno Humore, aut vapore ventriculos cerebri arctante, & expultricem cerebri irritante, vt sua contractione extrudat id, quod noxium est. A Galeno triplex constituitur Epilepsia: 1. Primaria ex cerebri proprio affectu. 2. Ex consensu viscerum imprimis orificij ventriculi, aliquando vteri, lienis &c. 3. Ex consensu partis alicuius in ambitu corporis: vt manus, pedis &c. Ab aura maligna ascendente in cerebrum; vel à venenata qualitate alteratis per continuationem partibus cerebrum, non tam obstruente, quam irritante, vt sese contrahat, &, quod noxium est, excutiat: huc refertur morsus venenatus, vbi neruea substantiam venenam aggreditur. Vide de hac plurima in Thesibus nostris Marpurgi habitis & editis.

Morbus Caducus.
Sonticus.
Lunaticus.
Herculeus.
Epilepsia triplex. 1. Ex proprio affectu cerebri.
2. Consensu viscerum. 3. Consensu partis alicuius.

Lethargus ἀπὸ τῆς λήθης ἄργος dictus, quasi somnolenta & pigra rerum omnium obliuio: Latini veternum appellant. Est autem Lethargus inexplebilis somnus cum omnium rerum obliuione seu diminuta functione principum facultatum & febri continua, & lentâ & symptomatica: Hoc Symptomatis genus habet ortum ab humore pituitoso in cerebro putrescente: Deprænditur verò duplex: vnus legitimus, somnus nimirum inexplebilis, à pituitoso vapore vel humore computrescente in cerebro: alius illegitimus, qui à Galeno 3. Meth: passio dicitur, secundum speciem phrenitidi contraria; vtriusque enim causa est humor putrescens in cerebro, sed materia & loco differunt: de hoc apud Authores. Carus κάρ@, ἀπὸ τῆς κάρης, id est à capite, dictus, vt quasi grauitas sit, & expugnabilis dormiendi necessitas, maior etiam quam in Lethargo. Causa cari est angustia ventriculorum, quæ tribus fit modis: 1. Compressione à capitis ictu, tumore premente, vt colligit ex 42. Aph. s. 2. 2. Subsidentia vẽtriculorũ cerebri à qualitate dolorifica, vt vult Gal. li. 4. c. 2. de locis affectis: vel à magna cerebri frigidi-

Lethargus duplex: Legitimus. Illegitimus.
Carus.
Causa cari.

tate, qualis ijs euenit, qui per loca frigida faciunt iter, aut opium aliaque Narcotica sumpserunt. 3. Obstructione, ex humore frigido obstruente ventriculos cerebri, sed non adhærente parietibus ventriculorum, nec ita debilitante temperiem cerebri, vt in Apoplexia, vel à vapore crasso, à toto corpore, ventriculo, hypochondriis &c. quod accidit in rigore febrium. Huc referri poterit obstructio aut interceptio carotidum.

3. Obstructione.

Interceptio carotidum.

Catalepsis. Catalepsis καταληψις vel κατοχὴ seu κάτοχος: notandum hic est vocem κατοχὴ non eodem modo ab omnibus vsurpari, interdum enim pro comate vigilante, & alijs similibus affectionibus, item ab Hippr. pro Aphonia sc. pro Apoplexia, alijsque affectibus, in quibus subito vocis, sensus vt motus priuatio; frequentius & vulgarius κάτοχος pro καταλήψει accipitur. Dicitur autem κάτοχος à κατέχεσθαι, id est detineri & occupari, & κατάληψις à καταλαμβάνεσθαι id est prehendi, vt qui hoc malo corripiuntur, in eodem statu, quo erant, permanent. Authore Galeno comm. in 3. Aphor. sect. 2. idem proprie est Catalepsis & Catochos, ac vtroque vocabulo eadem affectio denotatur, nimirum latinis detentio, occupatio & congelatio, quod laborantes eo Corporis habitu permaneant, quo correpti primum erant, statuamque referunt.

Ambiguum vocabulum.

κάτοχος. κατοχὴ. κατέχεσθαι. κατάληψις à καταλαμβάνεσθαι.

Definitio. Est autem κατοχὴ seu κατάληψις principium functionum, cum tactus & voluntarij motus abolitione diminutio; vel subita prehensio & occupatio tum mentis, tũ corporis qua qui corripiuntur, sensu præsertim Tactus, motuq; voluntarij destituti, rigidi in eodem, quo prehensi fuerunt, situ & statu corporis manent & immotis oculis; vnde & hoc malum à nonnullis congelatio vti supra, dicitur. Galenus recenset quod aliquando suo discipulo hoc acciderit 2. Prorrhet. t. 56. Duas Historias habet Fernel. de part. morb. & sympt. l. 5. cap. 2. Oritur plerumque ab intemperie frigida sicca, sed proprie ex materia Humore aut vapore cerebri posteriora obstruente & tendente, spiritusque congelante.

Causa.

Paralysis παράλυσις, à παραλύεσθαι id est resolui dicta, quod virtus nerui & Musculi in quem neruus inseritur ita resoluitur vt ad motum προαιρετικὸν exercendum fiat ineptus. Est autem motus voluntarij abolitio seu vt Gal. 3. de loc. aff. cap. vlti. describit, τῆς κινήσεως ἀπόλειψις. Causa immediata est omne quod influxum animalis spiritus, per neruos in musculos prohibet; prohibetur affecto vel cerebro

Paralysis παράλυσις, à παραλύεσθαι.

Motus voluntarij, abolitio.

vel

vel spinali medulla, vnde nerui motorij, vel ipsis neruis, qui in musculos distribuuntur. Imminutio motus voluntarij dicitur Lassitudo: fit enim motus debilis in lassitudine. *Imminutio motus voluntarij.*

Tremor Græcis τρόμος est depravatio motus voluntarij, in qua pars libere moueri non potest, sed aliter mouetur, quam naturaliter debebat moueri, nunc scilicet eleuatur, nunc deprimitur. Hinc perpetua quasi pugna existit, inter naturam & alterum motum membri, qui fit ab eius pondere: natura nimirum non permittit membrum continuo versus inferiora vergere: contra membri pondus & grauitas illud iterum deprimit, facultatemque imbecillem vincit. Causa tremoris est debilitas facultatis neruorum, quæ duplici modo oritur, nimirum virium exsolutione & oppressione. Exoluuntur autem vires immodicis euacuationibus alui, sudoris, sanguinis & similium, intempestiua venere, longo morbo, immodico gaudio, &c. Quæ spiritus confertim euacuant. Huc adduntur, quæ calorem nationum extinguunt, neruosque debilitant, vt frigida intemperies, vapor hydrargyri &c. Oppressio vero oritur plerumque à crassis humoribus leuiter obstruentibus neruos, aliquando à copia humorum in venis, à crapula, frigida potione, &c. Item à timore, verecundia & similibus quibus calor natiuus ad interiora confertim reuocatur. *Tremor τρόμος.* *Causa Tremoris dupliciter oritur.* *Oppressio.*

σπασμὸς conuulsio, Celso distensio neruorum, motus nimirum membrorum deprauatus, quo nerui musculique versus suam originem, præter voluntatem contrahuntur atque ita pars simul, quam in Musculi tendo inseritur, violenter tenditur. Diuiditur autem in conuulsionem legitimam & illegitimam: Legitima fit & oritur ob breuitatem neruosarum partium ex inanitione & repletione: Causæ conuulsionis ex repletione duæ sunt apud Gale. lib. de Tremor. cap. vlt. est autem conuulsio multiplex alia vniuersalis alia particularis: vniuersalis est Apoplexia, particularis vulgo gramphus: hinc alia conuulsio occupat totum corpus, alia partem vnam vel plures. Si totum corpus afficitur, tres conuulsionis species statuuntur 1. Est ἐμπροσθότονος, quando non solum ceruix, sed & reliquum corpus in anteriora corpora conuellitur, vt æger sese erigere nequeat. 2. Est ὀπισθότονος cum Corpus in posteriora reuellitur 3. est πλευρότονος hoc est distensio neruorum, qua ceruix & reliquum corpus rigidum est, vt in neutram partem inclinari possit. Conuulsiones quæ partes priuatas occupant variæ sunt, & in nonnullis peculiaria nomina habent. *σπασμὸς cõuulsio.* *Conuulsio duplex: Legitima & illegitima.* *Legitima cõuulsio ex inanitione & repletione.* *Cõuulsio vniuersalis, particularis* *Conuulsio alia totius alia partis.* *Cõuulsionis species 3.*

Hinc conuulsio musculorum oculi, qui oculos ad latera mouent

τραβισμὸς. *Conuulsio Canina.* *Spasmus Cynicus.* *Risus Sardonicus.* *τετανὸς.* *σπυρίασις.* *Catarrhus.* *4. In fluxu cõsiderãtur.*

τραβισμὸς seu strabismus dicitur. Conuulsio musculorum oris, videlicet contracto lato musculo ab vna parte conuulsio canina appellatur: Si ab vtraque parte risus Sardonicus dicitur: Musculorum mandibularum conuulsio τετανὸς est: Conuulsio musculorum penis σπυρίασις dicitur. In cæteris partibus conuulsiones particularia nomina vix habent. Catharrus proprie est defluxus præter naturam humoris excrementitij, à capite ad subiectas partes, geniti ob læsionem concoctionis cerebri, vitio eiusdem alteratricis vel alimenti. Veluti itaque in omni fluxu, ita & in Catharro 4. Considerantur, 1. Quod defluit, 2. Terminus à quo, 3. Terminus ad quem decumbit, 4. Via per quam: Quod defluit est humor Excrementitius siue excrementum cerebri præter naturæ modum redundans.

Causa redũdantiæ excrementorũ in cerebro.

Causa præcipua redundantiæ excrementorum in capite, est frustratio facultatis conconctricis, vitio vel alteratricis cerebri, vel alimenti: Læditur vis alteratrix, quia in sua substantia debilitatur ex intemperie cerebri, præcipue, frigida Humida, rarius calida aut sicca & tantum cum materia, vel quia impeditur morbo aliquo organico cerebri, aut communi. Vitia alimenti siue Humorum ascendentium in caput sunt nimia copia, & aliena qualitas. Defluit autem Humor coaceruatus in capite sua tenuitate & copia irritata expultrice, plerumque ab externis causis, vt nimio frigore, aut calore, crapula &c. Vnde qualis passio est Diarrhæa ex mala concoctione ventris, talis catharrus ex mala concoctione cerebri.

Humorũ in caput ascendentiũ differentia. *Terminus à quo defluit humor & locus.*

Terminus à quo defluit humor & locus, vbi primo coaceruatur, est aut intra Cranium maxime in ipsis ventriculis cerebri, aut extra potissimum sub cute verticis, quo venarum in caput irrepentium extrema definunt, hunc demonstrat tumor mollis, dolorque externus, qui contactu aut inuersis pilis exacuitur. Via per quam & ad quem Fernelio duplex est, at ipsa destillatio duplex quoque vna interna, altera externa. Pro natura partium ad quas decumbit Humor, varios efficit morbos, vnde etiam dicitur multarum ægritudinum causa Catharrus seu destillatio: si enim materia defluat ad nares, fiunt vlcera, cuiusmodi sunt ozæna, polypus coriza: in fauces si delabatur, Branchus seu Raucedo asperitas & asquinanthia oritur: si ad initium neruorum, paralysin & tremorem concitat: Si

Catharrus mater multorum morborum.

in

in sensuum organa, vel aures cœcitatem, surditatem, Apostema, dolorem fortem: si ad oculos, epiphoram catharralem facit hinc lachrymæ, prurigo, caligo, rubor &c. Si ad maxillas, dolorem dentium: si ad vuulam Tumorem & Apostema: si ad linguam inflammationem & paralysin: Si ad pulmones vel pectus Tussim Asthma, peripneumoniam, sputum sanguinis &c. Si ad ventriculum vel stomachum: vomitum ac fastidium: si ad intestina fluxum ventris & Diarrhæam: Si ad Scapulas, brachia, articulos ac iuncturas, arthritis, omnisque species guttæ insequitur &c. Hac ratione catharrus est mater multorum morborum: sequitur c.17. de affectibus oculorum.

CAPVT XVII.

De Vitiis Oculorum.

SEcundum organum supremi ventris sunt meninges, quæ cerebrum ambiunt, vulgo appellantur matres, Dura & Pia: Quemadmodum videlicet mater infantem, ita hæc Cerebrum leniter amplectuntur & fouent. Pia mater est interior membrana tenuis proxime cerebrum vndequaque involuens, & plicaturis omnibus adhærens, eique se insinuans. Dura mater est exterior & crassa membrana caluariam intus proxime succingens. *2. Organum ventriculi supremi.* *Pia mater.* *Dura mater.*

Tertium Organum supremi ventris sunt oculi in quorum structura & tunicæ & Humores sunt obseruandi: Tunicæ oculi numerantur sex 1. ἐπιφεφυκὼς id est nata seu coniuncta. 2. κεραταειδὴς id est Cornea, item alba. 3. ῥαγοειδὴς, vuea. 4. σκληροειδὴς, id est Ciliaris palpebra 5. ἀραχνοειδὴς id est aranearum telis similis. 6. ἀμφιβληστροειδὴς id est reticularis. Humores sunt tres, Aqueus, vitreus & Crystallinus, in quo immediate fit visio, beneficio spiritus visiui seu animalis. *3. Organum Tunicæ oculi sex.* *Humores tres.* *Aqueus.* *Vitreus.* *Crystallin⁹.*

Affectus videndi sensum lædens, vel est in cerebro, aut in Neruis opticis, vel in Humore Crystallino primo visus instrumento, vel in aliqua partium ministrantium, vt in cæteris Humoribus, Tunicis &c. quibus adduntur morbi toti oculo communes.

Neruorum opticorum morbi sunt valida intemperies, solutio continui, & Angustia, vt obstructio, cõpressio, subsidentia, dissolutio incru- *Neruorum opticorũ affectus.*

Cæcitas. incruciationis, cæcitas, ἀμαύρωσις etiam βλυωπία. Affectus spiritus animalis sunt μυωπία & νυκταλωπία: Morbi Humoris crystallini sunt, γλαύκωμα & hallucinatio visus, Item solutio continui: Morbi partium administrantium ijdem sunt, qui corneæ; albuginei Humoris vitia sunt Augmentum & diminutio, crassities & coloris mutatio, hinc suffusio vera ac notha, ex qua species γλαύκωμα oritur, ac πάρρωσις.

Suffusio vera ac notha.

Pupillæ affectus sunt μυδρίασις, & Angustia: vitia Tunicæ Rhagoidis potissimum sunt vlcus, vulnus & disruptio; hinc vueæ procidentia & Tensio. Corneæ affectus proprij sunt 1. Intemperies nudæ ac cum materia 2. Pustulæ & Tubercula, quæ varia sunt: aliæ à sanguine vt ἐξανθήματα, variolæ &c. aliæ à sanguine Bilioso vt φλύκταιναι, quædam ab Humore aqueo vt ὑδρόκηλα &c. Deinde in oculo à melancholico Humore adusto oritur Cancer & carbunculus. 3. Vlcera corneæ, quorum variæ differentiæ, alia enim exulceratio dicitur superficiaria, alia caua; ex superficiarijs alia caligo dicitur, alia Nebula hinc ὀπάκωμα & ἔγκαυμα. Vlcera caua 1. Dicitur βόθυνον 2. κοίλωμα 3. ὄργεμον 4. ὄπάκωμα, sub quo & ὄπάκωμα & ἔγκαυμα Aetij continetur. Ex vlcere corneæ oritur ἀπύπυον à similitudine ὄνυξ: rupturæ corneæ 4. species 1. μυοκέφαλον. 2. Σαφύλωμα. 4. μήλον. 5. ἥλωμα à curatione vlceris aut vulneris corneæ, cicatrices oriuntur quorum aliæ nebulæ, aliæ λεύκωμα appellantur. Adnatæ tunicæ morbi sunt περύγιον, & ὀφθαλμία: sub ὀφθαλμία continetur πάρεξις, ξηροφθαλμία & χύμωσις.

Cancer.

Rupturæ corneæ 4. species.

Morbi totius oculi sunt σκιπεσμὸς, strabismus ἀτροφία, σπάγχυσις & ὄπιφορά. Morbi Angulorum sunt 1. ῥύας 2. ἔγκανθις 3. ἀιγίλωψ & αὐγίλωψ. Morbi palpebrarum sunt 1. τρίχωμα sub qua continetur σύκωσις & τύλωσις, nonnulli etiam huc referunt scabiem palpebrarum pruriginosarum: 2. ἐμφύσημα, qui duplex χαλάζιον. 3. σύμφυσις, Item ἐκτρόπιον, Huc etiam referuntur μαδάρωσις, & δυσριχίασις: Hactenus de oculis, de quibus apud authores latius.

Morbi totius oculi.

Morbi Angulorum.

Morbi palpebrarum.

CAPVT

CAPVT XVIII.

De Aurium Affectibus.

ORganum, sunt aures, in quibus occurrunt ossicula quædam præcipua, nempe malleus & incus ab vsu sic dicta, Siculus quidam Medicus tertium addit, quod stapidem appellat. Affectus horum varij sunt; sunt enim instrumenta Auditus, qui multifariam læditur; accidunt vero huic inprimis surditas, quæ oritur primum læsa facultate vitio cerebri, vel nerui quinque paris, & peculiariter extremitatis auris, vbi neruus ille dilatatur 2. Defectu aut impuritate aëris congeniti, qui sonos repræsentat. 3. Fit obturatione siue Angustia meatus interni vel externi 4. A nimia crassitie & densitate Tympani, Inflammatione aut Tumore præter naturam. 5. Dislocatione, malaque conformatione trium osculorum Auditus ex affluxu Humoris, aut inflammatione, solutione continui, vt vlcere vulnere, contusione &c. ἀκόησις, obauditio oritur ex commotione aëris congeniti præter naturam, huius causa præcipua est, vapor aut spiritus flatulentus aërem congenitum mouens, Hic vapor aut spiritus interdum ab ipsis auribus, aut capite, aliquando ab inferioribus partibus, vel ex ambitu totius corporis, etiam ex arterijs propter commotionem Humorum in vasis, vel à parte aliqua, vt ventriculo, Liene, iecore, primis venis, Hypochondriacis, ab vtero in Hysthericis &c. Ob auditionem etiam excitant corporis capitisq; repletio & agitatio, Ictus aut percussio temporũ, parotis siue inflammatio post aures, vlcus auris male curatum &c. Hinc ex tenui vapore, minusque copioso exiliter labente, sibilus. Ex motu spirituum interrupto vltro citroque impulso, Tinnitus: ex crasso flatu plenius erumpente, Sonitus: Ex crassiore validius impulso, strepitus: ex magis adhuc crasso fluctuatio in auribus percipitur. ὠταλγία Dolor auris, qui oritur ab intemperie, aut continui solutione, partium neruosarum auris, intemperies raro sine affluxu materiæ est, nisi frigida, nonnunquam à calida intemperie, sed cum materia præcipue sanguine acri & bilioso.

4. organum
ossicula auris malleus
Incus & stapes.
Surditas oritur 5 modis. 1 2. 3. 4. 5.
ἀκόησις obauditio.
Causæ multæ obauditionis.
Sibilus.
Tinnitus.
Sonitus.
strepitus.
ὠταλγία dolor auris.

CAPVT XIX.

De Narium Affectibus.

5. Organum ἠθμοειδὲς ἢ πτοργοειδὲς

QVintum organum sunt Nares, in quibus est Os, Græcis ἠθμοειδὲς ἢ πτοργοειδὲς, multa exilia foramina habens, quæ sunt meatus aëris & odoris.

Læsio olfactus.

Verum etiam Olfactus organum non sunt carunculæ mammillares, sed duo processus anteriorum ventriculorum cerebri, qui neruorum fere figuram habent Ossi ἠθμοειδεῖ incumbentes. Læsio olfactus, vel oritur à morbis cerebri, vel primi instrumenti, nimirum processuum ab anteriore cerebri parte prope meatus ossium colatoriorum desinentium: vel partium inserientium: Item ab inflammatione, abscessu aut vlcere purulento circa anteriores cerebri ventriculos, à quo fœtidus halitus semper expirat.

Vlcus nariũ

Vlcus narium oritur ab inflammatione, vel ab erosione ex acrimonia Humorum præterlabentium, quod in Lue venerea sæpe accidit, interdum ab externis causis, vt vulnere, contusione, vlcus si sordescat putridum, & graueolens fiat Ozæna appellatur: vlceribus recentis neglectis Caro sæpe excrescit ὑπερσάρκωμα, quæ si in longitudinem tantum excreuerit, vt è naribus aut foraminibus palati prolabatur à varietate coloris Polypus vocatur, qui in cancrum abire solet.

Ozæna. ὑπερσάρκωμα. Polypus.

Deprauatus olfactus.

Deprauatus Olfactus, ab vlcere putridò à prauis & corruptis succis in naribus prauum odorem exhalantibus, & suo halitu instrumentum odoratus ita lædentibus, oritur, vnde externos odores non rite percipiat, sed sub alia specie: Hæc sufficiant dixisse de organorum præcipuorum in corpore humano morbis ac differentijs, paucis nos accingemus, ad morborum signa, sequitur caput 20.

CAPVT XX.

De Morborum Signis.

Definitio.

SIgnum est Iudicium sensile, quod in morbi ignoti & latentis cognitionem nos deducit; hoc pro varia consideratione varie differt: sunt:

sunt enim alia 1. Diagnostica, Prognostica & Anamnestica : Diagnostica sunt signa demonstrantia præsentem constitutionem, siue secundum naturam, siue præter naturam. Prognostica sunt signa futura prænunciantia. Anamnestica sunt signa, quæ præteritum statum in memoriam reuocant. 2. Signa alia sunt propria, alia communia: propria sunt, quæ vni aut soli affectui conueniunt. Communia, quæ in pluribus & diuersis affectibus inueniunrur. 3. Signa sunt Pathognonomica, συνεδρεύοντα, Epigenomena & Epiphænomena: Pathognonomica signa sunt, quæ morbi essentiam consequuntur, & cum eo necessario cohærent, eaque denotant morbi speciem, differentiam vel magnitudinem. 1. *alia signa diagnostica.* *Anamnestica.* *2. alia* *Propria & communia.* *3. alia Pathognonomica.*

Συνεδρεύοντα dicuntur, quæ à morbo inseparabilia non sunt, neque eius essentiæ necessario cohærent, neque semper cohærent, sed interdum præter Pathognonomica mox à principio apparent, interdū postea succedunt, quandoque etiam nullo morbi tempore adsunt. συνεδρεύοντα.

Epigenomena, quæ non perpetuo, morbis se consociant, sed tamen morem etiam morbi denotant, vt Epiphænomena: Hæc fere semper nihil boni significant, namque ἐπιγένεσις auget malum ægrorum. Hæc tamen differt à Metaptosi, quæ fit, cum Humor relicto priore foco in aliam partem deuehitur, & geminis modis susciatur, vel per μεταδοχὴν, vel μελάσασιν: μεταδοχὴν, quæ fit bonis ægri rebus cum materia morbifica excluditur vel à parte nobili ad ignobilem, superiori ad inferiorem, interiori ad exteriorē, vel procul à morbi foco. Per μελάσασιν, quæ ex aduerso non sine periculo euenit. *Epigenomena.* μεταδοχὴ. μελάσασις.

Epiphœnomena signa, hæc maxime morem morbi loquuntur, apparent autē hæc triplici idea & facultate 1. Vel ad coctionem seu crudiratem, quæ denunciant morbi breuitatem vel longitudinē. 2. Vel ad salutem & mortem, 3 ad futuræ Crisis Tempus siue speciem. *Signa Epiphœnomena* 1. 2. 3.

Hæc in genere dicta sunt de signis, sequuntur partis affectæ signa. Gal. 1. & 2. de loc. affect. ad 5. capita reducit. Dignoscitur autem pars affecta 1. Ab actione læsa 2. Ab excretis 3. à situ 4. doloris proprietate 5. à proprijs accidentibus, quibus additur consensus partium. Primo actio læsa est partis similaris vel instrumentalis: similaris actio læditur læso temperamento: Organica, vitiata instrumenti structura, vel parte similari principali, à qua fit actio, vel similaribus ei commodantibus. Item partibus annexis. Hic clarius notandum est, non semper vna actione læsa, vna pars peculiaris afficitur, sed sæpe plures & di- *Signa partis affectæ.* *1. ab actione læsa. 2. ab excretis. 3. à situ. 4. à doloris proprietate. 5. à proprijs accidē tibus.*

& diuersæ, vt in voce & respiratione læsa apparet: neque pluribus actionibus læsis statim plures læduntur partes, vt in tactu & motu abolitu: in his subtilissime coniecturari licebit, videlicet functiones vitales ex pulsu dignosci, naturales ex concoctione & cruditate, animales vero ex sensu & motu. Si actionem læsæ, partemque affectam cognoueris, ad modum actionis, num abolita, debilis aut deprauata sit accedendum: Item an pars proprio affectu, vel per consensum laboret percurrendum caute dico. Secundo ab Excrementis: in quibus consideratur vel ipsa substantia magnitudo & modus.

Functiones vitales ex pulsu, naturales ex concoctione dignoscuntur.

Substantia tripliciter cõsiderãtur excremẽta.

1. De essentia particulæ solutæ à membris.

2. à rebus naturalibus.

3. Ex rebus præter naturam.

Substantia tripliciter considerantur excrementa 1. Vel de essentia particulæ solutæ à membris 2. Vel ex rebus naturalibus contentis in partibus, vt sunt feces in intestinis, vrina in Vesica &c. 3. Ex rebus præter naturam contentis, siue quæ morbificas dispositiones consequuntur, vt sunt calculi in Renibus, vesica, lumbrici in aluo. Sub substantia continetur excreti qualitas, deinde ex rebus naturaliter contentis notatur, num per vulnus vrina exeat, num stercus intestinum, aut cibus ventriculum vulneratum ostendendo referat; ex rebus præter naturam contentis consideratur num cum vrina lapis excernatur, vel alui deiectio demonstret Lumbricos &c. Ex magnitudine etiam obseruabitur, num cum torminibus vel sine torminibus reddantur: Exempli gratia si cum torminibus eiiciatur crassa Tunica, vlcus in crassis intestinis significat: Si tenuis in tenuibus: Si sine torminibus deiiciantur ad formam loturæ carnis recenter mactatæ, iecur affectum esse, vbi cum vrina excernuntur frusta carunculis similia renes affectos esse, vbi lamularum speciem vesicam affectam demonstrant ac referunt.

Iudicium à modo excernendi.

A modo excernendi obseruandum, si sanguis saliendo exierit arteriam indicat esse læsam, sin vero aliter, venam. His adduntur quæ peculiariter alicui parti adnascuntur, item ordo ac tempus excretionis.

A situ.

Tertio á situ: situs affectam partem sufficienter demonstrat, vel adiunctis alijs signis, scilicet dolore, excretis & proprijs accidentibus vel sine his ex duritie, tumore & tensione partis.

Ex doloris proprietate. Definitio.

Quarto ex doloris proprietate dignotio sumitur partis affectæ: Dolor est tristis sensatio partium sensibilium, à subita mutatione, distinctio necessaria doloris sumi debet, vel à subiecto, vel à causa efficiente, vel ab vtroque. Subiectum est pars sensu exquisito, vel minus

nus exquisito prædita, in superficie vel profundo Corporis. Causa doloris est intemperies subito alterans, & humor, vapor & similia, quatenus continuum soluunt: quorum singula in subiecto pro sua qualitate, quantitate, motu & quiete varias dolorum species excitant: necessarium putatur quasdam in specie huc referre de variis inter se inuicem dolorum differentijs. Sic dolor alius dicitur mordens, Mordicans, Exasperans siue tendens: Mordens fit ab Intemperie calida cum sensu caloris: Mordicans ab intemperie frigida cum sensu frigoris, parte resistente: Exasperans siue tendens fit ab intemperie sicca. Deinde dolor materia pro sua quantitate & qualitate agit. Hinc dolor alius Mordax & stimulans qui fit à materia mordaci & acri: Dolor vlcerosus, à materia mordaci tenui immota: Dolor pruriginosus à materiâ tenui immotâ salsâ: Dolor Punctorius, à re acuta fixa & penetrante: Dolor fixus à materia quiescente: Dolor errans & turgidus à motu, vnde celeriter in vicinas abit partes: Dolor distendens, à materiæ copia partem distendente: Dolor grauans qui partem deprimit pondereque incumbit: Dolor magis acutus, ratione subiecti in partibus neruosis & exquisiti sensus: Dolor stupidus in minus sensibilibus: Dolor punctorius veluti supra in membranis, qualis in phrenisi & pleuritide: Dolor pulsatorius in Arterijs quatenus afficiuntur vel inflammatione tendantur: Dolor extensiuus stupidus, ex venarum repletione: Dolor conuulsiuus, in Neruis & tendinibus: Carnis dolor laxatiuus & diuulsiuus est: Dolor grauans obtusus, visceribus minus exquisiti sensus est: Dolor confundens & profundus periostio accidit: Dolor sublimis, partibus in superficie sitis communis: Dolor vero profundus in alio positis conuenit &c. *Causa doloris.* *Dolor mordens.* *Mordicans.* *Exasperans.* *Dolor Mordax ac stimulans.* *Dolor punctorius.* *Fixus, errãs* *Distendens,* *Acutus; stupidus, pulsatorius.* *Extens. stupidus.* *Conuulsiuus:* *Diuulsiuus, &c.*

Quinto ex proprijs accidentibus: veluti supra dictum est, Hepatis debilitationem denotat, deiectio similis loturæ carnium animalis recenter mactati: obstructionem iecoris aut vesicæ fellis, citrinus color totius corporis: Lienis obstructionem, color niger: inflammationem pulmonis, maxillæ rubræ, &c. Verum non vnius sed plurium aut omnium Symptomatum ratio habenda venit, vt in pleuritide 1. de loc. Galenus fecit. *Ex proprijs accidentib.*

Signa ex consensu partium mihi parum imo multum conducunt, ad locorum affectorum notitiam: Sic læsis meningibus, bilioſi subsequuntur vomitus; & læso ventriculo ex consensu cerebri *Signa ex cõsensu.*

Signa min° principalia

delíria, vertigines & similia ortum suum trahunt. His adduntur signa minus principalia, quæ coniecturam tantum confirmant, sumpta à sexu, ætate, parentum constitutione, consuetudine, iuuantibus, lædentibus & similibus. A nonnullis adduntur signa sumpta à similitudine & proportione, veluti si Homine mortuo dilecto noueris quænam fuerit sedes affecta; colligere licet, vbi consistat affectus in alijs, qui simili morbo laborant &c.

Signa sumpta à similitudine.

De signis morborū 1. ab excretis.

Hæc de signis partis Affectæ constat: Morborum signa eodem à Galeno 1. de loc. affect. cap 5. ad 4. genera reducantur: 1. Ab excretis vt iam ante dictum, nam ramentum excretum, vlceris est signum, Lapidis signum vrina fabulosa, Latorum vermium signum, deiectio alui similis seminibus cucurbitæ: Lienteria cibi non mutati, Diabetis nota est, potus non mutati mictus &c.

2. A natura loci.

2. A natura loci, inde quibusdam partibus morbi sunt proprij, aut certe non alieni, alij alieniſſimi. Sic suffusio solis oculis competit: Lumbrici præcipue in aluo generantur: contra cor abscessum non patitur: pulmo & partes expertes sensus non proprie dolent. Sub natura partis consideratur actio propria, situs & consensus: Actio læsa proprie partem affectam demonstrat, modus vero læsionis, vt dictum, aliquando morbum aliquando morbi causam denotat.

3. Ex doloris proprietate.

3. Ex doloris proprietate sumuntur signa affectuum & causarum, vt ex dictis constat: sic ex dolore pulsatorio, inflammatio partis carnosæ, ex pungente dolore, inflammatio membranarum ex tensiuo vero plenitudo dignoscuntur vt dictum.

4. Ex morbi accidẽtibus.

4. Ex morbis accidentibus proprijs dignoscuntur, vt febris ardens ex lingua nigricante cum ingenti calore, Tabes ex vnguibus aduncis cum sputo purulento graueolenti, Item phlegmonis suppuratio ex horrore intempestiuo cum febre &c. Sub propriis accidentibus comprehenduntur morborum tempora duplicia vniuersalia & particularia: vniuersalia dicuntur respectu totius morbi, & sunt illa, quibus totius morbi decursus includitur & comprehenditur. Particularia tempora dicuntur, quæ vnius paroxysmi & particularis accessionis periodo circumscribuntur. Tempora vniuersalia Galenus 4. Constituit 1. ἀρχὴν initium: αὔξησιν augmentum vel incrementum: 3. ἀκμὴν vigorem seu statum

De tẽporib. morborum.

Morborum tẽpora vniuersalia & particularia.

. παρακμὴν declinationem. Principium morbi tribus cipitur vt docet Galenus libr. 1. de criſ. cap. 13. 2. Aphor. nim principium dicitur de primo morbi inſultu, qui ſim- & latitudine caret, cum ſcilicet læſis actionibus, & mu- oris ſtatu à morbo ſe inuadi Homo percipit: hoc significa- κνον eſt, huius conſideratio parum ad curationem facit. imis tribus diebus, ſeu eo morbi tempore, quod ad ter- ue diem extenditur, nonnulli antiqui medici principium nt: 3. Significatio medicis propria, in qua principium ac- ro totius morbi parte prima, quando ſcilicet totus morbus ium, augmentum, ſtatum, & declinationem diuiditur, a- ue latitudinem, ſæpe etiam amplum habet, & interdum per es extenditur.

Principium morbi triplex.

ἄπεχνον.

Incrementum quod Medici αὔξεσιν, & πίδοσιν, & ἀνάβασιν nominant, eſt, quando ſymptomata ingraueſcunt, & vires ſumunt, & ſigna coctionis manifeſte apparere incipiunt in morbis ſalutaribus, vel quando apparent contraria coctioni in morbis, qui ſunt lethales.

Incrementum morbi αὔξεσις.

3. Status ſeu vigor eſt, quando pugna maxima eſt inter morbum & naturam, vbi & ſymptomata omnia fiunt vehementiſſima, & aliquandiu in eodem ſtatu conſiſtunt ac vigent; vnde & nomen obtinuit.

Status ſeu vigor morbi.

4. Declinatio eſt, qua miteſcere morbus à natura victus incipit; vnde nonnulli non ſolum tum declinationem eſſe volunt, quando poſt vigorem morbus imminuitur, ſed etiam cum morbus in principio, & quaſi in prima herba, antequam ad ſummum vigorem perueniat, remittit.

Declinatio morbi.

Particularia morborum tempora ſpectantur in iis morbis, qui periodos certos & ſua interualla, rurſumque paroxiſmos & acceſſiones habent; poſſuntque particularia tempora cum quolibet vniuerſali incidere.

Particularia morborũ tempora.

Hic & notandum, quod quædam ſigna morborum tantum ſunt ſigna, vt Symptomata conſequentia morbos: Quædam ſigna ſimul & cauſæ, quæ morbos procedunt ac producunt.

Differentiæ ſignorum morborum.

Signa min° principalia deliria, vertigines & similia ortum suum trah adduntur signa minus principalia, quæ coniecturam tanti tmant, sumpta à sexu, ætate, parentum constitutione, co e, iuuantibus, *Signa sumpta à similitudine.* lædentibus & similibus. A nonnullis add na sumpta à similitudine & proportione, veluti si Homi io dissecto noueris quænam fuerit sedes affecta; colligere li onsistat affectus in alijs, qui simili morbo laborant &c.

De signis morborū 1. ab excretis. Hæc de signis partis Affectæ constat: m signa eodem à Galeno 1. de loc. affect. cap 5. ad 4. gen ra r r: 1. Ab excretis vt iam ante dictum, nam ramentum excre eris est signum, Lapidis signum vrina fabulosa, Latorum ver gnum, deiectio alui similis seminibus cucurbitæ: Lienteria c utati, Diabetis nota est, potus non mutati mictus &c.

2. A natura loci. 2. An natura loci, inde quibusdam p norbi sunt proprij, aut certe non alieni, alij alieniſſimi. Sic suffusio solis oculis competit: Lumbrici præcipue in aluo generantur: contra cor absceſſum non patitur: pulmo & partes expertes sensus non proprie dolent. Sub natura partis consideratur actio propria, situs & consensus: Actio læsa proprie partem affectam demonstrat, modus vero læsionis, vt dictum, aliquando morbum aliquando morbi causam denotat.

3. Ex doloris proprietate. 3. Ex doloris proprietate sumuntur signa affectuum & causarum, vt ex dictis constat: sic ex dolore pulsatorio, inflammatio partis carnosæ, ex pungente dolore, inflammatio membranarum ex tensiuo vero plenitudo dignoscuntur vt dictum.

4. Ex morbi accidẽtibus. 4. Ex morbis accidentibus proprijs dignoscuntur, vt febris ardens ex lingua nigricante cum ingenti calore, Tabes ex vnguibus aduncis cum sputo purulento graueolenti, Item phlegmonis suppuratio ex horrore intempestiuo cum febre &c. Sub propriis accidentibus comprehenduntur morborum tempora duplicia vniuersalia & particularia: vniuersalia dicuntur respectu totius morbi, & sunt illa, quibus totius morbi decursus includitur & comprehenditur. Particularia tempora dicuntur, quæ vnius paroxysmi & particularis accessionis periodo circumscribuntur. Tempora vniuersalia Galenus 4. Constituit 1. ἀρχὴν initium: αὔξησιν augmentum vel incrementum: 3. ἀκμὴν vigorem seu statum

De tẽporib. morborum.

Morborum tẽpora vniuersalia & particularia.

tum: 4. παρακμὴν declinationem. Principium morbi tribus modis accipitur vt docet Galenus libr. 1. de criſ. cap. 13. 2. Aphor. 12. Vel enim principium dicitur de primo morbi inſultu, qui ſimplex eſt, & latitudine caret, cum ſcilicet læſis actionibus, & mutato corporis ſtatu à morbo ſe inuadi Homo percipit: hoc ſignificatum ἄτεχνον eſt, huius conſideratio parum ad curationem facit. 2. De primis tribus diebus, ſeu eo morbi tempore, quod ad tertium vſque diem extenditur, nonnulli antiqui medici principium accipiebant: 3. Significatio medicis propria, in qua principium accipitur pro totius morbi parte prima, quando ſcilicet totus morbus in principium, augmentum, ſtatum, & declinationem diuiditur, aliquamque latitudinem, ſæpe etiam amplum habet, & interdum per plures dies extenditur.

Principium morbi triplex.

ἄτεχνον.

2. Incrementum quod Medici αὔξεσιν, & ἐπίδοσιν, & ἀνάβασιν nominant, eſt, quando ſymptomata ingraueſcunt, & vires ſumunt, & ſigna coctionis manifeſte apparere incipiunt in morbis ſalutaribus, vel quando apparent contraria coctioni in morbis, qui ſunt lethales.

Incrementum morbi αὔξεσις.

3. Status ſeu vigor eſt, quando pugna maxima eſt inter morbum & naturam, vbi & ſymptomata omnia fiunt vehementiſſima, & aliquandiu in eodem ſtatu conſiſtunt ac vigent; vnde & nomen obtinuit.

Status ſeu vigor morbi.

4. Declinatio eſt, qua miteſcere morbus à natura victus incipit; vnde nonnulli non ſolum tum declinationem eſſe volunt, quando poſt vigorem morbus imminuitur, ſed etiam cum morbus in principio, & quaſi in prima herba, antequam ad ſummum vigorem perueniat, remittit.

Declinatio morbi.

Particularia morborum tempora ſpectantur in iis morbis, qui periodos certos & ſua interualla, rurſumque paroxiſmos & acceſſiones habent, poſſuntque particularia tempora cum quolibet vniuerſali incidere.

Particularia morborū tempora.

Hic & notandum, quod quædam ſigna morborum tantum ſunt ſigna, vt Symptomata conſequentia morbos: Quædam ſigna ſimul & cauſæ, quæ morbos procedunt ac producunt.

Differentiæ ſignorum morborum.

Delectus signorum. cunt. Horum omnium signorum eadem ratio non est, nam aliquando vnum signum pathognomonicum sufficit vt in Apoplexia, repentina priuatio motus & sensus : plerumque plurium signorum concursus requiritur, veluti concurrunt in pleuritide. Item signa aliquando mutuo sibi sunt contraria aut minus manifesta ; aliquando morbos eorumque symptomata ita similia, vt nisi à medico exercitatissimo, facile discerni nequeant, veluti in Colica & Nephritide accidit. Paucis ad speciem morbi accedere placet idq; breuissime, exordium itaque ab intemperiebus.

Syndrome signorum.

Signa etiã medicos fallunt.

Signa propria morbi Calidi. Signa propria morbi calidi 1. sunt causæ progressæ corpus calefacientes, aëris ambientis intensa caliditas, alimenta ac medicamenta calida, motus importuni, vigiliæ, iræ, Affluxus bilioſi Humoris &c. 2. Effecta vt sensus caliditatis, rubor in parte affecta, sensus mordicans. 3. Si viscera affecta sint, pulsus magis veloces, vrina ruffa, sitis, inappetentia ciborum, imitationes sensuum &c.

Signa propria morbi frigidi. Frigidæ intemperiei opposita sunt inditia, nimirum pars sentitur frigida, est pallida, parui pulsus, & tardi, vrinæ albæ, concoctiones debiles, stupor mentis ac sensus, sitis nulla &c.

Signa Humidæ intemperiei. Humidam intemperiem demonstrant causæ præcedentes Humectantes, corporis nimia mollities, laxitas, somnolentia, functiones languent, sensuum hebitatio, dolor inexpers sensus, nulla sitis, pulsus mollis, excrementa pauca.

Signa siccæ intẽperiei. Intemperiem siccam causant causæ prægressæ exsiccantes, pars affecta squallida dura contracta, pulsus duri, dolor asper mentis sensuumque acrimonia & irritatio, sitis, vigiliæ, excrementa pauca &c.

Signa ppria morborum organicorũ. Veluti temperies sic morbos compositionis demonstrant causæ progressę, deinde effecta & symptomata, quæ simpliciter signa sunt non causæ, & variant pro varietate partis affectæ.

Signa apertionis & angustiæ meatuum. Causæ cuiusque morbi in specie, in præcedentibus patebit capitibus, vbi secundum modum Anatomicum in examinandis Organis principalioribus procedimus. In genere effecta signaque nimiæ apertionis meatuum ac vasorum, sunt retentrix debilitata, & expultrix proritata, ac contentorum præter naturam euacuatio. Angustiæ vasorum contraria signa aut symptomata sunt. Superficiei asperitatem demonstrant, sensus inæqualitatis in parte affecta, &

quæ

quæ per eam expelli solent, si diutius retinentur, aut cum difficultate expelluntur. Leuitatis superficiei contraria signa sunt. Figura vitiata partis externæ sensibus patet, internæ vt veteri &c. recordatione causarum præteritarum, & ex actione læsa partis male figuratæ, & mutatione naturalis figuræ cutis in eo loco vbi sita est. Morbus in magnitudine aucta partis externæ visu tactuque dignoscitur: Internæ ex dolore grauante, aut distendente situ tumoris sub cute mollis aut duri cum calore, frigore, coloris mutatione iuxta naturam materiæ magnitudinem augentis.

Signa figura vitiata.

Signa morborum in magnitudine.

Morbus in numero aucto vel diminuto partium externarum sensibus est euidens. Morbus in situ, ex partis internæ à naturali sede mutati sumitur dignotione. Solutio continui partis externæ, aut ab externa causa vt vulnus, contusio, collisio, fractura ita manifesta est, vt nullis inditijs opus habeat. Vlcus internum demonstrant sæpe causæ progressæ & dolor, sed maxime excreta nimirum sanguis, sanies, pus, crusta, pactio partis &c.

Signa morborum in numero & situ.

Item solutionis continui.

Signa quæ causæ rationem simul habent, sunt temperamentum totius corporis, ac potissimum partium principalium, deinde ætas, sexus, consuetudo, parentum vitia, item morbi præteriti, sex res non naturales, exercitatio, vitæ studium, euacuatio naturalis suppressa, aer & quæ sub aere continentur, regio, status cœli, tempus anni, balnea & similia. Simpliciter signa sunt. 1. Corporis habitus scilicet, obesus, crassus carnosus, hirsutus &c. 2. Color & quæcunque in corpore erumpunt, tactiles qualitates scilicet duricies, mollities &c. 3. Functiones, omnes præcipue, pulsus, somn⁹, vigiliæ, insomnia, mores &c. 4. Contenta, vrina, feces, sudores, sputa &c. 5. Adduntur iuuantia, lædentia & similia. Hi fontes signorum sunt vnde omnis redundantia humorum dignoscitur. Redundantium verò humorum in corpore duplex est dispositio plethora & cacochymia. Plethora redundantia sanguinis, vel omnium humorum æqualiter se habentium duplex vicissim, quoad vasa vel quoad vires vti lib. 1. constat: eius signa pete ex authoribus: Cacochymia proprie est, cuiuscunque alterius humoris, à sanguine redundante, ac proinde triplex potissimum, biliosa melancholica, vel pituitosa de his vide præcedenti cap. 6.

Signa simul & causa.

Signa simpliciter.

Duplex humorum dispositio.

Plethora & cacochymia.

CAPVT XXI.

De Pulsu.

Pulsus quid. PVlsus est motus cordis & arteriarum dilatatione & constrictione constans, à facultate vitali, ad symmetriam caloris natiui conseruandam, institutus: Eius instrumenta sunt cor & arteriæ. Differentiæ eius capiuntur vel ab adiunctis motus, vel consequentibus motum: Abiunctis motus, quoniam pulsus Essentia in motu consistit; ad motum verò requiruntur 4. mouens, mobile, spatium & tempus.

Instrumenta pulsus.

Differentiæ.

1. Mouens. 1. Mouens, quod est facultas vitalis; Hinc pulsus dicitur vehemens & languidus: Vehemens, cum arteria dilatata tangentis digitum vehementer impellit. Languidus, cum arteria languide tactum ferit.

Pulsus vehemens languidus.

2. Mobile. 2. Mobile, quod est corpus arteriæ; hinc pulsus dicitur mollis, cum mollior & quasi carnosa sentitur arteria. Mediocris cum se medio modo habet. Durus cum durior & quasi siccior corijque modo rigidior occurrit arteria. Huc referuntur pulsus 1. Vacuus & plenus: Vacuus cum impulsu digitorum inanitas sentitur. Plenus, cum arteria dilatata plenior sentitur. 2. Calidus & frigidus: Calidus, quando arteria calidior apparet, quam partes vicinæ. Frigidus, quando arteria frigidior sentitur.

Pulsus mollis.

Pulsus mediocris.

Durus.

Calidus.

Frigidus.

3. Spatium. 3. Spatium, in quo fit motus, hinc pulsus dicitur, magnus qui videlicet vndiquaque auctus est. Item mediocris, qui tenet medium: Et paruus, qui trina dimensione imminutus est.

4. Motus & quietis. 4. Tempus: Videlicet motus & quietis: Motus; hinc pulsus dicitur vel velox seu celer, qui breui tempore suum motum finit, vel cum modico tempore arteria dilatatur. Vel Tardus, cum multo tempore arteria dilatatur. Vel mediocris, qui medio modo fertur inter celerem & tardum. Quietis, hinc pulsus dicitur creber & rarus.

Differentiæ pulsuum de consequentibus motū. Pulsuum differentiæ à consequentibus motum, videlicet 1. Proportione hinc pulsus dicitur proportionatus & improportionatus. 2. Æqualitate, hinc pulsus dicitur æqualis vel inæqualis. Æqualis, quando

quando eiusdem generis pulsationes æquales percipiuntur. In æqualis contra. 3. Ordine, hinc pulsus dicitur ordinatus & inordinatus: Ordinatus, quando seruatur idem ordo circuituum, & omnes sunt pares magnitudine, frequentia & velocitate. Inordinatus verò secus. *Proportionatus, improport.*

Causæ pulsuum sunt 1. Vehemens, qui fit à robore facultatis, & hic quo fortior eò facultatis amplius robur denotat. Languidus soboles est solius facultatis imbecillæ, & hic consideratur vel prout fit videlicet ab ijs quæ vires soluunt inedia, vigilijs, vacuationibus immodicis, tristitia, curis, doloribus &c. Vel prout robur sumit & vel ex contentis corpore, vt succus coctione, excretione, ira, externis, vt vino, cibo, exercitijs, quæ intemperiem emendant. 2. Durus, qui fit ex instrumentorum duritie, quam induxit immodica refrigeratio & siccitas, item conuulsio, & tensio à phlegmone. Mollis, hic comes est arteriæ humidæ, & fit à cibis humidis, balneo, somno longo, delitijs morbis videlicet lethargo, comæ & hydrope. 3. Magnus, qui fit vel vsu exuperante videlicet calore in corde: Vel robore vitali valido, item instrumento obediente vel molli, vt extentatur in omnem partem. Paruus, hic fit vel vsus necessitate deficiente, item facultatis imbecillitate, & instrumenti duritie. 4. Velox seu celer fit ob vsum auctum, nimirum caloris exuperantiam, aut spiritus vitalis inopiam. Tardus fit defectu caloris natiui, magnaque refrigeratione, aut facultatis debilitate. 5. Crebre, huius causa duplex, vel à debilitate virtutis vel à duritie arteriæ. Rarus prouenit à robore virtutis cum vsu imminuto. 6. Æqualis in ægris etiamsi materiæ fixam dispositionem significet: tamen malam spem non præbet, quod natura ad morbum concoquendum firmitatem declarat. Inæqualis peior & vel vasorum obstructiones aut compressiones, vel humorum abundantiam virtutemque oneratam significant, reliquorum causa, item & differentias collige ex Senerto & alijs. *Causa pulsuum.* *1. Vehementis.* *2. Duri.* *3. Magni.* *4. Celeris.* *5. Crebri.* *6. Æqualis.*

CAPVT XXII.

De Crisi.

Definitio. CRisis est humoris morbifici à natura repente facta excretio, ita est vel perfecta vel imperfecta: Perfecta, quæ omnino tollit morbum plane vacuata materia; hæc duplex est, salutaris & lethalis: Salutaris, ad quam tria requiruntur, vt videlicet 1. Materia sit cocta, & peptícis signis indicata. 2. Vt euacuetur die critico & quidem tota. 3. Vt æger manifestè sentiat se leuatum. Lethalis est, quæ contraria habet requisita. Imperfecta crisis est, quando videlicet portio tandem humoris morbum committentis excernitur, ea duplex est vel ad melius vel ad deterius: Ad melius, quæ morbum omninò non tollit, sed facit vt illum æger alacrius ferat, & fit quando materia morbifica de nobili ad ignobilem partem excernitur. Ad deterius, quando de parte ignobili ad nobilem fertur.

Perfecta, & imperfecta.

Salubris & lethalis.

Ad melius, ad deterius.

Signa critica: Antecedentia, concomitantia. Signa critica alia sunt Antecedentia, alia concomitantia & alia consequentia. 1. Antecedentia, quæ videlicet futuram crisin indicant, & horum alia prænuntiant vel crisis tempus, diem, celeritatem, cuiusmodi sunt signa coctionis & cruditatis, quæ partim ex vrinis sumunt, vel prænuntiant speciem crisis, quæ duæ sunt excretio & abscessus: Excretionis species sunt sudor, vomitus, diarrhæa, vrinæ profluuium, item sanguinis fluxus per nares, vterum ac hœmorrhoidas. Inde excretionis signa vniuersalia petuntur. 1. Vel ex specie morbi, soluuntur enim morbi calidi per excretionem, morbi frigidi per abscessum. 2. Motu ita iudicantur morbi acuti per excretionem, & morbi chronici per abscessum. 3. Parte affecta, nam soluuntur plerunque affectus hepatis in parte conuexa, hœmorrhagia & vrinæ profluuio. In parte caua, vomitu, alui fluxu & sudore. Affectus cerebri, præsertim inflammatione & hœmorrhagia. Affectus ventriculi & mesenterij vomitu & alui fluxu. 4. Ægrotantis natura, ita accidunt senibus dysenteriæ, iuuenibus hœmorrhagiæ. 2. Signa concomitantia, quæ præsentem crisin significant, & sunt ipsæ causæ criticæ, videlicet excretio & abscessus: Ad quam quatuor requiruntur. 1. Laudabilis qualitas humoris cocti, vt vacuetur. 2. Quantitas sufficiens ne humor sit paucus aut

Excretionis species.

Signa vniuersalia excretionis. 1.

2. Motu.

3. Parte affecta.

4. Ægrotantis natura.

Causæ critica.

aut nimius. 3. Excernendi malus, vt videlicet fiat vel confertim nō sensim, vel per loca conferentia, vbi requiritur, vt locus non sit loco morbi dignior, vt locus habeat rectitudinem, vel vt habeat transitus patentes. 4. Tempus, vt die critico contingat. Abscessus, in quo tria spectantur, quo, vnde, propter quid: Primo quo, hoc est pars in quam decumbit debet esse inferior, ignobilior, remota ab affecta parte, & capax materiæ morbificæ. Secundo vnde, hoc est ac qua parte fiat dextra an sinistra, debet enim decubitus fieri secundum rectitudinem. Tertio propter quid, nam fiat cocto à natura morbo, aut eadem irritata: crudo enim existente morbo erit paruus. *In abscessu tria spectantur.*

3. Consequentia signa, quæ indicant num crisis fuerit perfecta an imperfecta quæ sumuntur primo à corporis qualitate vel in figura & mole, nam crisis est perfecta, si facies repente detumescat quæ prius intumuerat: imperfecta si remaneat turgidula: vel colore, nam crisis est salutaris, si facies sit bene colorata: Symptomatica, si color faciei sit liuidus, niger, citrinus. Secundo consequentia signa sumuntur ab excrementis vt vrinis, & alui deiectionibus, debent enim deiectiones & vrinæ similes esse ijs, qui egeruntur à sanis. Tertio sumuntur ab actionibus naturalibus, vitalibus & animalibus: Naturalibus, nam crisis est bona, si bene cibus ingeritur, digeritur & egeritur: Mala vero si adsint contraria. Actionibus vitalibus, indicat enim crisin perfectam pulsus æqualis & respiratio facilis: Imperfectam vero contraria. Animalibus, significatur enim crisis bona, si sensus sunt integri, somnus placidus, bellè decumbat in alterutrum latus, mensque sit tranquilla: Mala contrarijs. In diebus criticis consideratur eorum differentia & causa: Differentia, sunt enim 1. alij vere & perfecte critici, qui dicuntur principes & sunt tres, septimus, decimusquartus & vigesimus. 2. Sunt indices, qui crisin septenario futuram indicant, in quibus solent apparere signa coctionis, & sunt tres: decimusquartus, qui index est septimi: vndecimus qui index est decimiquarti: Decimus septimus qui index est vigesimi. 3. Intercedentes intercalares, qui inter principes indices intercidunt, etiam quæ illis diebus crises fiunt, irritata natura, contingunt: Sunt autem hi in septimana prima tertius & quintus: In septimana secunda nonus & decimustertius: In septimana tertia, nonus. 4. Vacui & medicinales, qui nec iudicant nec indicant nec prouocant, & illis cathartica medicus tuto potest exhibere, tales sunt sextus, *Signa consequentia. 1. Sumuntur à corporis qualitate. 2. Ab excrementis. 3. Ab actionibus naturalibus. Vitalibus & animalibus. In diebus criticis considerantur. 1. Differentia. 2. Indices. 3. Intercidentes.*

octauus, decimus, duodecimus, decimus sextus & decimus octauus.

Causa duplex materialis, efficiens.

Causa consideratur dupliciter: est enim materialis vel efficiens: Materialis, videlicet humor peccans qualitate, & quantitate & quidem biliosus, pituitosus, melancholicus & sanguineus; qui iterum vel simplex vel adulteratus. Causa efficiens itidem duplex est, vniuersalis & particularis: Vniuersalis & remotissima, causa videlicet non criseon modo sed etiam omnium motionum, quæ in sublunari hac regione contingunt, cælum videlicet & Luna &c. Particularis & interna proxima, quæ est ipsissima natura.

Vniuersalis, particularis.

CAPVT XXIII.

De Vrinis.

Vrina quadrupliciter consideratur.

VRina ægrotantium consideratur quadrupliciter, consistentia quantitate, qualitate & contentis. Consistentia; Vnde 1. Est vel tenuis vel crassa: Tenuis ea fit quinque modis 1. Obstructione vasorum, per quæ excolatur, vt renum, vreterum & vesicæ. 2. Ob potus multitudinem. 3. Renum infirmitate. 4. à Frigore, vt tenuis alba. 5. à Seri sanguinei torrefacti copia, vt tenuis rubra. Hic & notandum quod vrina tenuis vel permanet tenuis, eaque est soboles cruditatis & obstructionis, vel etiam crassescit, quod flatus ob cruditatem illi miscentur, qui postea condensantur. Crassa vrina ea vel permanet ita vel tenuatur post, vtraque fit à mixtione crassorum succorum, quæ mixtio fit vel exacte, vel non exacte: Exacte ita dia crassa permanet & significat morbi longitudinem, recidiuas, dolores, abscessus &c. Non exacte, eaque postea fere tenuatur, & minus periculosa est. 2. Consistentia est vel clara vel turbida; Clara, ea vel permanet clara, & significat in ægris calorem fractum, item πάλινδρομὴν bilis ad caput hæc mala est; vel turbatur paulo post; hæc bona est; significat enim materiam à natura in flatus resolui. Turbida fit vel ob propriæ substantiæ corruptionem, vel quia miscentur humores lenti, viscidi, tenaces obscuri, eaque mixtio fit vel perfecte vel imperfecte: perfectæ eæ referunt vrinas iumentorum, & semper turbidæ manent: Imperfectæ, eæ postea clarescunt.

1. Consistentia quinduplicitet.

2. Consistentia consideratur, num clara vel turbida.

Quan-

Quantitate consideratur vrina: quæ est vel nimis copiosa vel nimis pauca: Copiosa, ea fit vel critice, cum videlicet natura pondus aliquod humoris deponit ad vesicam; & hoc bonum est. Vel symptomatice, vt in diabete, colliquatione, & hoc est malum. Vel vsum rerum diureticarum. Nimis pauca, ea fit vel obstructione viarum, vel alio translata materia potulenta & ichore sanguinis & vel critice, vt in sudoribus criticis, diarrhæa &c. Vel symptomatice, vt in metastasi cum humiditas transfertur ad viscus aliquod: Vel ardore, vnde materia absumitur. *2. Quantitate consideratur vrina, num copiosa, vel nimis pauca.*

Qualitas vrinæ percipitur 3. Sono, odore & colore. 1. Sono, vt si silente motu exit, quod significat colliquationem, quemadmodum oleum nullo strepitu fluit. 2. Odore, & vel bono, vel malo: Bono, qui oritur vel à valida coctione, vel remedijs sumptis, vt Aspharagus, Therebintina Veneta &c. Malo, qui oritur vel à cruditate, vt in leonibus: Putredine, vt in febribus pestiferis: Delatione per loca exulcerata, vt per vesicam & renes: Imbibitione fœtoris medicamenti fœtidi: Vel affluxu humoris putridi diu in corpore contenti, & moti à vi medicamentorum aperientium, attenuantium, infractu liberantium vt aniso, allio &c. 3. Colore, qui est vel extremus, vel intermedius: Extremus vt albus & niger: Albus, hinc vrina fit alba, subalbida, crystallina & spicea: Alba, hæc fit 1. quia non gignitur bilis languente calore, vnde nec vrina tingi potest. 2. Quia materia liquida tamdiu non retinetur donec tingatur. 3. Quia alio bilis transfertur. Subalbida seu vinosa, & fit quia parum bilis miscetur. Spicea, quæ fit à bile vel pallida, vel rufa, tum erit splendoris expers. Vel flaua; Niger color, qui est vel cum tenuitate vel cum crassitie: Tenuitate, hæc vrina lethalis est, quia index est summæ adustionis & extincti caloris. Crassitie, quæ non semper sunt lethales, quia multi morbi melancholici iudicantur vrinis nigris. Intermedij colores sunt, citrinus, ruffus, flauus & subflauus, hi sunt indices coctionis. Ruber qui est vel cum tenuitate vel crassitie: Tenuitate, significat febrem ardentem, vel iecur immodice calens: Crassitie significat bilis rubræ copiam, sanguinem assari, vel permistionem sanguinis, vt in calculo. Viridis, qui significat summum incendium, Liuidus, notat extinctionem nati caloris. *3. Qualitate vrina consideratur tripliciter. 1. Sono. 2. Odore bono vel malo. 3. Colore. Externo vel intermedio. Alba. Subalbida. Spicea. Flaua. Niger color cum tenuitate vel crassitie. Colores intermedij.*

Vrinæ

De contentis vrinæ.

Vrinæ contentum est quicquid crassius in vrinis consistit, hoc duplex est, aut de vrinæ substantia, vel aliunde aduenies: De vrinæ substantia, triplex pro vario situ statui solet. 1. Hypostasis, quæ in imo subsidet, ea consideratur, quadrupliciter 1. Prout est salutaris vel lethalis; Salutaris, cuius notæ sunt quatuor: debet enim 1. esse alba, quia manat à partibus solidis. 2. Leuis & sibi cohærens, vt materiæ bonitatem indicet. 3. Æqualis seu similaris. 4. Moderate crassa, vt caloris imperium denotet. Lethalis, quæ est nigra, vel incendio vel extinctione, item aspera, etiam inæqualis in colore, cum modo nigra modo rubra, in figura, nunc rotunda, nunc diuulsa, in consistentia, nunc crassa nunc tenuis. 2. Hypostasis consideratur secundum suam quantitatem, hinc dicitur vel pauca vel copiosa, prout materia morbifica est pauca vel copiosa. 3. Secundum qualitatem hypostasis consideratur, hic alia est alba, eaque optima hypostasi minus alba & candidior: vel nigra ea mala est, oritur enim ex torrefactione succorum corporis, vel rubra quæ fit ex Ichore sanguinis. 2. In vrinæ substantia situm est eneorema, quod in medio propendet. 3. Et nubes summa facie innatans, de his, pluries in medio Germanico tractatu quem scripsi de vrinis, item alios apud medicos.

Substantia vrinæ triplicitèr statuitur.

Hypostasis 1. considerat quadrupliciter.

2. Hypostasis. Secundum quantitatẽ.

3. Hypostasis secundũ qualitatem.

Contenta vrinæ aliunde aduenientia.

Contentum vrinæ aliunde aduenies, est vel ab vniuerso corpore, vel aliqua parte: ab vniuerso corpore, hinc contentum vel pingue, oleaceum, pultaceum, lamineum & eruosum, quorum omnium causa vniuersalis est calor vel liquefaciens, vnde vrinæ pingues, oleosæ & pultaceæ: Vel calor torrefaciens, à quo Arenulæ calculi & pili: Vel calor putrefaciens, à quo vrinæ fœtidæ & purulentæ: Ab aliqua parte aduenientes sunt, vt hepate, liene, renibus, vesica &c.

CA-

CAPVT XXIV.

De Febribus in genere.

FEbris est calor præter naturam è corde in omne corpus effusus. Eius Differentiæ desumi possunt è caloris diuersitate, quoniam febris essentia nihil aliud est quam calor. Vt igitur calor triplex est, simplex, putridus & pestilens, ita etiam febris est triplex: simplex, putrida & pestilens: simplex, in qua calor Elementarius solo incremento temperamenti limites excedit, hæc iterum triplex est, ephemera, synochus, & hectica: Ephemera, consistit in efferuescentia spirituum: Synochus, quæ simplex est sanguinis efferuescentia: Hectica, quæ in habitum corporis consistit, & ea duplex est, hectica vniuersalis, & hectica partis: Vniuersalis, in qua totius corporis habitus laborat, & inde cordi communicatur calor. Partis, in qua habitus alicuius partis laborat & cordi calorem præter naturam communicat. Febris putrida, cuius calor ex illuuie putrida emergit, ea est continua vel intermittens: Continua, quæ oritur quando humor copiosus putrescens latet in regionibus cordi vicinis: species eius sunt 4. 1. Synochus putrida, quando sanguis bene temperatus putrescit inter alas & inguina in vena caua &c. 2. Tertiana, quando putrescit bilis in ijsdem locis. 3. Quotidiana, quando putrescit pituita. 4. Quartana, quando putrescit humor melancholicus. Febris intermittens, illa oritur quando materia putrescens leuior est, aut longius à corde dissita, ea est vel simplex, confusa vel composita: Febris simplex intermittens triplex est, Tertiana, Quotidiana & Quartana: Tertiana, quæ oritur ex bile flaua extra venas maiores putrescente: Quotidiana, quæ ex pituita putri: Quartana, quæ ex humore melancholico. Confusa, quæ oritur ex humoribus aliquot confusis, vno loco pariterq; putrescentibus, qualis est tertiana notha, quæ à mixtione bilis & pituitæ prouenit. Composita intermittens generatur ex mistis & implicitis intermittentibus, qualis est Tertiana duplex, Quartana triplex, & hemitritæos &c. Pestilens febris est, quæ non modo calore, sed etiam qualitate venenata cor afficit. Hæc in genere de febribus.

Definitio.
Differētia.
Calor triplex.
Febris triplex.
Febris simplex triplex.
Ephemera, Synochus, Hectica duplex.
Febris putrida duplex.
Continua febris quadruplex.
Febris intermittens triplex.
Febris simplex intermittens triplex.
Febris intermittens composita.
Febris pestilens.

CAPVT XXV.

De Peste.

Morbi Pandemij.

HIppocrates 1. De ratione victus text. 9. Et Galenus comm. 1. in 1. Epid. morbos, qui vno tempore multos inuadunt, diuidunt in Pandemios & sporades. Pandemij sunt, qui simili modo vno tempore multos infestant, siue morbi generis eiusdem, qui in vna vel pluribus regionibus eodem tempore grassantur, & à communi causa ortum habent. Sporades sunt morbi diuersorum generum, qui dissimili modo sparsim & seperatim vagantur, & particularem causam habent. Pandemij sunt duplices: Endemij & Epidemij: Endemij sunt morbi vernaculi & patrij, qui vno in loco vel regione semper aut plerumque vagantur, & illius loci vitio potissimum eueniunt: Veluti Elephantiasis in Ægypto, & in locis Germaniæ maritimis scorbutus. Epidemij morbi sunt populares, qui in vna aut compluribus regionibus sæuiunt. Hi sunt vel contagiosi & simul pernitiosi, quando videlicet magnam partem ægrotantium perdunt: Vel non pernitiosi, quando plerique ægrotantes inde euadunt & liberantur. Talis fuit morbus Epidemius Anno 1580. Est autem Homonymia in vocabulo pestis: Quia non vno & eodem modo sumitur ab Authoribus.

Morbi Sporades.

Pandemij duplices.

Morbi Endemij.

Morbi Epidemij.

Morbi contagiosi.

Non pernitiosi.

Definitio pestis.

Communiter & vulgo dicitur pestis, quicquid in pernitiem & detrimentum rei alicuius euenit: Interdum Hipp. & Gal. pestis pro aëris pestilentis constitutione accipitur, sed proprie pestis est morbus contagiosus plurimis communis, magnam ægrotantium partem tollens.

2. Requisita in peste.

Requiruntur autem duo in proprie dicta peste: 1. Ut sit contagiosa, quo plures vno tempore inuadere queat: 2. Ut à venenata siue maligna causa extrinsecus ortum trahat, quod magnam ægrotantium partem tollat. Pestis teste Gal. 3. Epid. 3. peculiaris morbi species non est, vt febris aut inflammatio, sed proprie omnis morbus multos eodem temporis momento inuadens: Haly pestem definit morbum mul-

multiplicem pluribus eodem tempore communem. Et hæc multiplicatis causa est, quia ex pluribus & diuersis conflata morbis. Pestem enim comitantur febres pestilentes, bubones, carbunculi, exanthemata, ecthymata, anginæ, grauedines anheloſæ, catharri ſuffocant, paraplegiæ, flagrantes ardores, vt in Thaſo. 1. epid. ſudorifera febris, qualis ſudor Anglicus Anno 1539. Colica tempore Pauli Æginetæ; Dyſenteria ſuperioribus annis, alijque morbi contagioſi & pernitioſi &c. Illa peſtis ſimpliciter dicitur pernitioſa, quæ aduenit cum febre maligna bubonibus, carbunculis, exanthematibus & ſimilibus. Peſtilentiales verò ſunt & dicuntur, quæ accidunt cum adiectione, colicæ, anginæ vel dyſenteriæ. Generalis definitio peſtis hæc eſſe poteſt: quod ſit morbus epidemius, acutus, maximeque contagioſus & pernitioſus cum febre continua plerumq; cum bubonibus, anthracibus, maculis &c. adueniens: Ortus à maligna rei venenatæ qualitate, extrinſecus adueniente, cor inquinante, & calorem natiuum corrumpente. Peſtis etiam aliquando eſt ſine febre, vt videre eſt Hipp. 3. Epid. context. 25. 28. 55. & alibi. Item Gal. 9. ſimpl. cap. de bolo & alibi. Cauſa peſtis immediata eſt rei venenatæ pernitioſa qualitas, naturæ humanæ inimica: Seminarium verò & inquinamentum peſtis nihil aliud eſt, quam aer corruptus, & Aura ſiue vapor & ſpiritus venenatus, peſtilens, exhalans ex corporibus infectis ac putreſcentibus. Hinc & Febris peſtilens, quæ peſtem comitatur, eſt febris continua, acuta, maxime pernitioſa & contagioſa, orta ex vehementi putredine, à contagioſa rei venenata qualitate, cor potiſſimum & centrum microcoſmi affectante, ad caloris natiui ſeu humidi radicalis deſtructionem. Hic notatur quod quamuis ex putredine talis corruptio oritur, putredo tamen, quæ venenatam corruptionem præcedit, febrim peſtilentialem non producit, ſed ſimpliciter putridam: Quando ex praua victus ratione humores putreſcunt, tum febris non peſtilens ſed putrida excitatur: Sin verò ex putredine humor, venenatam aliquam acquirat qualitatem, eaq; perſeueret, aut noua accedat, oritur febris maligna, & hæc etiam nuncupatur peſtilens, diſtinguitur autem ab epidemica peſtilenti, quia à communi & non priuata cauſa trahit ortum, veluti fera venenata totas fere ciuitates depaſcit, miſereque perdit.

Concomitantia peſtis.

Peſtis ſimpliciter.

Peſtis in genere.

Cauſa peſtis immediata.

Febres concomitantes peſtem.

Putrida Febris ex humoribus putreſcentibus.

Pestis seminarium seu causa.

Dicitur autem pestis seminarium aut causam esse rem venenatam, non quia secundum substantiam suam actu venenum sit, tali modo enim omnes afficeret: sed quia ea est prædita facultate, vt in tali dispositò & applicato corpore in naturam veneni transeant aut vim veneni prorsus habeat.

Causa primaria pestis est supernaturalis.

Causa etiam prima pestis est supernaturalis, nullis accedentibus causis secundis, ratio illa est, quia à Deo nonnunquam propter nostra peccata immittitur: Talis fuit illa, qua Deus populum Israeliticum sub Dauide percussit. Compertum etiam constat, aliquando fuisse pestem, cuius causam sufficientem nec medici per inferiora, nec Astronomi per superiora reddere potuerunt.

Ethnici causam pestis ad Deũ retulerunt.

Ethnici cum causas non satis euidentes ac probabiles in natura inuenirent, & malum ipsum vulgaribus remedijs raro cedere perspicerent, causam morborum pestilentium ad Deum retulerunt. Hipp. lib. 4. de morbis, diuinam morborum causam statuit, & teste Galeno, veteres causam ad Deum retulerunt, ipseque Homerus ad Apollinem.

Causæ pestis naturales.

Causæ naturales potissimum sunt aer, & alimenta: quæ si temperamento & substantia nobis similia & familiaria fuerint, sanitatem integram conseruant; sin contraria, in qualitatibus manifestis, vel secundum substantiam corrupta, pro modo recessus sanitatem immutant.

Alimenta corpus nutriunt.

Proprium alimentorum est, vt à corpore animato alteretur, & in substantiam sibi homogeneam nutriti transmutetur: Medicamentorum proprietas erit, vt corpus alterent, non verò corrumpant: At venenorum qualitas est, vt substantiam corporum corrumpant, & calorem insitum natiuum radicalem euertant. Hinc alimentum si à sua natura recedat, & in substantia corporis non transmutetur, naturam acquirit medicamenti vel veneni: Medicamenti, si tantum dissimilem naturam in qualitatibus primis & secundis acquirat, veneni, si in contrariam vergat partem, siue corporis substantiam corrumpat. Vinum corporis nostri alimentum est, si labem contrahat, desinit esse alimentum, & vel medicamenti naturam assumit, scilicet, si temperamentum mutet, & acidum euadat, vel veneni, si corrumpatur, quod accidere solet, si vappa fiat: Eadem & ratio est cum reliquis medicamentis.

Medicamenta corpus alterant.

Venena corpus corrumpunt.

Com-

Compertum etiam est ex fame esse secutam pestem, quando videlicet populus siue exercitus fuit coactus annonæ caritate cibis corruptis aut prauis vesci, vel etiam frumenti semi putridi, carnibus putrefactis, aut carnibus animalium, quæ vi morbi alicuius mortua sunt: aut ex aquis putridis, ebibi in quibus stirpes virosæ sunt iniectæ, vt Cannabis, Brassica, &c. Eadem ac similis ratio est in internis seu proprie dictis alimentis scilicet in humoribus & humiditatibus. *Pestis ex fame, cibis corruptis, aquis putridis.*

Humores à naturali temperamento recedere, inde apparet ex corruptione sanguinis, effusi, extra venas, ac concreti in grumos: Item ex epilepsia à digito pedis; aut ex conuulsione totius corporis, ab ore ventriculi: Ex suffocatione vteri, & similibus morbis, vnde sæua symptomata & interdum subita mors. Annon ex morsu canis rabidi virus per menses aliquot intra corpus repullulat, ita & accidit in corruptis humoribus. Latent autem causæ morbificæ interdum longo tempore intra corpus nostrum, tandem autem erumpunt in actum, ab aliqua causa extrinseca concitatæ. Sic aer dum calorem cordis tuetur, similiter temperamento & natura nobis familiaris est. *Cacochymia. Plethora. Obstructiones. Aeris corruptio dulplex: A superioribus & inferioribus.*

Corrumpitur autem hic dupliciter, vel à causis superioribus: vel ab inferioribus: Causæ superiores sunt maligni siderum positus, veluti infausti inspectus Saturni & Martis, aut Iouis in signis humanis potissimum, vel in signo Scorpij (vide de his præfat. tractatus nostri 2. Basilicæ Chymicæ) Luminarium defectus, cometa potissimum in ortum vergens, insolita meteora, fulgura tetri odoris, terræ motus: Item annus magna ex parte Austrinus & pluuiosus sine ventis: alienæ temporum constitutiones, vt hyems austrina, humida, leuis &c.

Ab inferioribus causis aer inquinatur ex vaporibus fætidis ac corruptis, ex terra vel aquis exhalantibus, videlicet ex stagnis, Lacubus, speluncis, auernis, aut terræ cauernis, & fissuris propter terræ motus, ex cæde hominum in bello, cadaueribus animantium, sordibus mœchanicorum & coriariorum, ex latrinarum subterranearum aut sepulchrorum, (vbi pestis grassatur) apertione, quod scribunt authores in peste magna Asiatica factum esse &c.

Tres particulatim causæ naturales statuuntur à Galenicis pestis. 1. Aer maligna qualitate inquinatus. 2. Contagium. 3. Corrupta victus ratio, siue vsus prauorum alimentorum. Contagium *Tres particulatim causæ pestis.*

Contagiũ. veteres sub aëre sunt complexi. Est autem contagium motus procedens ab vno ad aliud, cuius merito vnius in alterum gignitur affectus:

In contagio tria necessaria. requiruntur que in contagio necessario tria, 1. Quod communicat, æger morbo contagioso laborans, aut qui prius laborauit. 2. Quod communicatur, ipsum seminarium pestis. 3. Cui communicatur: His additur medium per quod communicatur ipsum inquinamentum.

Tria requiruntur ad communicationem contagij. Ut autem contagium communicetur 3. itidem requiruntur. 1. Dominium agentis supra patiens. 2. Patientis præparatio & aptitudo. 3. Debitum tempus, quo simul corpora agere & pati ad inuicem queant. Hinc differentia petitur, quod quidam corpora facile inquinantur, quædam non. Corpora compacta, sicca, bene constituta superfluitatibus carentia, hæc minus apta sunt: contra calida, humida, laxa, porosa,

Corpora quædam facile inquinantur, quædam non. rarioris texturæ corpora aptissima dicuntur: veluti pueri, virgines, grauidæ &c. Sic & corpora referta vitiosis humoribus, obnoxia lumbricis, item homines venereis rebus nimium dediti, item perturbationibus agitatis &c. Maximã sic etiam differentiam pestis dicimus: Nam quæ pestis tempore gentilis sæuijt, viros potissimum robustos sustulit: docemur etiam ex inquinamentorum analogia, alias esse pestes

Alia est pestis hominum: alia animaliũ. hominum, alias suum, alias ouium &c. Ut enim non omnibus idem est alimentum, ita & nec vnum venenum siue infectio. Communicatur autem contagium duobus modis, aut immediate: Immediate,

Contagium communicatur immediate. dum inter corpus communicans, & quod communicatur nullum intercedit medium, præter euaporationem putridam & inquinamenta: Mediate, dum per intermedium aliquod corpus ab vno homine in alium transferuntur inquinamenta. Tale intermedium est corpus, vel aër ambiens externusque quem inspiratione & perspiratione attrahimus; vel corpus quod inquinamento ab vno facile recipit, diu conseruat, & alteri prompte communicat: corpus peculiariter vocatur pestis

Pestis fomes corpus est. fomes. Quæ communicantur ab Hippocrate μιάσματα λοιμώδη scilicet pestis inquinamenta seu seminaria vocantur. Est autem inquinamentum vapor, Aura, halitus aut spiritus venenatus à corpore infecto emanans, citò facileque penetrans, promptequefomiti adhærens, & alia corpora disposita interficiens. Præter pestem alij necnunc restant

Pestis Theophrasto qua druplex. morbi, qui morbificas euaporationes expirant, vt phthisis, lepra, scabies, ophthalmia, morbus gallicus &c. contagiosi sunt: sed sua natura & vehementia ab illis vt iam monstratur differt. Paracelsus Theophra-

phrastus quadruplicem ponit pestem, iuxta corporum elementa, vnam ex terra, alteram ex aqua, tertiam ex aere, quartam ex igne, de quibus vide ipsum de Tartaro lib.2.tract.2.cap.3.& 4. Item lib. de pestilitate tract.1.2.& lib.2. de peste cap.5.

Differentiæ pestis sumuntur vel à causis, vel à magnitudine, vel ab accidentibus consequentibus. Efficientes causæ primariæ iam ex parte sunt enumeratæ videlicet aër corruptus, & contagium: Causæ præparatoriæ magis sunt, alimenta corrupta & corporis morbosus apparatus, quæ non per se causa pestis sunt, sed sumpta occasione ab aere & contagio. Galenus dicit 1.de feb.cap.5. Pestis magna ex parte oritur, ex inspiratione aëris corrupti; Deinde subiungit, fit interdum ob eos, qui in corpore, succos, ad putrescendum idoneos; cum breuem occasionem ab aere ad febris originem conceperit animal. Fit quoque non rarò sumpta occasione à contagio. *Pestis differentia à causis.*

A magnitudine pestis alia grauis & intensa quæ multos inuadit, eosque omnes, paucissimis exceptis perdit: Qualis Athenis, teste Tucydide, fuit in bello Peloponesiaco, Romæ sub Comodo; In toto orbe terrarum Anno Christi 1335. quia dimidia pene mortalium pars perijt: In eiusmodi pestibus compertum constat, vix vnum aut duos euasisse. *Pestis differentia à magnitudine.* *Pestis grauis, lenis.*

Item alia lenis pestis & remissa est, quæ plures inuadit, quam perdit, & adeò paucos interficit. Quædam pestis medium tenet, quæ nec vehementer sæuit, nec quosuis promiscue inuadit, nec pene omnes ægrotantes perdit, sed ex 100. aliquando decem 12.20. etiam plures restituuntur. *Media.*

Tertiò ab accidentibus consequentibus: Pestis plerumque cum febre est, rarissime sine omni febre. Febris autem illa, licet intermittens non sit, nec illi generi continuarum proprie adstricta, subiecti tamen ratione, vbi putredinis sedes, plerumque continua putrida est interdum etiam Hectica. *Pestis differentia ab accidentibus.*

Fomes siue sedes putredinis aut putrescentium humorum in omni peste, non necessario est cor, sed aliæ partes interdum: Nam licet omnia venena, quatenus venena & pestilens qualitas, cor lædat, non tamen cor ipsum primariò petunt; sed quædam primò aliam partem, deinde cor. *Fomes pestis non solum in corde & in reliquis ventriculis.*

Dici-

Sedes pestis in corde 2. modis existit.

Dicitur autem sedes putredinis duobus modis esse in corde. 1. Ubi substantia cordis humiditates putrescunt. 2. Ubi humores contenti in ventriculis. Quando humiditates in substantia cordis putrescunt, febris hectica omnium pestilens oritur, quæ sola raro est sine humorum putredine. Quando humores in ventriculis cordis contenti vel vicinis partibus putrescunt, febris putrida continua: Ea varia est pro humorum putrescentium ratione. Materia autem venenata putredinis, vel sunt omnes humores, vel vnus aliquis, vt sanguis, bilis flaua, melancholia siue pituita: si sanguis, omnesque humores putrescant, febris pestilens synochus putris erit; si bilis flaua, καῦσος, aut tertiana continua; si pituita aut melancholia, quotidiana vel quartana &c. quæ omnia symptomatum diuersitas ostendit, singulæ enim harum febrium suis notis distinguuntur. Vbi exigua est putredinis copia, & plus veneni, febris videtur mitis ac placida; Non rarò valdè ardens vehemensque est, maxime in interioribus, vbi malignæ putredinis, ingens copia, ex qua sæpe interiora vtuntur, exteriora frigent, febrisque lypiria oritur. Febris pestilens Diaria ex sola spirituum putredine proprie non datur, nisi fortasse initio priusquam humores & solidam cordis substantiam inuaserit. Nec sudor ille Angelicus, exquisite ephemera fuit, licet ad vnum diem aut paulò amplius perdurarit, cum ephemera sæuissimis symptomatibus careat, & lethalis non sit, nec immodicis aut copiosis sudoribus terminetur. De symptomatibus pestis eorumque causis, item de Bubone pestilenti eiusque differentijs &c. tractabimus in libro sequenti tertio, vbi sumus & de morbis principaliorum membrorum Deo dante acturi.

Febris pestis varia pro diuersitate humorum à sua natura descendentium.

Febris pestilens Diaria.

Sudor Angelicus.

***

TRA-

Tractatus I.

BASILICÆ MEDICÆ

LIBER III.

De Therapeutica Medicinæ Galenicæ Pars Tertia.

CAPVT I.

De sex Rebus Non Naturalibus in genere.

THerapeutica vtitur tribus Instrumentis. 1. Διαιτητικῇ, 2. φαρμακευτικῇ. 3. χειρουργικῇ. Hic primo agemus quid sit Διαιτητικὴ quæ tractat de rebus non naturalibus: Postea & de reliquis.

Res non naturales possunt reduci ad ea, quæ vel Assumuntur, vel geruntur, vel excernuntur & retinentur.

Ad ea quæ assumuntur, pertinent Aer, Cibus ac Potus.

Ad ea quæ geruntur, quo pertinent, Motus ac quies, somnus ac vigilia & tertio perturbationes.

Ad ea quæ excernuntur & retinentur, quo pertinent, Excrementa, qualia sunt alui & Vesicæ, Deinde sudor, tertio Venus &c.

Aer Corpus Humanum vel Conseruat vel immutat: Conseruat qualitate salubri, ita sit temperatus in qualitatibus primis. 2. Purus. 3. Serenus. 4. Perflatus leuibus ventis, 5. Irrigatus interdum salubribus pluuiis. *Aer Corpus conseruat.*

Aer corpus Immutat. Immutat, qualitate praua, quæ dupliciter oritur: vel ex inquinatione vaporum ex ſtagnantibus aquis, vel cadaueribus, vel cloacis aut ſpecubus &c. Secundo oritur ex Intemperie aliqua vt quando eſt nimis vel Calidus, vel Frigidus, vel Humidus aut ſiccus.

Afficit autem Corpus Humanum aut quatenus inſpiratione attrahitur: vel quatenus inſinuat ſeſe per poros & ſpiracula Cutis.

Aeris conſtitutionem mutant 1. Situs. Aeris conſtitutionem quinque mutant. 1. Situs locorum & regionum, prout habent radios ſolis eosq; rectos vel obliquos.

2. Terræ facies. 2. Terræ facies, quæ vel edita & montoſa, vnde aer ſiccus, vel Humilis & lacuſtris, vnde aer Humidus.

3. Ventus. 3. Ventorum varietas, ſunt enim Venti Orientales temperatiores & ſicciores: Occidentales temperati aliquantum, ſed tamen ad Humiditatem vergentes: Auſtrales Humidi: Septentrionales frigidi.

4. Vicinitas Maris. 4. Vicinitas Maris & Lacuum, vnde vapores multi ſurgentes aerem faciunt Humidum.

5. Tempus. 5. Tempora Anni, eſt enim plerumque aer, tempore Verno Temperatus, Æſtiuo, Calidus ſiccus, Autumnali frigidus ſiccus, Hyemali, Frigidus Humidus.

Alimentum Sub Cibo ac Potu Intelligitur Alimentum, quod ſubſtantiam noſtri corporis augere & nutrire poteſt. Hoc neceſſarium eſt, quoniam Corpus in perpetuo fluxu eſt, ideo in locum abſumpti aliquid iterum eſt reponendum.

Alimenta duplicia. Sunt autem Alimenta duplicia 1. Propriè & verè alimenta quæ tantum nutriunt. 2. Alimenta Medicamentoſa, quæ cum nutritione etiam alterandi facultatem poſſident.

Alimenta lædunt. Alimentum lædere poteſt tripliciter 1. Vel Quantitate, vnde grauatus ventriculus non coquit, & generatur Cruditas. 2. Vel *Qualitate.* Qualitate, quando alimentum vel eſt nimis calidum, frigidum, Humidum, ſiccum: Vel eſt praui ſucci: denique Difficilis Concoctio- *Subſtantia.* nis. 3. Vel ſubſtantia, qua ratione obſtructiones pariunt alimenta craſſi ſucci.

Motus duplex. Motus eſt generalis vel ſpecialis: Generalis eſt totius corporis, *Motus Generalis.* qui vel conducit, vel nocet; Conducit quando eſt Moderatus, ita vel

vel soliditatem corpori affert ex mutua membrorum attritione: vel Calorem auget, vnde felicior fit nutritio: vel Spiritus mouet, vnde vapores & Excrementa per poros discutiuntur.

Motus nocet nimius, ita vel inducit intemperiem aut solutionem continui. Intemperiem vel calidam vel frigidam: Calidam per se, quia Calor auctus Humores & Spiritus inflammat: Frigidam vero per accidens, dum videlicet Spiritus exhaurit, & ita Corpus refrigerat, vel Coctionem impedit.

Solutionem continui inducit, rumpit enim vasa vnde Vomitiones cruentæ, Expuitiones & Mixtiones cruentæ.

Motus specialis, singularium partium est, & ita confert pedibus cursus, Thoraci cantus & vociferatio, Brachiis iactitatio. *Motus Specialis.*

Quies etiam conducit ac nocet: conducit 1. quæ Temperata est, hac enim Spiritus defatigati recolliguntur. 2. quæ sequitur Exercitia moderata. *Quies.*

Nocet, si sit nimia, quia parit Morbos frigidos, dum Excrementa non discutiuntur: Aut Calor Natiuus obtunditur: & denique concoctio & distributio alimentorum impeditur.

Vigiliæ prosunt atque obsunt: Prosunt moderatæ. 1. Ita Spiritus & sensus reddunt vegetiores. 2. Distribuunt calorem in partes corporis. 3. Adiuuant alimenti distributionem. 4. Promouent propulsionem excrementorum. Obsunt immoderatæ 1. Ita dissipant Spiritus, præsertim Animales. 2. Exiccant corpus præsertim cerebrum. 3. Augent bilem. 4. Morborum Calidorum causæ fiunt. *Vigiliæ.*

Somnus Itidem prodest ac nocet: Prodest 1. Qui vires defatigatos refocillat. 2. Spiritus dissipatos instaurat. 3. Calorem ad interiora revocat, & concoctionem iuuat. 4. Curas tollit. 5. Animum reddit serenum ac tranquillum. 6. Lenit siccitatem senectutis Humectando. *Somnus.*

Somnus nocet immoderatus quia 1. Is Spiritus obscurat, & torpidos reddit. 2. Inducit segnitiem menti & memoriæ. 3. Cumulat Crudos Humores. 4. Calorem natiuum suffocat.

Discreta ac Retenta conferunt, si vel Excernenda excernantur debito tempore, vel retinenda retineantur debito modo. *Discreta ac Retenta.*

Excreta & Retenta nocent 1. Si retineantur excernenda, vt in retentione fœcum alui, vel Vrinæ, Muci, Sputi &c. 2. Nocent si excernantur retinenda, vt in Excretione sanguinis è naribus, vtero & Hœmorrhoidibus, Item in Excretione seminis.

Affectuum animi, alii conferunt sanitati, vt gaudium moderatum & animi tranquillitas.

Perturbationes Animi.

Affectus Animi nocent, vt perturbationes Animi, quales sunt 1. Ira, qua Spiritus & Sanguis quasi efferuescunt, hinc Spiritus turbantur, Humores agitantur, & Febres generantur. 2. Gaudium nimium, quo Spiritus repente dissipantur. 3. Timor, quo Spiritus ad Interiora recurrunt, & externa deferunt, hinc Spirituum dissipatio, & caloris Natiui suffocatio. 4. Mœstitia, qua paulatim Spiritus dissipãtur, hinc vel inducũtur Vigiliæ, vel Vitiatur concoctio, Denique refrigeratur & siccatur corpus, vnde Morbi Melancholici. Hæc in genere de sex Rebus non naturalibus, nunc in specie eas ad Examen reuocabimus.

CAPVT II.

De Aere & Vento.

Aer spiritualis subiectus variis mutationibus.

Aer est tenuis ac spiritalis vapor, variis mutationibus suaque mobilitate & instabilitate nobis obnoxius, modo enim has modo illas qualitates excipit, vt ex calido repente frigescat, ex frigido promptè recalescat, ex Humido ficcescat, ex sicco humescat, prout ab Elementis, cœlo terraque, variè in ipsum influentibus, exagitatur. Hinc temperamentum nostrum variè immutatur, secundum varias eius qualitates.

Temperamenti mutatio varia secundum varias qualitates.

Hoc docent Aetius & Ægineta hisce verbis: Verum ambiens nos aer temperamenta mutat atque peruertit, dum aut immodicè calidior, aut frigidior, aut siccior, aut Humidior euadit. Nam reliquis causis non omnes simul obnoxii sumus, neque per totum diem occursamur: Aer autem nos ambiens forinsecus omnibus nobis circumfusus est, & per inspirationem trahitur. Necesse igitur, vt ad

vt ad Mutationes eius iuxta Temperamentum ipsius coafficiantur etiam animalium corpora &c.

Nec difficile est diuersas eius cognoscere Mutationes, siquidem ad 4. anni tempora, prout Influens Sol, aut syderum affluxus eum exceperit mutari solet. Verno tempore, quando Sol ad naturam aeris accedit calidam & mediocriter Humidam, temperantur bene omnia tanquam ab optimè temperato. Æstiuis diebus cum acrius ex Sole incalescit, ardentior & siccior, quam bona ferat temperies, euadit: sic Autumno frigidior & siccior est, quam fert eius natura, hyeme vero totus refrigescit ac Humescit. Nec vero Sol ipse tales exercet vires, verum etiam Luna omnes suas proprietates in ea inprimit Elementa, & præsertim iuxta quaternam formam, quam crescendo & decrescendo assumit, ita vt in quouis quaternione sui cursus 4. modis aerē etiam diuersimode afficiat, vt scribit Galenus, & Aetius Tetr. 1. ser. 1. cap. 162. Primus septenarius à nouilunio vsque ad septimum diem veri similis est, Calidus & Humidus, secundus vero septenarius vsque ad plenilunium, Æstati: Tertius Septenarius decrescente Luna, Autumno, quartus & Vltimus Hyemi.

4. Anni tempora varias cum syderius i ntrudūt in hæc inferiora mutationes.

Diuersæ lunæ proprietates secundū quatuor ipsius septenarios.

Verum eiusmodi mutationes non tantum in singulis 4. anni vel mensis temporum quaternionibus, iuxta Solares & Lunares periodos agnoscuntur, sed etiam singulis diebus quadripartitè etiam dimensis obseruantur, vt iidem authores scripserunt: Siquidem cum matutinum tempus calidum sit & humidum, respondet Veri: ideoque etiam corpora tum sanorum, tum ægrorum melius habent, & febrientibus hoc tempus benignius. Medium diei, æstati confertur, vt crepusculum Autumno, & Vespera hyemi.

Quin & in ipsa nocte quatuor ista discrimina notantur, primaque illius pars Veri, secunda Æstati, tertia Autumno, & quarta Hyemi assimilari potest. Vnde Medicis de morbis iudicandi magna occasio. Porro ortus & occasus quorundam syderum ac stellarum, cum heliacè oriuntur vel chronicè occidunt, iuxta præscriptam ipsis à Creatore legem, magnas pariter subitasq; mutationes inducunt, quibus aer afficitur, vt contingat etiam ventos inde contra naturam suam varias alterationes subire, aliter, quam pro more

Virtutes astrorū & stellarum.

ſpirare, ac præternaturales qualitates inferre. Nonne id magni interest obseruari à Medico & studioſe diſci? Cum ſanorum corpora, multoq; magis ægrotorum, iuxta aeris ſtatum alterent, vt ſupra diximus. Atq; hinc liquet, cœli, hoc eſt, Aſtrologiæ cognitionē, vſq; adeo neceſſariā eſſe Medico, vt eius ignarus Medici nomine ſit planè indignus. Annon enim circa 21. aut 22. Martii diem, quo tempore Sol arietem ingreditur, & Pegaſus equus mane exoritur, exiſtente tum Verno æquinoctio, magnas mutationes in aere & perturbationes, incaleſcente tum aere, fieri, vnde tellus antea ſterilis impręgnatur, ſinus ſuos reſerat, ſuccos exprimit, & germina quæq; cum floribus explicat, vt longè quid diſſimile à priore aere magna cum voluptate intueri liceat. Nec minus alterationem iſtam aeris perſentit aqua ex coniunctione & concurſu ſtellarum & aſtrorum: Siquidem maria tum temporis magis turgent: Quin & vina ſyderum vires experiuntur, dum doliis ſuis incluſa inferueſcunt, turbantur, nec non etiam vappeſcunt, & aliquando corrumpuntur. Non dubium eſt igitur, etiam corporis noſtri perindē commoueri humores, & vna plurimos morbos inde procreari.

Aſtronomia Medico neceſſariam.

Varii aſtrorum effectus in inferiora.

Proprietates Pleiadum.

A 18. 19. & 20. die menſis Aprilis, atque aliquot poſt diebus, Pleiades ad tauri oculum ſitæ exoriuntur cum Sole, quæ cum ſydus ſint frigidum, vſque adeo calorem Solis illico coercent & refrigerant, vt longè frigidior aer reddatur, quàm menſe Martio, tunc temporis certi quidam dies dicuntur vulgari prouerbio, Vindemiatores, qui vindemias anni tunc temporis expediant, quos vocāt Georgetum, Marquetum & Creuſetum, quod ſcilicet tunc temporis nō nunquam vitium germina congelarint, & omnem vuarum ſuo tempore colligendarum, ſpem præciderint.

Proprietates Orionis & hyadum, in ipſorum coniunctione.

Vigeſimo octauo eiuſdem menſis, Orion cum Sole, aut propemodum æquè cito occidit: hyades vero circa primum Maii helíacè oriuntur, quę quidem ſydera nihil præter tempeſtates, pluvias & magnas id genus mutationes, cum propè ſolem conſiſtant, minantur & ſuſcitant. Hinc aeris rigores & congelationes, hybernis æquales menſe Maio ſæpe deprehenduntur.

Septimo Maii Pleiades incipiunt manè exurgere, à quibus Sol recedere indicatur, paulatim Tauri domū deferens, vt ad Geminos

tranſeat

transeat Amyclæos, quo tempore aer temperari incipit omnisque tollitur vehementioris frigoris motus.

Ad sextum Iunii statim post occasum Solus Arcturus occidit, no no vero die Delphinus ante Solis exortū emergit, tertioq; aut quarto & vigesimo Orion pariter manè oriri incipit quo tempore Sol Cancrum ingreditur, Solstitiumq; æstiuum fit, vbi per aliquos ante & post dies, aer miras alterationes subit, quibus idcirco corpora nostra acutis & periculosis morbis afficiuntur. *Mutatio temporis in Solstitio æstiuo.*

Tertio Iulii die totum Orionis astrum ad Orientem conspicitur, cuius præter tres illas stellas insigniores & primæ magnitudiniis, eundem ordinem retinentes, quas idcirco Galli lituū aut Musicam fistulam vocant, nec non & reges tres illos Orientis, seu Magos, triginta & quinq; aliæ tum secundæ tum tertiæ magnitudinis extant, quæ non ita cito nec æquo gressu apparent, quod aliæ aliis longius distent. Vnde diximus supra 24. Iunii Orionem cœpisse manè, tertio vero Iulii totum & integrum exoriri.

Decimo quarto eiusdem mensis Procyon aut canicula mane exoritur 19. Canis, stella ardens & ignea manè quoq; surgere incipit, cum Sol Leonem ingressurus est, quæ est domus exaltationis Solis, qui ad Canem accedens ab eo ardentius irradiatur totusq; aer inde acrius incenditur, vnde tum temporis insignes quoque aeris mutationes & perturbationes maximæ excitantur: atq; hi dicuntur caniculares dies, qui corpora nostra valde incendunt, vt non immerito præceperit Venerandus Hippocrates, ante Canem & post Canem difficiles esse medicationes.

Decimo septimo Septembris Arcturus exoritur, qui ortu suo magnas turbas & mutationes excitat in aere. *Arcturus aerem turbat.*

Decimo nono assurgit spica mane pariter, quæ aerem paulò ante & post exortum per aliquot dies exagitat quoq; & perturbat: ilico post Sol Libra ingreditur, vbi æquinoctiū sit Autumnale, quo etiā tempore magnæ aeris turbæ & cōmotiones suscitantur, nec nō aquæ & terræ simile quid patiūtur, quēadmodū Verno æquinoctio, vt supra docuimus, affici solent. Vnde & tū tēporis corpora nostra variis morbis ex humorū pturbatione lacessuntur. Eā ob causam cauendū, vt monebat Aetius, ne venā secemus neq; purgemus, neq; *Periculosum medicari sub æquinoctio Verno.*

alias

alias vehementi motu exerceamus à decima quinta Septembris, vsque ad 24. eiusdem mensis.

Vigesimo tertio Octobris, quo tempore Sol oritur, Pleiades eodem occidunt, quo momento magna aeris perturbatio.

Circa finem Octobris & Nouembris initium perspicitur Orion vesperi in Oriente exurgere, cum Sol occidit, & adhuc moratur in Scorpione, Orionis capitali hoste: Vnde magnæ tempestates in aere, qui variis turbinibus & horrendis procellis exagitatur.

Temporis obseruatio à stellis petita.

Primo Decembris canis occidit matutinis horis, quæ dies, vt scribit Aetius *lib. & cap. iam citatis*, si tempestuosa (vt à multis obseruatum est) perseuerat plerunque aeris turbatio ad dies 37. si vero serena fuerit, per totidem dies serenitatem promittit.

Caper aut Capra manè etiam occidit, aliquot diebus ante hybernum Solstitium, quo tempore Sol ad Capricornum diuertit, hyemsque glacies suas in regione aeris inchoat, vnde corpora nostra Rheumatis & defluxionibus opportuna fiunt, scribit Ægineta lib. 1. de remed. cap. 100. Solstitium hybernum, inquit, auget in humoribus defluxionem ac humiditatem vsque ad Æquinoctium Vernum.

Has si tempestates in aere, & in corporibus nostris commouent eiusmodi sydera, quid de vtroque illo magno luminari dicemus, quorum effectus tam dilucidè nobis, reuolutione, motu, cursu & recursu, varias ac insignes aeris mutationes inducentibus patefiũt. Cum enim Sol annuo suo curriculo quatuor tempora constituat, vires suas apertè testatur, & rerum omnium ortus, incrementa, statum & earundem decrementum ac interitum tandem efficit.

Solis vis & efficacia.

Siquidem à nobis eo recedente conglaciatur aer, rigescunt omnia, frigore constringuntur meatus, calor vitalis prorsus suffocatur: Plantæ arescunt, & virore suo spoliantur, arbores ipsæ quoque fructuum steriles veluti moribundæ langueſcunt. Tunc præsens rebus ferè cunctis incumbit interitus, quod humore destitutæ caloreq; priuatæ, & subindè frigore nimio exsiccatæ, virtute radicali & humiditate prorsus exhauriantur.

Vnde plantarum & arborum mors.

Eodem ad nos redeunte & domicilium Arietis ingresso, incipit frigus illud mitescere, tepidisq; eius radiis ac summe vitalibus, aer ac

aer ac terra moueatur, quæ sensim incalescens & sinum suum reserans, humorem radicalem in animantes omnes dispergit, quo eædem reuiresçunt, repullulant, nec non tandem fructus ad maturitatem perducunt, prout ea, variis Naturæ ignis gradibus, à magno illo luminari irradiata promouetur, & ad operandum excitatur, qui ignes, vt diuersis illis anni temporibus, Verno scilicet, æstiuo & autumnali variantur, sic varia producuntur fructuum genera. Nec tantum istius luminaris effectus & vires in plantis conspicuæ sunt, sed in animalibus etiam omnibus, præcipuoq; in homine elucescunt. Nam, scribit Actuarius, Nostrum omnem in imo sibi familiari cognatoq; delitescentem loco, calorem ad cutem prolicit, atque ob eiusmodi impetum ex insidente etiam materia, multa variaq; circa totius corporis summam cutem iam effloresçunt, quippe exanthemata, papulæq; ac sudamina seu sudores erumpunt. *Vnde multorum morborum causæ.*

Quemadmodum enim terra toto vere amori indulgere videtur, quo incipit fœtus suos, id est, germina efformare, fouere & excludere: Sic animalia ad eam temporis mutationem tota amoribus & libidine rapiuntur, tunc auiculæ ouis incubant, omniaq; speciei sibi simili producendæ incumbunt. Naturalis quoque noster calor, antea intro à frigore compulsus, incipit per totum corpus expatiari, & membra nostra sensim concalfacere, vnde tandem sanguis noster feruere & turbari, vt vina in cellis, excãdescere cernuntur. Hinc variæ papulæ, pruritus, scabies & sudamina circa corporis summam cutem effloresçunt, hinc varia exanthemata erumpunt. Hinc præ nimia sanguinis aliorumq; humorum commotione paroxysmi morborum à parentibus contractorum, vt arthriticorum, & id genus aliorum, alioqui delitescentes & quieti excitantur.

Atq; hæ sunt ingentes & admirandæ aspectuum diuersorum summi illius luminaris in omnia naturalia virtutes, quibus permotus Actuarius, libro & capite iam citatis addidit, quæ sequuntur: Porro iam pridem tum animalium, tum plantarum essentia marcore tabuisset, nisi demirandas has anni tempestatum mutationes Sol esset molitus. Nunc vero cum alia aliis præparet & dispenser, rerum ortus, interitus opifici ceu instrumentum est effectus, Terra

enim, mare, omniaq; eius facultate referta sunt, adeo Sol in omnibus, quæ mutantur, corporibus, mirandum est opifici instrumentū.

Ad hæc luna suis incrementis, decrementisq; tempestatum vicissitudines imitatur.

Huius autem secundi luminaris, vtpote terræ citimi vires & effectus, vsq; adeo omnibus patent, vt plura de his dicere hic supervacaneum videatur. Hoc tamen possumus addere, quatuor eius periodorum septenarias mutationes non parum ad dierum decretoriorum, cognitionem conferre, quod à Medico cognosci, & optimè intelligi summe necessarium est.

De populatibus & passim vagantibus ac pestilentibus morbis, sed & regionis natura sæpè communes morbos inuexit, aere, quem inspiramus, à putredinosa euaporatione inquinato, causa vero talis putredinosæ euaporationis aut mortuorum multitudo est, velut in bellis contingere solet, aut stagna, aut barathrum aliquod profundum, aut paludes quædam in propinquo, quæ venenosam ac prauam exhalationem emittant.

Sic Ægineta lib. 2. remed. cap. 3. de populatibus morbis inscripto, eadem prope docuit his verbis: Sed & locorum naturæ cōmunes, inquit, morbos sæpè inuexerunt, quandoque paluſtrium, quandoque barathrum vicinum habentium, quod exhalationem venenosam ac prauam emittit. Atque hæc frequenter contingere solent. Verum ambiens nos aer mutat temperamenta, siue immoderatè calidior, siue frigidior, siue siccior, aut humidior fiat, &c.

Definitio venti. nunc de Vento. Ventus nihil aliud est, quam aer in aliquam partem fluens aut aeris commotio, vi sese quadam insinuans, & quo collineat, recta tendens. Aut cursus aeris paulo vehemētior solito.

Aer enim fluit quidē & mouet sed q̄ leuissime, & subtilissimè, vt sensum omnem fugiat: at ventus flatus est vehementior. Hinc discipotest discrimen inter aerem & ventum, vt scribit Seneca, apud quem, quæ sit ventorum materia, quæ causa eorum præcipua aliaque multa huius argumenti præclarissima legi possunt, quo idcirco lectorem relego, ne videat prolixior.

Lib. 3. quæstionum naturalium.

Annon ventorum magna nascitur pugna atque commotio, quando vapores tenuiores, quæ è terra exurgunt, & ad frigidam illam &

lam & glacialem aeris regionem attolluntur, progredi vlterius nequeunt, sed remeare coguntur, vbi in receſſu ſulphureis quibuſdam exhalationibus aer vndequaq; conſtringitur ac comprimitur, liberumque exitum captiuitatis impatiens quærit, regrediendo cum impetu, omnia contingit & diſſicit, magnaq; vi conſpirat, vt ex anguſtiis iſtis emergat, videmus & perſpicimus. Inde fit, vt ventus oriatur pro materiæ copia & moderatione, modo lenis, modo vehemens, modo magnis boatibus aerem replens, modo blandius ſpirans. Eiuſmodi affectus indicat aqua globulo ferreo vel æneo incluſa, qui foramen ſeu cubulum admodum anguſtum habeat, aciculis ligulæ non diſſimilem, nec ampliorem, is, inquam, globus, ſi variis ignibus admoueatur, qui aquam expirare cogant, quæ tamé liberè ob foraminis anguſtiam exhalare nequeat, videre licet quanto ſtrepitu ventum globus ille producat, at huiuſmodi inſtrumentum flabellum aquæ indè à Philoſophis vocatum ſit, quod etiam ſua flatus violentia, vim idoneam habeat metallum liquandi. Qui huius demonſtrationis ſedulo expendendæ fuerit ſtudioſus, illius indicio facile ventorum origines ſiue lenium, ſiue violentorũ percipiet. Antea pridem abundè in 3. magni mei ſpeculi mundi libr. pertractaui, vbi fuſe de natura, differentiis, cauſis tum materialibus, tum formalibus ventorum diſſerui, nec non de eorum ſitu, nominibus, numero, tum ex antiquorum, tum recentiorum ſententia.

Vnde ventus oriatur.

Vulgare exemplum quo venti generatio demonſtratur.

Flabellum aquæ.

Nomina, Numerus & ſitus ventorũ.

Cognitio venti apprime vtilis & neceſſaria Medico eſt ob varias mutationes, motus & affectiones, quas ſinguli ex ſua proprietate, certis temporibus in corporibus noſtris excitant.

Motum autem ſuum venti inchoant à ſuperioribus aeris partibus obliquumque eum habent, ad latera ſcilicet & partes ſibi oppoſitas ſpirando. Eandem illi originem naturam & qualitatem obtinent, at quæ ex variis locis, vbi naſcuntur, aut per quæ tranſpirant, nouas proprietates & mutationes acquirunt. Auſter in Lybia calidus eſt & ſiccus, at cum per mare tranſit mediterraneum, magnã ex eo humiditatem contrahit, vnde redditur calidus & humidus atque hinc putridus & corruptus, qualis in Gallia Narbonenſi deprehenditur.

Auſter vnde humiditatẽ ſuam acquirat.

Boreas maximam suæ frigiditatis partem ex niuibus & rigoribus Scythiæ, per quam transit, contrahit. Atque sic de aliis.

Communes aut quotidiani venti frequentius vere & autumno spirant, quam æstate & hyeme, idq; quod temporibus illis copiosiores vapores & exhalationes in aere generentur, quæ æstate Solis ardore statim absumuntur, hyeme vero in penetralibus terræ vētos procreari, horum rationes & causas videbis apud Senecam.

Quod ad numerum, quatuor sunt præcipui venti, qui cardinales vocantur, quorum sedes sunt orientalis plaga, occidentalis, meridionalis & septentrionalis, qui singuli ad vnumquodque latus singulos alios habent ventos collaterales, vnde numerus consurgit duodecim ventorum.

Nomina Vētorum.

Præcipuus orientalis plagæ ventus subsolanus dicitur, à nautis Eſt vocatur, qui recta sub Æquatore spirat versus auroram. Eurus qui nautis sub Eſt dicitur, illi adstat à parte solstitium hyberni: Cæcias vero dictus Nord Eſt à parte ea cœli, vbi in longissimis diebus Sol ortum suum habet, quod solstitium æstiuum est. Inter illos Subsolanus omnium saluberrimus est & temperatissimus, in quam partem spectare deberent ædificiorum feneſtræ. Eurus alter eius collateranorum, cum strepitu & vehementia spirat, multasq; densas & aquosas caligines suscitat: Cæcias vero sex Nord Eſt alter collateranus instabilis est & inconstās ac propemodū semper nubilus.

Quin vero ventus ex diametro Subsolano opponitur, Fauonius est, Græcis Zephyrus & nautis Sou Eſt, qui occidentalis est vētus, blandus ac lenis frugumq; nutritor, quod sub eodem Æquatore perspirat ab occidentali plaga, cuius ex sociis vnus à parte solstitii æstiui Corus vocatur vel Nord Eſt nautis, qui plerunq; nobis grandines suscitat à nubibus Orientem caligat: Qui vero à parte est hyberni solstitii vocatur Lybs aut nautis Sou Eſt, qui Austri vicini sui naturam participat. Qui quidem Auster aut Noſſus, nautis Su, recta linea à meridionali parte spirat ad axem seu polum Antarcticū. Comes illi à parte Orientis astans, Euro Auster dicitur. Qui vero ab occidente cum stipat Auster Aphricus. Hi omnes venti calidi, humidi, pluuioſi & procelloſi sunt.

Qui huic Austro meridionali vento è directo opponitur, Boreas di-

citur, Tramõtanus aut Nord nautis; ventus vtiq; frigidus & siccus, nubesque fugans, solemque reducens, vt canebat Virgilius: Comitem habet ab orientali parte Circium, ab Occidentali vero Aquilonem, ventum sanè violentum, rigidum & asperum ac omnium vehementissimum.

Obseruatio de ventis simul spiranti bus.

Nota venti qui è directo inter se opponũtur, vt Auster & Boreas, subsolan⁹ & Fauonius, nunq; eodẽ tempore simul sub eodẽ spirare Horizonte: at qui obliqui sese intuentur, simul conspirant, vt plurimum, ac quo obliquiores sunt, eos maiores concitant tẽpestates.

Qui venti sint salubriores.

Inter eos Orientales, vt diximus, aliis sunt salubriores, secundum locum obtinent Septentrionales, tertio salubritatis loco censentur Occidentales. At Australes & meridionules sanitati corporis humani sunt infestissimi. In hoc argumentum conferri potest, quod scribit Aristoteles lib. 2. Meteor. cap. 5. & 6. Item Plinius lib. 2. cap. 22. inuentorum autẽ virtutibus ac effectis licet serio diuinã prouidentiã demirari, quæ ob diuersas rationes vtiles & necessarias sic de illis cõstituit, vt in aere varias ac diuersissimas operationes exercerẽt, modo aerẽ, ne torpeat & putrescat otio commouentes & exagitantes, vt quicquid putredinis habet, suo perflatu excutiant, quo animantibus omnibus reddatur vtilior, modo cœli terræque temperiem fouentes, qua interdum nimius Solis ardor refrigeretur, ac quæ ab eo regnatur rerum semina, oblædantur, & vitali suo humore exsiccentur. Interdum vero venti præstant, vt calidior aer non mediocri cum commodo frigidiusculus reddatur, & hoc auxilio terræ producta matureſcant, & ad iustam perfectionẽ promoueantur. Calidiore enim aere opportune reddito, & ventis idoneis agitato, radicũ succi ad fructus suos ptrahuntur, frigoris q; meatus terræ constringẽtis vis infringitur, ne q̃ amplius ad fructuũ plenam maturationẽ impedimentũ accedere possit. Interdũ illorũ flatibus terra humectatur, vnde capit alimentum, quod pluuiis fit hic illic cadentibus. Solent enim agitatione sua venti pluuiosos nimbos huc & illuc dispergere, ne quid in terra cœli benignitate destituatur. Aquilo nubes à Septentrione fugat ad meridiẽ: Auster meridionalis ad septentrionem. Sic de reliquis autumandũ in genere. At priuatim in singulis regionibus quantæ sint eorum

De ventorum vsu & vtilitate.

vtilitates, aperte eluceſcit, vt qui aliunde ex variis locis exceſſus, & impedimenta afferuntur, de medio tollant, aut quæ ingruunt procellæ & tempeſtates. Porro de ventis dicemus, nunquid illos omnium ſordium, putrefactionum ac infectionum eſſe repurgatores acemundatores agnoſcimus? Nunquid ipſorum opera ipſa flumentorum grana, ſpicæq; ſua lanugine & immunditie expurgantur, & ſordibus excutiuntur.

Sanè maria inuia ex Dei prouidentia traiici & permeari poſſunt, imo ex ſententia Senecæ lib. citato, vt inde negotiationes & commercia inter homines admodum natura & moribus inter ſe alienos exerceantur, & familiaritates amicitiæq; contrahantur, atq; vt Homo, quæ procul à ſe diſtant, cognita habeat: Etenim, inquit, mere pecus fuiſſet omni experientia carens, ſi concluſus manſiſſet ſui ſoli cancellis. Arrigant aures quidam Medicorum, qui tantum ſibi arrogant, vt alios perfricta fronte (cum ipſi nihil norint, ſed in perpetuis cineribus ad focum ſuum volutentur) cenſuris ſubiicere conentur: Diſcant ex Seneca, quàm apte illis congruat hæc lectio.

Ad inſtitutum redeamus & oſtendamus porro de ventis, quæ perinde ac aer præſagia portendant. Docti ac in experientia verſati Medici, prudentesq; agricolæ, gubernatores nauium in arte ſua peritiſſimi ac inſtructiſſimi, ſagaces Duces & milites opportune mutationes iſtas obſeruant, earumque vſum apte vſurpant. Illud ipſum animalia norunt, quorum viuax & acutus ſenſus eximie mutationes iſtas ſubodoratur.

Certum eſt animalia à temporum mutatione prognoſtica ſumere, nec non & ipſi homines. Quin permulti ſunt, qui ex dolore capitis temporum mutationes certo certius præſagiebant. Qui herniis aut rupturis obnoxii ſunt, illud ipſum facile percipiunt. Auſtrum enim mox perflaturum prænunciant. Boreali vento ſpirante & ſerenitatem aeris afferente, qui auditus grauitate laborant, aut ſubſurdeſcunt, tũc facilius audire incipiunt, qui alioqui cum denſus, nubilus ac pluuius eſt aer, Auſterq; fuerit, omni propemodum audiendi facultate, priuantur, quo etiam tempore increſcunt defluxiones, & omnia catarrhorum genera. Vnde ſatis ſuperque conſtat ex diuerſis ventorum mutationibus & proprietatibus, varias in corpore noſtro, eiuſq; humoribus alterationes ſuſcitari. Sunt

Sunt quidam venti, qui peculariter in quædam corpora & nonnullas regiones effectus admirandos edunt. Thraces enim ob crassum regionis quam incolunt aerem, crassum itidem habent cerebrum! Obliuiosi enim planè sunt, desides & torpescentes, ita vt vltra quatuor vnitatum numerum, dum subducunt rationes, progredi non possint, quin priora obliuioni tradantur, si plurium vnitatum numeri adiiciantur. Guido Bituric. ex Herod. *Thraces crassi cerebri & labilis memoria.*

Bæoti ab aeris impuritatem crassis ingeniis præditi fuerunt, vnde Horat. *Bœoti similes Thracibus.*

Bæotum crasso iuraris in aere natum.

In Lesbo apud Mytilenem Austro flante ægrotant homines: Coro tussiunt, à septentrione in integrum facile restituuntur.

Quin obseruatur certis annis, menses quosdã vsq; adeo incalescere interdũ, vt fruges ões terræ hoc caloris excessu prorsus exardescant, prout mense Iunio anni 1113. accidit, quo spe omnium suarum frugum, quam conceperant maximam agricolæ, ex illius mensis aduſtione prorsus cassi fuerint. Illo etiam anno mensęq; accidit, vt syluæ aeris incendio prorsus absumptæ fuerint. Ex qua tanta intemperie paulo post graues & diurni morbi, variè in corpora humana grassati sunt, quos lethales pestes secuti sunt. *Cæl. l. 2. c. 18. antiq. lection.*

Circius Ventus tanto furit impetu, ac vehementia in occidentalibus Noruegiæ ripis, vt si quis ipso flante iter suscipiat, ac susceptum perficere tentauerit, id citra suffocationis ac vitæ periculum non præstet. Is porro ventus in illis regionibus adeo intense frigidus est, vt nec arborẽ, nec fruticem germinare permittat. Quo fit, vt ob eorum defectum in ignibus struendis, cibisq; coquendis, ossibus magnorum piscium vtantur, vt scribit Olaus Magnus. *Vincentius. Circius Ventus.*

Mehercule sane si alicuius loci aer crassus, nubilus, pluuius, aquosus, corruptus & malignus, aliquando ex locorum stagnis, paludibus, mortuis & infectis aquis deprauatur, aut etiam cloacis, gurgitibus & putidis exhalationibus è terra surgentibus, nec non animalium cadaueribus, aliisq; id genus corruptionibus inquinatur, vnde hominum habitationes inficiantur, ibi homines hærere nequeunt citrà valetudinis detrimentum, quod aer quem singulis momentis hauriunt, prorsum illis sit aduersus & exitialis assiduamque *Aer salubris vel insalubris.*

que mortem minetur. At vbi ædes hominum aeri sereno, claro, puro, & malignis omnibus exhalationibus carenti expositæ fuerint, ibi vita hominum diu conseruatur, ac eiusmodi diuersoria, iis, qui vitam diu sanam tectam & integram sanitatem, quantum natura patitur tueri volunt, quærenda sunt.

Aerem alium corrigi posse alium non.

Inter varias illas aeris qualitates nonnullæ sunt, quę vitari nequeunt, aliæ vero possunt. Præcipue ille autem ex cadauerum putredine excrementorum, lutorum ac sordium intectarum prauis qualitatibus inficitur.

Qualis sit aer qui emendari nequit.

Alius est aer, qui facile emendari non potest, qui in locis stagnosis & palustribus perpetuo situs est, & montibus vndequaque cinctus, vbi vix maximis etiam æstatis diebus sol per horam vnam aut alteram affulget, qui cum non possit corrigi, eius incolas, vt valetudini consulant, in meliorem migrare necesse est.

Quod vero eius caliditatem, frigiditatem & humiditatem attinet, quas ex locorum, temporum, astrorumque varietate contrahit, his nullo negotio ars prospicere & mederi potest, quæ aerem etiam ad morbos accommodare potest.

Si enim æstiuis diebus aer impensius incalescat, qui ardentem ægrotantis febrem foueat, imo adaugeat, potest alio traduci æger, in aulam videlicet aliquam interiorem, quæ minus aeris caloribus ferueat: idē etiam perfusionibus cubiculorum & irrigationibus ex aqua frigida, & herbis refrigerantibus factis temperari potest. Quin etiam præter refrigerium desideratur aliquod corroborans, quod corpus recreet, vt in febribus hecticis: aer etiam istis persundi potest, & iuxta Tralliani consilium (in huiusmodi morbis) consternenda sunt vitium foliis pauimenta, nec non salicis lentisci, semperuiui, rosarum & similium, quæ refrigerandi, & simul corroborandi vires habent.

Trall. l. 12. c. 9.

Huiusmodi quidem aer, inquit Trall. omnibus hecticis conducit: maxime vero, quibus pulmo vel cor igneum ardorem primo senserit. Etenim à cibo & potu refrigerante, non tantum iuuantur illæ vitales partes, quantum ab aeris inspiratu: Contra maius à cibo sentiunt commodum, quam ab aere, partes nutritioni famulantes, vt sunt ventriculus, iecur, intestina &c.

Si vero

Si vero hyberno tempore morbo alicui frigido accommodãdus est aer calidus, eligendus locus optime circumseptus & vndiquaque circummunitus, vt nulli auræ pateat, quin & luculentus ignis in eo excitandus est, quo aer, vt satis est, incalescat. Si vero natura morbi postulat, vt cum calefàcientibus corroborantia misceamus, vt plerunque pectoris morbi id exigunt, ignes suscitabimus ex lignis, laurino, iunipero, medicarum arborum seu Arantiorum, Rosmarini, Lentisci, & id genus aliorum. Quin imo & in quibusdam morbis opportunum fuerit, cubicula suffire suauibus odoribus, vt caryphyllorum, auicularum Cypriarum, aut suffumigio aliquo alio ex fragrantibus rebus suauissimi odoris concinnato. Huius generis simplicia sunt, grana iuniperi, myrti, benioini, caryophyllorum, galliæ muschatæ & similium. Hæc de aere.

CAPVT III.

De Cibo ac Potu.

Cibo ac potu (inquiunt Medici) quicquid Nectaris nostri & vitalis Humoris calore, laboribus vel inedia exhaustum est, restituitur, pristinasque vires corpus Cibo recreatum recuperat, languoremque suum ex recepta simili sua substantia vitalique Balsamo deponit & nouas vires reperit.

Iisdem enim nutrimur, quibus constamus: De his in specie sic dicimus.

Constat in pane basin & fundamentum nutrimenti præsertim esse positum, quod ex granis multo spiritu aqua vitæ & balsamo fæcundis, quæ cum nostris spiritibus & vitali nectare magnum habent consensum, eleganti artificio & præparatione salubri conciunetur. Etsi autem plus spirituum, quam panis, vinum contineat, eiusque odor vel solo olfactu spiritus nostros confestim recreet, qui vtrunq; in synope dispersi à corde aut prorsus nulli in nobis esse videntur, cum tamen vinum glutine illo aut vinculo careat, quo diutius retineri necesse est, ne statim à stomacho nostro auolet, siqui-

Paris nutritionis fundamentum.

Cur vinum à pane nutrien di sui superetur.

siquidem natum liquidum ac fluidum est: hinc fit, vt minus solidã ac firmam corpori nutritionem, quam panis exhibeat, citra quem aut aliquid simile, quod constantis sit corporis, commodè viui non potest, at sine vino foueri vita facile potest.

Variæ panis & frugum ex quibus panis conficitur, differentiæ.

Fiunt differentiæ inter panes nunc nobis excutiendæ, quarum præcipuas describemus.

Fit panis multis in locis ex siligone, qui paulo acidior est, mediocre alimentum præbens, quique laxam alvum temperate reddit. Non infrequens eius est vsus multis in locis, & in ipsis quidem Nobilium ædibus.

Ex hordeo quoque pinsitur panis variis in prouinciis, cuius vis est refrigerans, at non ita hordeaceus gratus est palato ac siligineus. Eo potissimum vescuntur agricolæ, quod alio sæpe frumento careant, præsertim messis tempore, quo citius hordea demetuntur, quam reliqua farra. De hoc pane in hæc verba scribit Aetius: Panes autem hordeacei omnes minus nutriunt, quam triticei, & magis ventrem subducunt, quam illi.

Tetr. 1. serm. 10.

Conficitur etiam ex fabis, aliisq; leguminibus panis, sed grauis est, ponderosus ac parum grati saporis.

Triplex panis genus ex milio.

Apud Bearnos, & in altioribus regionis Armigniacæ locis, panis ex milio familiarissimus est; cuius triplex genus præ cæteris conficitur: vnum ex milio in farinam redacto à suo furfure mundatam, ex qua cum aqua aliorum more subigitur panis, pastaque salita ac fermẽtata in clybano aut furno coquit in panẽ. Hoc vescunt rustici, cuius gustus subdulcaster est, satis est boni alimenti, sed qui diutius assumptus fastidium parit.

Miques.

Alterum ex milio panis genus in Vasconia (Miques) vocatur, qui parui sunt globi, ex eius farina subacti, magnitudine globos referẽtes, quibus palemario lusu colluditur. Hi coquũtur in aqua, & in ientaculũ infantibus offerũtur, singuli globi vendũtur denario.

Brasarium.

Tertium panis genus id est, quod Brasarium appellatur, cuius vsus in bellariis est; satis est delicata, gratiq; saporis esca, dicta idcirco brasarium, quod inter prunas ardentes, Gallis brasier dictas, quibus panis in foro vndique inuoluitur, coqui solcat. Is panis quadratæ est formæ, pedis longitudinem habens, & dimidii pedis aut circiter

circiter altitudinem. Obuoluitur autem ille panis brassicæ foliis, cum inter prunas foci sepeliendus est, vt coquatur, ne cineribus conspurcetur. Atque hæsunt tres panis miliaris coctionis species, de quibus loquitur Actuar. atq; alii veteres, vt paulo post docebimus, in clybano nempe, in aqua & inter prunas.

Triplex moluta dus coquendi panem.

In Vasconia ex farina eiusdem milii pulmenta fiunt aqua diluta, quæ sale condiuntur, & ad consistentiam coquuntur. Istorum pulmentorum nomen est, Armotes, quæ delitiæ sunt rusticis multis in locis. Diluitur etiam farina hæc lacte, ex qua mixtione meliores redduntur. Gal. lib. de aliment. facult. cap. de milio & panico, hanc pultis speciem ex milii farina factam describit, quę rusticis antiquitus in cibum erat familiaris.

Armotes.

In regione Limoxensi, & quibusdam aliis locis circumuicinis, (vbi abundant castaneæ) ex castaneis fit panis, quo vulgus & rustici pascuntur.

In caritate annonæ, & aliorum granorum inopia, fit etiam panis ex auena, quod equorum magis, quam hominum proprium est alimentum.

Haber. Habermuß.

Nos Germani quodam iusculi aut pulmenti genere, **Haber muß** / à nobis dicto vtimur, ex granis auenæ mundatis & aqua constante, quod instar hordeati est, eiusque cibum admodum salubrem autumanus.

Panis optimus quis.

Inter autem omnia eiusmodi panum genera nullum bonitate, sapore, salubritate ac nutritione ad panem nostrum accedit, quam qui ex tritico aptè paratur & conficitur.

Tritici tres species.

Tritici autem tres aut quatuor sunt species, distinguere expedit, vt melior seligatur, vnde optimus panis, saluberrimus & alimentosus concinnetur. Frumentum quod nascitur in Turcia & Barbaria, grana crassa producens, rati coloris, nõ æquat bonitate illud quod spelta vocatur, cuius color albus est, flauus & granorum minorum, sed firmiorum ac solidiorum dente iudice, quodue maiorem reddit farinæ copiam, quam alterum furfure abundans. Quod nobis sedulo obseruandum est, vt suadet Galenus lib. primo de aliment. facult. cap. de tritico: vbi videre licebit omnia panum discrimina, siue bonæ siue malæ nutritionis, siue frumentorum varietas spectetur, quo-

tur, quorum alia aliis vel meliora, vel deteriora sunt, idq; vel ex natura, vel ex varia præparatione, vel ex traiectione per cribum ex actione vel negligentiore, siue ex fermentationis & coctionis artificio. Quæ omnia in pane conficiendo, vt sit salubris & sapidus, diligenter obseruanda sunt.

Sequuntur quæ de his scribebat Galenus eodem lib. & cap. vbi de diuersa frumentorum natura cum disseruisset, de differentiis quoque panum, qui vel meliores vel deteriores conficiuntur, hæc subiicit: Cæterũ medii inter mundissimos & sordidissimos panes, longe lateque pro minoris maiorisve ratione inter se discrepant. Alii namque mundi, alii sordidi nominantur, & reuera sunt. Præter hoc tamen aliud est panis genus, planè in his medium, Græci nunc αὐτόπυρον vocant, eo, quod ex confusanea farina, furfureue, neutiquam cretis conflatur. Illum panem antiqui Medici Syncomistum appellarunt. Verum, & inter istos ipsos, qui ad vnguem medii inter furfuraceos, & quam nitidissimos panes esse videntur, non mediocre est pro varia tritici natura discrimen.

Panes alii mũ di, alii sordidi.

Etenim ex denso prægrauiq; semine panis præstantior, ex stolido leviq; deterior fit:

Qualis fuerit panis Romanis optimus.

At panis quidem synceriſſimus, cum à Romanis tum ab omnibus ferè qui illorum subiacent imperio, siligineus vocitatur: huic proximus similaceus, tertio medioq; loco is, quem αὐτόπυρον, vel Syncomistum appellari diximus. Quartus ab his est sordidus, postremus furfuraceus, qui inter omnes imbecillimus est, quique quam citissime per aluum descendit. Ægin lib. 9. de re med. cap. 73. Actuar. lib. 2. cap. 3. de iisdem differentiis secundum Galenum loquuntur, pronuntiantq; furfuraceum panem omnium esse deterrimum, & minimi alimenti. Cum enim is sit omni farina spoliatus, non potest, nec in sese cohærere, nec ventriculo firmiter adhærere, vnde minus alit ac minus salubris est.

Panis furfuraceus omniũ deterrimus.

Ex farina tenuissima & subtilissima gluten fit, vinciendis ac conglutinandis multis rebus perutile, quod furfur tamen præstare nulla ratione queat.

Sed hactenus dictum sit satis de granorum differentiis, de farinarum & panum varietate, illud vero constet inprimis, eos pro optimis

optimis habendos, qui ex farina optima mediocriter à suo furfure separata, phè cõfecti sunt. Deinde in cõfectione etiã magnũ requiritur artificiũ. Nã etsi tales habẽtur farinæ, quæ desiderantur: solertia tamen non leuis in ea, aqua diluenda, pinsenda, fermentanda, sale condienda, dextreq; pane apparando & coquendo requiritur.

In pane optimo conficiendo quid obseruandum.

Vt igitur bonus concinnetur panis, palato gratus, salubris, & boni nutrimenti, primo optimum frumentum, quale expressimus, deligendum est, quod cribro sedulo à sordibus emundetur, cui vt nihil desit munditiei omni diligentia procuretur. Illud vt benè fiat, triticum aqua pura eluendum est, postea ad solem exsiccandum, sed lolium imprimis diligenter repurgetur, veluti prorsus noxium, non tantum q; inebriet, sed quod firmissimũ etiam quod cerebrum vertiginibus feriat, attonitos homines reddat atque prosternat.

Notæ panis melioris & salubrioris.

Ex panis etiam congrua coctione, necnon eiusdem fermentatione præcipua vtilitas ac saporis suauitas exoritur. Quod idem Galen. exprimit eodem lib. supracitato his verbis. Panes autem ad concoctionem appositissimi sunt, qui plurimum fermentati & approbe elaborati in clybano, igne moderato percoquuntur. Nam profusior ignis, primo statim occursu adurens exteriorem superficiem in testæ modum indurat, ex quo vtrobiq; ineptum, pravumq; panem fieri contingit, vt potè qui cruda incoctaq; interiora habeat, ambusta, obarida & crustacea exteriora. Ignis vero iusto minoris vis in totum panem nequit penetrare, ideoq; illum non percoquit, sed relinquit crudiorem, maximeq; intimas partes. Qui autem longiore spatio vndiq; æquabiliter perassatur, hic & probissime in ventriculo concoquetur, atq; ad sequentes functiones erit accommodatissimus, &c. in Clybano igitur salubrius, quam inter prunas coquendus est panis.

Fermentatio in pane conficiendo necessaria.

Quod ad fermentationem attinet, quæ cum fermento fit acido, ea inter cætera artificia summe necessaria est. Hæc enim pastam attollit, & leuitatem idcirco pani conciliat atque saporem, qui citra eam grauis & insalubris redderetur, atque idcirco noxius & inutilis. Præterea panis mediocriter salsus melior ac salubrior est insalso, etsi multi aliter sentiunt.

In summa panis eo modo, quem diximus, apparatus, magnum

Magisterium Chymicũ in panis confectione obseruandum.

& elegans magisterium exhibet, in quo nobiliores & perfectiores Chymicę operationes eluceſcunt. Primo puri ab impuro apparet ſeparatio, hoc eſt, farinæ à furfure. Secundo puri cum ſua aqua coniunctio, quæ ibi trituranda, hoc eſt, pinſenda, malaxanda, fermentanda, digerenda ac demum perfecte coquenda, ex qua mixtione ſic elaborata, panis ſalubris, viui ficus, hoc eſt, lapis Philoſophicus immenſæ virtutis progreditur. Denique longe aliquid præſtantius eſt, quam farina. Siquidem quæ nobis grana natura exhibet, niſi artificium hominis in præparationem accederet, longè noxiora, quam vtiliora homini futura eſſent. Accuratè igitur & præparandus, & coquendus eſt panis: alioqui frumentum, quod ſimpliciter ex aqua coquitur, quocunq; modo velis, nunquam alimentum vtile ac ſalubre allaturum eſt. Quod teſtatur Gal. eodem lib. ſupra citato hiſtoriam referens, cum aliquando rus expatiatum animi laxandi gratia, profectus eſſet, paulo ab vrbe remotius, vbi panis erat inopia, ſe vidiſſe duos ruſticos in ſuam cænam triticum ex aqua & ſale coxiſſe: ad quod epulum ipſe Galenus cum duobus aliis ſociis inuitatur auidè acceſsit, appetitu ex itinere conttacto, eoq; cibo copioſe & ad ſatietatem, aliiq; cænati ſunt ſimul: cuius epuli exitus qui fuerit, ex Galeni ipſius verbis audiamus. Verum à cœna, inquit, grauitatem in ventre ad inſtar incumbentis luti cæpimus ſentire: poſtridieq; toto die crudi cibum faſtidientes languebamus, adeo vt nihil poſſemus omnino aſſumere. Præterea flatulento ſpiritu plenis caput dolebat, oculiq; ceu per nebulam cernentibus caligabãt. Addit ſe ex ruſticis quæſiuiſſe, num alias eodem cibo vſi eſſent, & qui ex eo valuiſſent, qui reſponderunt aliarum rerum inopia (prout ipſe Galenus tunc premebatur) frequenter ſe eiuſmodi cibum in vſum aſſumpſiſſe, qui ſemper grauis ſtomacho fuiſſet, potiusq; noxius, quam vtilis, quod facile citra experientiam colligi, & iudicari poterat. Farina enim frumenti iſtiuſmodi, etſi purior eſt frumenti ſubſtantia, cum ſit concoctioni rebellis, noxam parit, niſi (inquit idem Galen.) per ſalem, fermentum, conſperſionem, triturationem, furnumq; edometur ac perficiatur. Quis hinc non intelligat (addit) rude & illaboratum triticum, firmiſsimum ac pertinaciſsimum eſſe, contra ſi congruè præparetur, vt ſupra diximus, optimum

Quid Galeno acciderit ex vſu panis haud probè cocti.

Frumentum crudum inſalubre.

optimum esse nutrimentum ac corpori humano summè necessarium vtilissimumque.

Galenus vult ex optimo tritico, & à suo furfure separato fieri, mediocriter candidum, optimè pistum, fermentatum, sale conditum, & vt par est coctum.

Oribasius lib. collect. medic. cap. 8. de panibus triticeis loquens, idem sentit cum Galeno his verbis. Optimus panis & salubberrimus, inquit, est qui plurimum fermenti, plurimumque sales habet, quiq; plurimum est subactus, & elaboratus ac in clybano moderate calido assatus. *Ad panẽ conficiendum ne cessaria sunt fermentum & sal.*

Hoc vero, quod dixi, plurimum fermenti ātq; salis in gustu diiudicari debet atque discerni.

Quod enim in copiosiore horum mistura est, iam molestum id & noxium est.

Ex his apparet Galeni & Oribasii aliorumque multorum authoritatibus, quam salubris sit panis mediocriter salitus, quamq; inter alios Laudabilis: cum tamen sint Medici quidam, qui salem in pane prohibeant, qui planè error est popularis. Hæc de pane, nunc de vino.

Vinum est calidæ essentiæ, spiritibus vitalibus abundans, & à Deo Opt. Max. nobis datum in recreationem cordis, sicut panis in hominis alimentum, differente regio Propheta; Ex omnium Medicorum sententia, vinum est calidæ facultatis ad generandum sanguinem aptissimum, in cuius naturam facile transit. Vnde inter præcipua alimenta secundum panem connumerandum est, primumq; nostrorum spirituum instauratiuum. Eam opinionem sequitur Galenus lib. 3. de aliment. facult. in quo de vino priuatum caput scripsit, vbi sententia eorum, quæ supra dicta sunt, continetur, nec in eodem libro de aqua vspiam tanquam de alimento tractatur, vt quæ inter alimenta non censeatur. *Vinum.* *Psal. 104.*

Quas Oribasius facultates ac qualitates vino tribuat vide in lib. suo εὐπορίστων cap. 15. his verbis: Vinum igitur recreat ac calorem suscitat nostrum, atq; ideo concoctiones meliores fiunt, & sanguis probus gignitur, alimentumq; in omnem corporis partem à vino, quia vim habet permeandi, diducitur? Quocirca eos, qui

tenues ex morbis fiunt, habiliores reddit, & simul etiam appetitū alimentorum affert, pituitam attenuat, bilem vrinis expurgat, iucunditateque & alacritate perfundit animum, & robur addit. Vinum ergo moderatè potum, inquit, est horum bonorum causa, immodice vero contrariorum.

Hinc constat ex vsu non abusu vini magnos eius esse facultates ac vires, tum ad alendum, quod copiosum gignat sanguinem, tum ad virtutem cordis corroborandam, tum etiam ad instaurandos languentes, aut deficientes nostros spiritus, tum ad multa alia præstanda, quæ corpori humano maximè vtilia sunt, siue conseruanda sit sanitas, siue morbi profligandi, quorum curationi conducit, vt paulo post suo loco dicemus, postquam de differentiis eius disseruimus.

Galenus tertio commentario, quem in librum de ratione victus in morbis acutis Hippocratis edidit. Aetius tetr. 1. ser. 1. tr. de vino, & de victus ratione in morbis acutis. Ægin. lib. 1. de re med. cap. 15. Actuar. de spirit. ani. nutri. cap. 8. Hi, inquam, authores varias differentias vinorum constituerunt, de quibus pauca in medium primo proferimus.

Variæ vinorū differentiæ.

1. Prima vini differentia in colore statuitur, quatenus aliud est album instar aquæ, aliud flauum & coloris paleæ aut stipulæ, aliud heluellum, & colorem rubini dilutioris ac viuacioris referens, aliud rubino vegetiori aut coloratiori simile, aliud granato clariori, aliud granato rubicundiori & obscuriori colore respondens.

2. Secunda in sapore posita est: alia enim vina dulcia sunt, alia austera & pontica, alia gratissimi saporis, alia insuauis gustus, alia matura, alia non satis cocta.

3. Tertia vinorum differentia consistentiæ rationem habet, vt alia sint admodum tenuia, & spirituosa, qualia sunt vina Græca, & cānariana, aut nullas, aut paucas fæces gignentia, alia vero crassa & materialia, magnam tartari atque fæcum copiam deponenentia, alia inter vtramque hanc differentiam medium tenentia, qualia sunt in Gallia nostra vina, quæ dicuntur de Graue, & quæ in aliis Vasconiæ variis locis crescere solent. Huiusmodi sunt vina, quæ in Gallia Narbonensi, vin de cante-perdrix, dici solent, vin de Beaulne in Bur-

in Burgundia, & varia alia, quæ in multis Galliæ locis nascuntur, vina, inquam, tenuia, spirituosaque potius, quam materialia & crassa, quæ idcirco salubriora & præstantiora sunt, aliis longè terrestrioribus & multas fæces ex se deturbantibus.

Quarta in odore sita est, quem gratum & suauem bona omnia vina obtinent, reliqua ingratum. Hinc fit, vt docti bibones odore vini bonitatem vel prauitatem, priusquam deguſtent, experiri soleant, pronuncientq; de vino sententiam, alia odore carent, quo arguuntur spiritu carere, ideoq; bonitate, quod vini bonitas in spiritu eius copia sit. *Vini bonitas in quo consistat.*

Aliæ porro sunt vini differentiæ ex tempore petitæ, vt cum vina alia aliis recentiora aut vetustiora sunt: siquidem pro varietate & vetustate temporis variam qualitatem contrahunt. Alia enim temporis spatio potentiora & calidiora, redduntur, colore, sapore & substantia variant: alia vero viribus imminuuntur, & breui temporis interuallo fugiunt.

Differentiæ aliæ vinorum petuntur ex regionibus & terræ varietate, vbi crescunt.

Postrema vinorum differentia ex eorum facultatibus & proprietatibus desumitur.

Sed hic quæritur, quid vtilitatis istarum omnium differentiarum cognitio Medico pariat? Maximam testatur Aetius tetr. 1. serm. 2. his verbis.

Quandoquidem vero, inquit, plurimas in vino differentias reperimus, distinguendum est de ipsis, quam breuissime id fieri potest. Rubra itaque & crassa ex omnibus ad generandum sanguinē commodissima sunt, vt quæ parua egeant in sanguinem transmutatione. Deinde nigra, simulq; dulcia & crassa. Deinde colore quidem rufa aut nigra, compage vero crassa, & habentia simul adstringentem qualitatem. Hic minus valent alba, simulq; crassa & acerba ad nutritionem. Minime vero omnium alunt colore alba, compage tenuia, & quodammodo aquæ similia. Concoquuntur autem in ventriculo, & magis distribuuntur dulcia, quam austera, vt pote calidiore vi prædita, sed & ventrem magis subducunt. Cæterum valdè crassa & tardius concoquuntur, & tardius in corpus

distribuuntur. Vbi autem ventriculum robustum nacta fuerint, vt probè concoquantur, amplius nutrimentum corpori præbent. Manifestum est autem, quod & aluum sistunt, & vrinæ ciendæ incommoda existunt, in quibusdam crassum succum generantes. Quædam ex ipsis etiam iecur & lienem ac renes obturant, atque inde aliqui in aquam intercutem incidunt, aliqui è calculo laborant ex nimio ipsorum vsu, & præsertim senes. Tandem Aetius sic concludit, optimum vinum est, & sanis, & ex morbo se colligentibus commodissimum, quod rutum, compage tenue & leuiter subastringens existit.

Ex his omnibus ac ex iis, quæ ab Hippocrate scripta sunt lib. 3. de ratione victus in morbis acutis, necnon à Galeno in principio commentarii tertii eiusdem libri, aliisq; locis, Medicus discat, quæ vina meliora, salubriora ac conseruandæ sanitati congruentiora sunt, vt quæ in curam multorum morborum cõcedantur, tum mera, tum plus aut minus aqua diluta.

Lib. Meth. Med. & sanitati tuendæ.

Non enim tantum alendo nostro corpori aptum est vinum, aut cordi recreando, & instaurandis ac roborandis spiritibus nostris: Quin & eius facultates ac virtutes ad medicandum curandũque protenduntur, vt non solum ex Hippocratis testimonio probauim⁹, Galenoq; eius interprete, sed ex omniũ celeberrimorũ Medicorũ, Græcorum, Arabum & Latinorum vno eodẽq; consensu.

Aretæus inter antiquissimos Græcos, ab Hippocrate, cuius summus est imitator, testatur de vsu ac proprietate vini in phrenesi, etiam deliquio animi aut syncope stipata.

Sed cum metus sit, ne in vaporem humiditatemq; homo dissoluatur, vnicũ subsidiũ vinũ est, celeriter enim substantiã alendo instaurat, & quoquo versus ad extremitates vsq; pmeat, tenori tenorẽ apponit & Spiritũ torpentẽ expergefacit: frigiditatẽ calore temperat, laxantẽ madorẽ adstringit extrorsum, erumpẽtia ac diffluẽtia coercet: olfactu suaui delectat, vires demum fulcit ad vitam prorogandam potest, atq; in insania ad animũ demulcendum optimũ est. Hæc omnia epotum vinum simul præstat, iracundia enim mollescente animus conquiescit, atque ipsimet ad recreandas vires cibos accipiunt: quin etiam seipsos ad voluptatem replent.

Sed

Sed vt ostendam, vinum sine vlla exceptione esse longe insignius ac vtilius, magisque necessarium alimentum, aqua, diluam erroneam istorum hominum opinionem, proferam Tralliani testimonium, qui 12. lib. cap. 4. de hecticis loquens, iis vsum vini concedit, idque non sine moderatione à prudente Medico præscripta, qualis ille fuit. Atq; hæc sunt, quæ scribit. Vinum iis, qui frigidam siccamque intemperiem in solidis particulis habent, & marasmo ex morbo (vt vocant) detinentur, exhibere necesse est, vt nos calefacere simul & humectare oporteat, quæ omnia vinum moderatum præstare ipsis potest. Qui vero cum febre marcescunt, præsertim quæ macie torrentur, iis vinum dare cautio est, vt quod eis, si quid aliud, maxime aduersetur.

Idem Trall. eodem libro, cap. 3. de syncope, tractans hæc scribit. Vinum dare febris quidem causa non oportet, verum ob crudiorem materiam superantem eorum, quæ sensim extenuare & calefacere possunt, vsus existit. Nihil itaque absurdi est, vinum tenue, quod in corpus facile distribuitur, & nullam manifestam adstrictionem aut dulcedinem obtinet, exhibere. Ætate vero non nimium recens, neque vetus esto, neque colore nigrum, sed potius subfuluum & album, & substantia tenue. Cupimus enim, vt quam primum in venas totumque corpus distribuatur, præsertim cum vires collapsas, & in periculo interius constitutas, recreare festinamus. Quin etiam, si ab igneis inflammationibus deliquia animi suscitentur, vitæque periculum subesse cognoueris, vinum mox exhibebis, maxime quod chondro incocto superfuderis &c.

Vt autem ostendat, quanta virtute polleat vinum ad instaurandas corporis vires, vel etiam imbecillimas & totas prope prostratas, idem scribit, quæ sequuntur lib. 7. c. 14. Sin autem vires vrgeant extremorum perfrictiones, conuulsionesq; & animi defectio oriatur: Salutare est etiam vinum decocto admiscere. Nam vinum (addit) optimum maximè subito & celeriter vires collapsas refocillare potest, ac multos noui ex sola illius potione, præter spē, mortis periculum euasisse.

Porro ait, quin & vinum, quod sitim restinguat, dare phreneticis audendum est, in quibus multæ vrgent vigiliæ & vires im-

becillæ, febres autem nondum vehementium, neque ardorem habent, sed quædam concoctio vrinarum quoque in eis apparet. Præterea illis cum fiducia dandum est, qui per sanitatem quoque vinum amare consueuerunt, & os ventriculi imbecillum & natura frigidius obtinent. In his enim tempestiua est vini potio, & omnibus mente alienatis, si modicè assumatur. Nam ferociam ipsorum mutat, & ferinos mores ad hilaritatem transfert, somnumq; conciliat, eo quod cibum celeriter concoquat, & in totum corpus distribuendum adiuuet. In quibus igitur nulla feruens inflammatio aut magnus admodum calor præcordia infestat, & vires infirmentur, audacter vinum ipsis exhibeto. Maius enim ex eo commodum erit, quam quæ noxa fore putetur. Si enim vires recollectæ fuerint, & non collaci permissæ, omnia tentare possumus, & multifariam ægro succurrere. Collapsis autem ipsis omnis medicorum curatio desperata erit. Quare metiri conuenit & noxam, quæ ex vino expectatur, & commodum, atque si plus fuerint, quæ permittant, propinare debes, minorem offensionem contemnendo. Fieri enim haud potest, vt id, quod iuuat, aliqua etiam parte non noceat. Medici autem est eiusmodi eum metiri, tum iudicare. Nam si vniuersa moderata quantitate, qualitate, ordine & tempore adhibeantur, totam artem absoluunt, consumantque, & finem bonum imponunt.

Omnibus venenis contrarium est, vt vult Celsus, lib. 8. de re Med. cap. 27. Quidam, inquit, post rabiosi canis morsum protinus in balneum mittunt, ibique patiuntur desudare, dum vires corporis sinunt, vlcere adaperto, quo magis ex quoque virus destillet: Deinde multo marcoque vino excipiunt, quod omnibus venenis contrarium est.

Vinum porro inter omnia alia præsidia summa est senectutis medicina, quod docet Aetius tetr. 1. serm. 4. cap. 30. de ratione victus senum: Vinum vero, inquit, senibus vtilissimum est. Sit autem ex calidioribus natura, quale est, quod substantia quidem tenue est, calore autem fuluum aut flauum. Atque vnum quidem hoc maximum bonum senibus accedit, quod calefiunt omnes eorũ partes, deinde quod serum sanguinis per vrinas purgatur. Quid

præterea

præterea de vino dicemus, quod non tantum nutriendo corpori, recreandis & corrobandis cordis viribus, & innumeris ægritudinibus curandis aptum est, sed & mentis medicamentum optimum est ex Oribasii sententia? sic enim Oribasius lib. 3. Medic. collect. cap. 7. scribebat? Quin etiam vinum poterit animum quodammodo afficere, quippe cum vinum sit mœroris medicamentum. *Medicamentum mentis.*

Atque Helena quidem mihi videtur hoc crateri infudisse, vt mœrorem sedaret.

In hoc argumentum Plato quoque dicebat; Equidem si infinita commemores, nunquam inuenies, in quo per iocum fine omni prorsus periculo spectare ingenia, sicut in vino licet.

Satis superque de natura, differentiis & singularibus vini proprietatibus ac facultatibus, ex spiritibus, quibus abundat, ei comparatis, dictum est: Nunc de aqua. *1. Dialog. de legibus.*

Communis aqua humidæ qualitatis, non carens vitali principio, vt nec reliqua omnia creata, eius vsus maximè est necessarius, ac vtilis, ad vitæ conseruationem. *Aquæ.*

Terra enim eius irrigatione germina & fructus producit, quæ alioqui sterilis & infrugifera langueret. Ea aquantur animalia alia cum hominibus, vt sitim extinguant, nec commode alioqui citra eius vsum viuerent. *Vsus aquæ.*

Hæc diluitur farina, vt pasta fiat, & panis, nec citra illam edulia in vsum hominis coquuntur, hæc pariter non paruo vsui est ad multos potus alimentosos ac medicamentosos conficiendos in salutem hominis. Deniq; si huc congererem omnes illius vsus ac commoditates proposuerim, nullus vnq̃ fiet finis. Satis est illius proprietates indagare, quæ diætæ sanitatique conseruandæ congruæ ac necessariæ fuerint. In quem finem sum̃e necessaria est Medico facultatum illius cognitio. Atque id ipsum est, quod eos docet Ægineta lib. 5. de re medica cap. 50. De aquis inscripto, quod sic orditur: Oportet etiam, inquit, aquarum virtutis ac vitii peritum esse. Multi enim vsus sunt aquæ, præ omnibus ferè rebus aliis, ad omnem victus rationem. *Vsus ineffabilis.*

Vt autem bonas ac laudabiles aquas à vitiosis distinguamus, differentiæ illarum primo nobis cognoscendæ sunt, quæ ex sententia Aetii *Variæ differentiæ aquarũ. Aet. tetr.*

1. *ferm.* 163. *Pluuiæ.* tia Aetii in genere spectatæ, quintuplices numero sunt, aqua pluuia, fontana, putealis, fluuialis & stagnosa vel lacunosa. Aquæ pluuiæ, nomine intelligi potest quicquid ab aere in terram defluit, aquæ formam obtinens.

Quod cum variè accidat diuersas quoque distinctiones, vt necessarias, postulat.

Niuales. Aliæ enim sunt pluuiæ lenes ac suaues, quæ nulla aeris commotione decidunt, aliæ sunt procelloſiores. Præterea niualium quoque aquarum à pluuiis distinctarum nobis statuendum est discrimen. Quæ etsi inter leuissimas censentur, quod sublimatæ & distillatæ fuerint, ideoq; putrefactæ aut digestæ: hoc nomine tamē inter optimas aquas non sunt reponendæ, vt quæ febricitantibus & ictericis incommodæ & detrimentosæ sint, vt scribit Aetius eodē loco: Verum febrientibus, inquit, & iis qui bilem supernè ac infernè reddunt, & regio morbo, incommoda est. Subiungitq; postea: quare neque extergit, neque concoquit, neque madefacit, & excretiones impedit, diuturnioque, tardius item concoquitur ac digeritur? De aqua pluuia loquitur, dixerat enim, eam nonnisi recentem esse vtilem, idque si traiiceretur aut transcolaretur. Quæ magna est molestia & nimia seruitus in potu aquæ.

Nec dubium est tamen, quin cisternarum aquæ in Italia vsitatissimæ, & quæ in Gallia nunc frequentes esse solent, liberent aquas hac traiectionis molestia. Siquidem eiusmodi aqua per arenam transfusa atque sic repurgata, leuiorq; reddita inter optimas censetur, siue gustus siue valetudinis habetur ratio.

Fontanæ. Fontanæ aquæ vsitatissimæ sunt omnium, atque inter optimas connumerantur. Veruntamen aduertendum est accuratè, in quam partem fluant, & quo Sole spectentur. Si enim ab Oriente id fiat, cæteris præstant, vt ait Oribasius, humiditate, tenuitate, odoris suauitate & moderate refrigerando, moderateq; calefaciendo, Aetius loco præcitato in huiusmodi aquis exigit, vt per meatum quendam aut terram puram excolentur, calefiant ac refrigescant citissimè. Has ait inter alias esse optimas, nisi aliquod vitium ex cloacis contrahant.

Fontanæ vero aquæ, addit Aetius, quarum fontes ad Septentrionem

tionem erumpunt ex petris stillantes, solem auersum habent, incoctiles ac tardi transitus sunt, tardeq; calefiunt, & frigefiunt, idcirco aliis deteriores sunt. Quæ ad occidentem vergunt, vt ait Oribasius, violentæ sunt, & refrigeratione & duritie. Quæ ad meridiem spectant, magis salsæ sunt, & calidiores, & ad meiendum non idoneæ, sed ad descendendum per intestina promptiores.

Puteales.

Aqua ex puteis viuas scaturigines habentibus, ex quibus in horas hauritur aqua, si nullum aliunde vitium accedat, inter bonas censetur, & quibusdam hominum naturis congrua est. De ea sic scribebat Aetius, eodem libro & capite: at puteana frigida est, terra difficulter excernitur, ægrè digeritur, propterea æstuoso stomacho, aut ventri commodior est, quam fontana.

In examine aquarum fluuialium & putealium, naturæ terrarum, & loca vnde scaturiunt, nobis inprimis obseruanda sunt, siue sit locus planus & campestris, siue monticulosus, aut etiam montanus. Nam qui fontes aut putei in planis locis siti sunt, in suo natiuo solo scaturigines nacti sunt, minus commodas ac salubres aquas producunt, quam quæ ex altioribus & montanis locis decurrunt. Vt enim scribit Oribasius libr. iam citato, colles & montes ad bonas aquas eructandas potiores sunt humiliore & planiore solo. Nã & puriores & tenuiores, ac odoratione, dulcedineq; suauiores aquas emittunt.

Distinguenda porro sunt eiusmodi loca. Quædam enim sunt plana quidem, sed sub quibus rupes delitescunt, ex quibus aquæ frigidiores emergunt, quam vbi nullæ sunt.

Quædam sunt arenosa aut pinguia & opima arua, ex quibus quæ scaturiunt origines semper meliores aliis habentur.

Ex montibus delabentes.

Quod vero ad eas aquas attinet, quæ ex montibus & collibus delabuntur, cum alii montes aut colles sint terrei, (vt ibidem scribit Oribasius) alii petrosi, pro varia natura diuersas etiam aquas emittunt. Terrei siquidem ferunt præstantiores & mollitie & minoris frigiditatis: Saxei aquas habent deteriores, tum duritie, tum frigore: Puriores tamen, quam aliæ sunt, minimum q; habent subsistentiæ. Aetius etiam sic infert; Fluuiales aquæ & stagninæ omnes malæ sunt, Nili aqua excepta: hæc enim omnibus virtutibus exornata.

nata est: sed de Fluuiali aqua infra excipiemus, lib. 5. Basilicæ Chymicæ.

Fontanas illas æstimat optimas, putealibus etiam eas præferens. De stagnosis vero & paluſtribus, quæ quiescunt, nec mouentur, ita vt mortuæ videantur, censet inter pessimas & summe noxias esse reponendas. Quare, (vt inquit Aetius) nunquam talis aqua, alia præsente debilibus exhibenda est.

Hæ sunt omnes aquarum differentiæ, & qua ratione vitiosæ à bonis secernendæ sint, quarum conditiones & qualitates propriæ, vt verè bonæ dici possint, huiusmodi esse debent, nempe vt bona aqua sit leuis, pellucida, limpida, & oculis grata, vt omni sapore & odore, aliaue id genus qualitate careat, quæ tamen palatum delectet, vt sitim facile sedet, vt parum diu ventriculo immoretur, vt promptè incalescat, prompteq; refrigeretur quæ hyeme calida sit, æstate gelida, qua legumina facile, & cito, nec non carnes, reliquaque edulia percoquantur. Ea etiam (inquit Aetius) bona est, quæ cibos in ventre benè concoquit. Hæ omnes notæ bonitatem aquæ significant, quæ tamen pro variis gradibus illarum conditionum, vel melior, vel deterior redditur, vel mala intrat humano corpori aqua simplex & cruda, idem Aetius eodem libro abunde edocet. Hic quæstio exoritur, an aqua Elemenũt sit, nec ne: an nutriat, nec ne, num alimenti vehiculum sit? Non est, inquit Aetius propositum hic quærere. Quod vero dicere necessarium est, hoc est, quod sine aqua alimentum concoqui non potest, sicut neq; citrà aquam quicquam commode coqui potest.

Oribasius Hippocratis sententiam referens, quæstionem soluit, quam Aetius videtur de industria subtricuisse aut in dubium vocasse. Sic enim scribit: Porro aquam non alere, sed vehiculum tantummodo alimenti esse, & Hippocrates, & cæteri præstantissimi Medici dixerunt: ob eamque causam non potest vitalem facultatem roborare, & hoc fuit in causa, vt Hippocrates ab aquæ vsu in ægrotantibus abstinens ad mulsam, oxymel & vinum se contulerit, &c. Quæ Oribasius ex Hippocrate, nec non etiam Galeno, in commentario ratione victus in morbis acutis transcripsit. Sequuntur verba Hippocratis, quæ postquam de vini vsu, etiam oligophori, de

ri, de hydromelite & oxymelite, vsitatis potibus & in multis acutis morbis conceſſis diſſeruit, de aqua ſubiicit. Aquæ, quæ in acutis bibitur, nullum ſane aliud habeo, quod concedam officium. Neque enim in peripneumonicis tuſſim ſedat, neque ſputum educit, imo cæteris minus, ſi quis aquæ potione vtatur, verum ſi inter oxymel & mulſam parum aquæ inſtilletur, ob qualitatis paſſionum tranſmutationem, ſputum educit. &c.

Galenus in ſuo commentario addit, quodque Oribaſius ex ipſo mutuatus eſt ad verbum, in eo textu, quem ſupra citauimus. Hæc igitur (de aqua optima verba faciens) quanquam optima ſit multo tamen tempore in ventriculo manet, fluctuationesq; plurimas parit, quo fit, vt cum bilioſus ventriculus fuerit, corrumpatur & illa. Præterea cum ex ventriculo ad ieiunum inteſtinum ægre perueniat, non facile diſtribuitur, neque in hepar, & minus in renes, thoracem & pulmonem. Quo fit, vt neque vrinas mouere poſſit, neque ſputum educere: imo neque per totum corpus molitur tranſpirationes, id namque ſubſtantiæ, quæ tenuium ſit partiũ, opus eſt, calidæque, non frigidæ, nec craſſarum partium. Neque præterea ſitim ſedat, quod in amplis, tum ventris, tum inteſtinorum animalis inſtrumentis, pluſculo maneat tempore, neque prorſus imas penetrat partes, neque ſiccitatem humectat.

Quod autem non alat, hoc fit, vt neque vitalem facultatem roborare poſſit. Atque ea eſt cauſa, propter quam Hippocrates ad mulſam oxymeli & vinum ſe contulit, in ægris ab aqua ſimplici abſtinentibus. Illud ipſum eſt, quod Hippocratis interpres Galenus docuit, cum ſcripſit, aquam nullam habere alendi facultatem his verbis: at quæ nullo pacto nutriunt (vt aqua) ea neque virtutem habere, neque imbecillitare neque roborare quiſpiam verè dixerit, niſi id aliquando per accidens contingat. Aqua ſcilicet non vt alimentum vires recreat, ſed benè vt medicamentum ad temperamẽti ſymmetriam, quæ propter ipſius immoderationem imbecilla ſunt, reducens. *Aqua vitali facultate caret.*

Ex verbis Hippocratis & Galeni, primo appulſu, nullius vſus, nec effectus, aquam quis dixerit ad alendum; prout expreſſis verbis ſcriptum legitur, imo ne in medicamenti quidem vſum tranſi-

re: Verũtamen si attente expendãtur sententiæ & distinguantur, vt pest, satis constabit, nec ab Hippocrate, nec Galeno vsum aquæ in medicamentum explodi. Quin argumentum ipsius libri Hippocratis, & tota illius tractatio contrarium docet, præsertim cum hæc scribit. Quibus autem maximè vtendum sit aqua, quando valdè multa, & quando gelida, & quando calida, partim quidem antea dictum est, partim vero suo tempore dicetur.

Num aquæ vsus aliquis sit in medicamentum? lib. de victus rat. in morbis acutis.

Quin & aliis locis idem Hippocrates censet aquam inter alia ad vitam summè necessariam, etsi in curam morborum plures alias potiores commendet, cum ipsa compositas, vt ptisanam, hydromeli, oxymelii, & quæ ab herbis viridibus, vuis passis, vinaceis, pyris, enico, myrtis, panico, & parantur (vt eodem libro scribit) quas quidẽ simplicis aquæ potui pfert ob rationes certas allatas.

Hodie adhuc inter nos in vsu est inter medicandum, vt scilicet in pleuritidibus, febribus ardẽtibus, propinetur ægro citius ptisana, aut similis alius potus, mediocriter detergens & humectans, quam simplex aqua frigida, quam nos, quicquid dicant alii, naturæ vitalis ac alimentosæ esse participem censemus, vt quæ ad naturam elementi sui proximè accedat, quæque benedictionis fructum ferat, quam Deus illi impertitus est, cum iussit, vt aquæ producerent reptile animæ viuentis, &c. quæ quidem benedictio permanet adhuc, & permanebit in finem seculorum.

Huius aquæ vitalis fidem faciunt, quæ construuntur priuata viuaria ad asseruandos pisces. Qui licet voraces sint, & ex præda aliorum piscium victitant, qualis est Lucius, ingentes truttæ, & id genus alii, tamen diu in vita perstant, citra prædam vllam sola aqua vitam fouentes, quæ illis foret inutilis, si vitali omni spiritu & alimentosa facultate destituerentur.

Sed nolimus tamẽ inferre, aq̃ vino aliisq; potibus æquales nutriendi habere facultates, quos necessitas ad conseruationẽ vitæ in vsum nostrũ excogitauit, qp & salubriores essent, & magis alerent, q̃ potus aquæ. Quæquãuis õnibus sit cõmunis, ea tamẽ nõ cõtenti homines, alios sibi potus meliores, maioris q; alimẽti indagare omni ingenio nõ desierũt, put necessitate adacti fuerunt. Sic Americani, aliæq; barbaræ gẽtes, vineæ plantandæ, ac colẽdę imperiti, ex succis fructuum

fructuũ quarũdã arborũ potiones cõcinnare in vsum cõpulsi sunt: quẽadmodũ & illi, apud quos vina nasci nequeunt ob caloris defectum, & terræ repugnantiam, quales diximus esse cereuisias, pomaria, pyraria, & id genus alia.

Atque hæc de aqua, pane, & vino, nec non aliis alimentis, quæ præcipua sunt cibi & potus fundamenta, superq; dicta sunt. Restat, vt quæ vel bona, vel mala per temperatum, aut immoderatum eorum vsum homini accidant, exponamus.

Quemadmodum ad conseruandam ac prorogandam vitam nihil vtilius magisq; necessarium temperantia ac sobrietate; Sic intemperantia (Medicorum nutrix) aut ingluuie ac ebrietate nil pernicioſius, idcirco vitia nunquam satis hominibus sunt execranda & detestanda. Vbi enim tanta spurcities vitiorum eiusmodi mundum ingressa est; Ab intemperantia hominis deformitas & miseria apparuit. Cum enim inter creata omnia, (vtpote creaturarum omnium designatus Princeps) esset perfectissimus, inter omnia animalia temperatissimus, ac integræ sanitatis: intemperantia sua successu temporis factus est omnium animalium miserrimus, vt potè qui longe iam pluribus & grauioribus reliquis omnibus creaturis obnoxius. *Intemperantia est fons & origo plurimorum malorum.*

Annon Patres nostri prisci seculi longè temperantiores, vt qui plane lacte, melle, fructibus, herbis contenti, luxum & delitias hodiernas respuerint, & detestati sint. Hinc fit, vt salubrius vixerint & diutius.

Et quanta isthæc luxuria est? quãtus excessus, vt fercula ferculis, acetaria acetariis, fructus fructibus, cruda coctis, & in prima & in secunda mensa, tertia etiam superaddantur? Pisces, carnes recentes, salsi variorum generum assa, elixa conchylia, turdi, ac (nequid excidat) multa farciminum, minutalium, placentarum operis pistorii genera, vno & eodem epulo ingurgitentur, aut ad multam satietatem vorentur? Quis ignoret ex tanta ciborum varietate in ventriculo promiscuè cõgesta infinitas turbas excitari, dum alia citius, alia tardius mollescunt, & in corpus diuiduntur, (vt venerandus scribit Hippocrates?) hãc ob causam scripsit Plinius, simplicẽ cibũ homini esse vtilissimũ, contra vero ingluuiẽ ac intemperantiã detri-

mentosissimam ac pernicioſissimam. Hinc etiam Seneca dicebat. Diuersa cibaria inquinant, non alunt.

Ab intemperantia Barbari abstinebant, vt sanitati consulerent; non vt obtemperarent Dei mandatis, quem nullum nouerant. Hi fuerunt Samanæi populi, Brackmanni, Essæi, ex iudæorum stirpe oriundi, vt scribit Ioſephus. Persæ olim tanta moderatione & sobrietate vsi sunt in sua victus ratione, vt (quemadmodũ scribit Xenophon) apud illos non solum expuere & emungi, & flatus plenos videri turpe haberetur, sed etiam vel meiendi, vel alterius alicuius eiusmodi rei gratia, euntẽ aliquo conspici, quod præstare non possent (vt addit idem Xenophon) nisi & modico nutrimento vterentur, & humorem laborando ita consumerent, vt alio quopiam secederet.

Lib. 2. de bello iudaico.

Lib. de Cyri. Honestatis studiũ quantum in veteribus Persis.

Arabum natura.

Idem de Arabibus scribit Iouius: Frugi, inquit, in conuictu sunt homines; nulla cibi intemperie vires alunt, temperantia valetudinem tuentur, multaque exercitatione ad inuictum robur habiles artus confirmant.

Quæ inter Græcos emicuit magna sobrietas, apparet ex legibus, quæ inter primos Athenienses & Lacedæmonios seueræ iuxum & intemperantiam à Lycurgo & Solone sancitæ fuerunt, quæ quidem longo satis temporis curriculo inter illos viguerunt, at vbi delitiæ in eorum Rempublicam irrepserunt, aliorumq; Græcorum, vt pote Ionum (quos Valerius Max. primos secundorum ferculorum, hoc est, secundæ mensæ & bellariorum inuentores fuisse narrat (exemplis corrupti se resq; suas miserè perdiderunt. Sic Spartana ciuitas (vt idem scribit Valerius) seueriſsimis Lycurgi legibus obtemperans aliquandiu ciuium suorum oculos à contemplanda Asia retraxerat, ne illecebris Asiaticis capta ad delicatius vitæ genus delaberẽtur, cæteri vero Græci pariter ad immodicos sumptus, & omnia non necessaria voluptatis genera deflexerunt.

Inuentores secundarum mensarum & bellariorum qui.

Societas Romanorum l. 10. cap. 4.

Prisci Romani inter alios populos apprime erant sobrii. Nam (vt ait Plinius) in agris hortos suos habebant, & ex hortis vivebant: damnantes pulmentaria, quæ alio egerent pulmentario. Horti maxime placebant, quia non egerent igni, parcerentq; ligno, vnde & acetaria dicta. Tandem tamen (vt postea videbimus) sic intempe-

temperantiæ & delitiis addicti fuerunt, vt planè essent illis enormis ac monstrosus luxus, & immoderatæ commessationes occasio interitus & excidii.

Zeno Cotticeus, & Aristippus Cyrenæus, vsque adeo frugalitatem ac temperantiam coluerunt, vt ex illo natum sit prouerbium, Zenone temperantior est: hic vero, qui Socratis fuit discipulus, non tantum abstinens, sed & abstinentia ipsa dictus. *Exemplum sobrietatis. Musonius lib. de alim. Suidas Laert. lib. 2.*

Hæc sunt quæ de Socrate scribit Laertius, cum ab amico admoneretur, quod excepturus hospites tenuem ad modum fecisset apparatum. Si boni sunt, inquit, satis erit: si mali, plus satis: Frugalitate certè & temperantia sua effecit, vt cum Athenas pestis sæpenumero exagitaret, ipse nunquam ægrotarit.

Epaminondas, vt scribit Cælius, inter huius ordinis frugi laudatos viros sobrietate & temperantia summe claruit: cuiusmodi etiam fuit Cato & Cicero inter Romanos, vt ex eorum vita à Plutarcho descripta satis liquet. *Lib. 6. cap. 6. Ant. lect.*

Vt tandem hominum frugi temperantiam colentium finiamus exempla, atque doceamus quam vtilis & necessaria sit in conseruationem vitæ frugalitas & sobrietas: Vtque porro Ethnicorum exempla nobis præluceant, quæ nos, vt verum Deum cognoscentes ac colentes, ad officium reuocent, ne patiantur hisce virtutibus interiores, imo superiores, subiiciemus tandem illustrem, si quæ sit in hoc argumentum historiam, ab Adriano Berlando enarratam. *Historia in sobrietatis laudem.*

Is, de quo agitur, vocabatur Pyrrhiniculus, Vasco, qui peregre iter faciens, cum ad meritoriam tabernam veniisset, & appositæ essent cœna omni ex parte olitoria cum vino dilutissimo, omniaque administrarentur quam parcissimè, finita cœna iussit ad se vocari Medicum ad mercedem capiendam. Igitur Caupo cum respondisset; Ecquid malum? in viculo agresti Medicum requiris? ibi ille, Num, ô bone, te ipsum ignoras? quo sit igitur merces operæ suæ par, Medici precipe accipe non Cauponis. Sensit autem (addit Adrianus) frugalitatem sobrietatem q; optimam hominis esse medicinam. Nunc ad intemperantiæ effectus.

Cleomenes intemperantia sua enormi ac fæda ebrietate, quibus (in-

bus (inter Scythas versando cõmessationibus ac cõpotationibus deditos) assueuerat, tandẽ variis obrutus est mortis, immature senescens, arthriticis cruciatibus distortus, & cõni ratione sæpius destitutus, ac mente alienus. Gens enim illa Scythica vsq; adeo intẽperans ac vino addicta est, siue sint viri, siue mulieres, vt nõ tantum ad guttur vsq; hauriant, & cum voluptate reuomant; at vestes etiam suas tam grato liquori perfundant, præclarum hoc ac beatæ vitæ genus æstimantes, vt scribit Cælius; Hæc vini profusio καταστεδιάζει dicebatur, quasi aspergere, vt vult Suidas.

Lib. 25. 6. Ant. lect. Ex simili vitio Lacydes quidam Philosophus paralysim incurrit, qua interiit. Quin & Q. Ennius septuagenarius pari vitio deditus, cum magnis cruciatibus & athricis doloribus intemperantia & ebrietate contractis misere vitam finiuit: de quo sic scribebat idem

Lib. 28. c. 30. Ant. lect. Cælius.

Ennius ipse Pater dum pocula siccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

Aristot. in Polit. mentionem facit immensi Syracusanorum luxus, addens Dionysium minorem nonnunquam ad 90. vsq; diem ebrium perseuerasse, atque ob eam rem cæcutientibus ac vitiosis oculis fuisse. Atque hæc sunt mala, quæ in gluuies ac ebrietas corpori procreant.

Ælian. lib. 2. de va. hist. Herod. lib. 2. Ex emplũ ebrietatis punitæ. Et vt animum quoque attingamus, in prima acie illos collocabimus, qui monstra potius, quam homines dici debent: ac inprimis legamus apud Ælianum & Herodotum præclaram, scilicet, Mycerini cuiusdam Ægyptii mortem, cui, cum vaticinium Latonæ è Bute vrbe afferretur, breuitatem vitæ prædicens, oraculum eludere volens, tempus duplicando, noctes adiiciens diebus, vigiliasq; agens poculis indulgebat.

Quin & memoranda ac faceta duo Epitaphia, in gulosorum ac ebriorum totius orbis Principes conscripta, Timocreontem Rhodium, & Bonosum Hispanum adiiciamus: prioris Epitaphium hoc ferebat.

Multa bibens & multa vorans, mala multaq; dicens
Ipse viris, iaceo Timocreon Rhodius.

De posterioris vero origine Valerius Aurelianus Imp. solebat face-

facetum hoc dictum proferre, Non vt viuat, natus est, sed vt bibat. Cuspinian. aliique de hoc guloso monstro has laudes prædicant: Quantum, inquiunt, bibit, tantum minxit: nec vnquam pectore aut vesica grauatus est, veratro crapulam eiicere solitus: Imperium in Gallos arripuit, victusque à probo laqueo vitam finiuit. Tunc quidem iocus extitit, Amphoram pendere, non hominem.

Extremæ ebrietatis mõstrum.

Legere licet apud Ciceronem & Plutarchum, quantum ignominia & dedecore exceptus Mutonius Triumvir, qui nimium potus, dum munus suum publice obiret, coram vniuerso populo Romano crapulam turpissimè & maximo pudore euomuit: gremium suum totumque tribunal incoctę cœnæ frustis vinumque redolentibus repleuit.

Notus bibulis est Philoxenus Euricidis filius, cum suo collo gruis, vt tradit Theophilus: & quidam Melanthus, vt scribit Athenæus, ipseque Aristoteles in libris Ethicorum.

Lib. 1. c. 3.

Alii fuerunt, qui terra mariq; has delitias quæsierunt, summum bonum in hac sua voluptate collocantes. Talis fuit Archestratus quidam, de quo idem Athenæus lib. 2. cap. 2. qui non minori studio, vbi singula edulia optima nascerentur, in gastrologia sua exposuit, quam qui descriptiones orbis & nauigationes aggrediuntur. Hunc Chrysippus Philosophus ducem fuisse Epicuro, eiusq; discipulus testatur.

Archestratus scribit lib. de arte coquinaria.

Huius farinæ fuit quidã Suitrigalus, Lituaniæ Dux, qui nullũ vnquam iter peregre suscipiebat, qui dispensatorem percontaretur, an librum, quem de arte coquinaria componi curauerat, secum ferret. Cœna ab illo in sex horas ad minimum protrahebatur, ferculis non minus CXXX. vtebatur, vt testatur Æneas Syluius lib. 2. com. in Panormit. Ad hæc de gulosis, vinoq; & ingluuiei deditis, egregia facinora ab auctoribus fide dignis enarrantur, quorum fama in æternum illis dedecori futura est.

Monstrosum gulæ & ingluuiei exemplũ.

Sed duobus istis gulæ Principibus huius generis comitem addamus Apicium quendam Romanum, quem scribit Seneca Minturnam profectum, vt squillis vesceretur: Alexandriam, vt astacis: in Africam transmittere squillarum causa, vbi nullas reperit Prouinciam execratum, atque ita regredi instituisse, ne vn-

Apicii Romani ingluies.

ne vnquam terras illas attingeret. Atque hæc totius gulosi aliorumque similium gloria scilicet percelebris est.

Cōuiuia sumptuosa imperatorum Vitellii & Antonini Heliogabali.

Omitto sponte enormes apparatus, ac sumptuosiora, aut potius monstrosiora imperatorum Vitellii & Antonini Heliogabali conuiuia ex sacrorum piscium iecinoribus, murænarum lacte, phasianorum ac pauonum cerebellis, phænicopterorum, pauonum & luscinarum linguis, atque id genus inauditis & inusitatis, maximorumque sumptuum eduliis parata atque confecta: quibus illorum mensæ replebantur, vt refert Suetonius, nec non Cælius lib. 28. cap. 4. Ant. Lect.

Hæc duo exempla duorum summe gulæ, ebrietati ac intemperantiæ addictorum, superaddimus, vt tanto magis ab hoc vitio abhorreamus, vnde tot corporis animique mala progignuntur; frugalitatemque ac sobrietatem amplectamur, quibus & vita, & honos hominum frugi conseruatur.

CAPVT IV.

De Vigilia & Somno.

In vigilias certe succedat nox in quietem, id in animalium potius gratiam à Deo factum est, quam hominum, qui perpetuis vigiliis in contemplandis, admirandisque operibus summi opificis, illiusque maximis decantandis laudibus versari debent: etsi quieti etiam hominis aliquot horas Deus concesserit ad refocillandam naturam & actiones, quæ communis vitæ conseruandæ gratia necessario suscipiuntur, commodius obeundas. D. Bernardo familiare dictum erat, dormientem monachum Deo mortuum esse, neque sibi, neque vlli vtilem. Ex lege igitur contrariorum inferre possumus, vigilantem monachum Deo viuere, nec non & sibi & aliis vsui esse. Quod vtique non tantum de iis, qui religionis voto in monasteriis degunt, commode dici ac pronunciari potest, sed de reliquis etiam omnibus, cuiuscunq; ordinis & conditionis tandum homines ipsi fuerint. Sic enim scriptum legitur venustissimum ab antiquis.

Luce

Luce vigent operosæ artes, it miles in arma
Luce, gemunt fessi sub iuga luce boves.
Delia non noctu venatur: nocte qui escunt
Pulpita: sed luce est docta Minerua vigil.
Luce minax Pallas: vigilatæ quot bona lucis
Corpora, dii, sensus, ingenium, arsq; vigent.

Hinc liquido constat, quam longe vigiliam esse somno anteponendam; modo horum alterum altero sit magis appetendum, magisq; necessarium ac vtile, in quibusvis scientiarum generibus. Idcirco posthabito ordine illo Medicorum, quo somnus præmittitur vigiliæ, nos contra sermonem inchoabimus à vigilia, eiq; priorem locum destinabimus.

Qua enim ratione præstantiæ nobilitate vigilia somno præluceat, nos illum, vel etiam eximiæ maximæq; dignitatis virum, vigilantem, attentum ac diligentem appellamus, quem singulari honoris laudisue titulo ornatũ cupimus, cũ secus, si parum honorificè de aliquo sentire volumus, & stupiditatis aliquod inertiæq; exemplar introducere, segnem & somniculosum & eiusmodi hominem nuncupamus.

Sanè semper præseuerat laudem & gloriam, indiuiduamque comitem habeat singularem ingenii promptitudinem ac eminentiam. Homerus Iouem fingit continuo vigilantem, vt patet ex his versibus:

Tum reliquos omnes diuosq; homines q; tenebat
Pernox somnus: at in somnis Saturnius vsus
Pectore sollicito volvebat, &c.

Eodem elogio extollit Agamemnonem, quem, dum reliqui duces alto proflarent pectore somnum, solum interea indefessis vigiliis, noctem insomnem, transegisse laudat. Quod idem Virgilius in suo Æneа imitatus est. Ideoque vigilantiæ laudem solis Principibus viris competere, testatus est, idem Homerus, eo versu, quem Erasmus inter prouerbia esse voluit:

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα — 20. Iliad.
Turpe duci totam somno consumere noctem.

Artaxerxes vigilans.

Artaxerxes magnus ne otio tempus perderet, commentariis noctu conscribendis rerum gestarum inuigilasse notum est.

Epaminondas sobrius & vigilans. Lib. aduersus ducem imperitum.

Epaminondas celeberrimus ille Thebarum Dux ac Princeps Magnanimus, interea dum ciues Thebani petulantes, nimio genio suo ac luxui indulgerent: solus vigil (vt scribit Plutarchus) ac sobrius arma & vrbis mænia perlustrabat. Rogatus vero, cur id faceret? respondit, sobrium esse se, & vigilare, quo reliquis liceret tumulentos esse ac dormire. Vnde summam existimationem & immortale nomen consecutus est. Vigilantia moderata & modica spirituum distributionem per totius corporis partes adiuuant, sensibus stuporem torporemque excutiunt, quo singulæ corporis facultates, naturalis, vitalis & animalis, promptius sua obeant munia: earumque beneficio legitima & naturalis alimentorum concoctio & digestio perficiatur: superfluitates autem & excrementa ex corpore tanquam noxia pellantur. Vigilia, inquit Oribasius, plenitudinem per halitum digerit, quæ in ventre sunt, minuit, & vt per partes internas exeant, præparat, languorem dissoluit, grauitatem dispensat, resoluta corrigit, & robur naturæ atque animo adiungit, sudores cohibet &c. En præclara illa & insignia proprietatum dona, quibus vigiliæ ad præscriptam mediocritatis naturæq; legem moderatæ insigniuntur, vtpote per quas corpus nostrū in cōuenienti temperiei symmetria, bonaq; valetudine perpetuo conseruatur, quemadmodū id palā ex illarum effectis apparet.

Verū si immoderatæ naturę præscriptos terminos transgrediantur, à quacunq; etiā causa accidēt aliiid fiat, siue ea sit interna, siue externa, statim temperamentum hominis mutatur: facies pallescere incipit, corpus macie contabescere: oculi in capite concaui cum austero & tristi vultu: frons sereniſſima, ac placidiſſima deformes anilesq; contrahit rugas: Omnes facultates naturales deprauantur, vnde harum vitio mala & peruersa concoctio procreat, crudorum ac malorum humorum copiam: sic deinceps vitales attenuantur vires: nec hinc animales excipiuntur, sed etiam læduntur adeo, ab impetuoso illo & hostili humorum incursu, vt corruptâ vitiatâque cerebri temperie, sensus tam interiores, quam exteriores à naturali insitaque agendi ratione deflectant ac aberrent. ac sæpenumero

actio

actio illorum omnino peruertatur. Humores enim & spiritus nimium calefacti & inflammati progignunt omnis generis febres ardentes & siccas ægritudines, quæ in cerebro suscitant phrenesin, maniam, deliria, & id genus alia. Hinc non immerito eius generis vigilias Plinius refert inter corporis mala. In qua re ad euitandos præcauendosque huiusmodi & similes errores, Medici industria & prudentia plurimum valet.

Oportet igitur Medicum, ad consequendum scopum suum, inprimis indagare ac nosse earum causas, quæ vt plurimum secundum Actuarium à nimia siccitate & caliditate oriuntur. Quando-quidem, inquit, quæ desiccare consueuerunt, hæc suapte natura vigilias introducunt. *Causæ immoderatarum vigiliarum. lib. 2. c. 12.*

Aetius eiusdem opinionis tetr. 2. serm. 2. c. 23. de memoria amissa: sola quidem, scribit, humiditas redundans profundos ac longos somnos facit, sola vero siccitas vigilias.

Quoniam igitur constat, huius effectus causam pendere à siccitate, petendum necessario erit remedium ab humidis, tanquam siccitati contrariis. Vbi ad generalem curam prout illa communiter instituitur, conducit balneum dulce & appropriatum, nisi aliud quid obstet; Ad particularem autem prosunt, loco pedum, frontalia, irrorationis cerebri factæ ea floribus Camomillæ, sambuci, nenupharis, capitibus papaueris, foliis mandragoræ, semine hyosciami, lactuca, cum amome, anetho, champhora, croco & similibus: ex his omnibus coctis in aqua communi, aut maceratis in aquis conuenientibus concinnari possunt Epithemata hypnotica ad cerebrum, quæ non tam ratione humidæ qualitatis istius, quam virtute sulphuris narcotici, quod vt plurimum abundat in illis simplicibus, somnum prouocant. Hæc, & huius generis similia remedia conferunt proprie iis vigiliis, quæ natæ sunt ex causis interioribus, vtpote morbis quibusdam, qui corpus humanum deuexant, vt sunt dolores, febres calidæ & ardentes, maniæ, malancholiæ & similes. *Remedia ad somnum.*

At si forte iste vigiliarũ affectus eos cõprehẽdat, q nulla corporis ægritudine cõflictãtur, illarũq; causa extrinsec° accedat vel à tristitia aut alia quadã animæ passione, tunc necesse est vt eiusmodi tristi-

tiæ mentisq; perturbationi inprimis, & quanto fieri potest studio, consulatur, propositis omnis generis rebus iucundis ac gratis, quæ mentem exhilarare, lætitiamque afferre queunt, vt sunt lusus iocosi & faceti, instrumenta musica & similia. Ad quod institutum etiam remedia accersenda sunt, supra capite de tristitia positis.

Causæ avertentes nimias vigilias.

Adducemus hunc locum ex Æginetæ lib. de re med. cap. 98. quo huic vigiliæ reprimendæ in hunc modum remedium præscribitur: Verum, inquit, nunc de sanorum vigilia dicendum est: Si igitur aut ob tristitiam, aut curam, aut aliquam animalem affectionem vigilarint, primum quidem tristitiam, & id, quod molestum est, quantum eius fieri potest, præcidemus: postea etiam iucundorum sonorum auditu cogitationem ab illis abducemus: & quidam sane sonum aquæ placidum ad hoc machinantur, quo deliniti ad somnum deducuntur. Sed & balneis maxime vespertinis, vbi probe cibum concoxerint, vtantur, & victu humectante velut lactucis & similibus, & papaueris nigri, quandoque viridia folia obsoniis admisceant, & pisces concoctu faciles edant, vinoq; vberiore, tenui, non vetusto vtantur. Vbi vero reclinari volunt, rosaceo caput vngant, aut oleo, in quo papaueris capita, aut mandragoras incocta sint.

Quin & anethinum oleum non vetustum ex somnificis est. Noui & post prægressam lassitudinẽ, quietem derepente succedẽtem, somnum induxisse.

Sed & coitus moderatus idem hoc efficit. Aliis si aut caput aut pedes refrigerentur, facile in somnum delabuntur. Si vero ob multitudinem aut malitiam cibi stomacho grauati vigilarunt (nam & hoc factum nouimus: quemadmodum rursus alii præter consuetudinem à cibo abstinentes aut modicum cibum capientes vigilarunt) considerare hoc & causam rescindere oportet.

Hæ sunt vigiliarum causæ & scaturigines, quæ hominem sanum inuadere possunt, atque affligere, earum opportuna remedia, de quibus (vti videtis) prolixè satis hic ab Æginetа tractatum fuit. Sunt præterea alia adhuc vigiliarum genera, quarum causa nimis occulta atque abdita est: propterea, quod illi, qui hoc affectu corripiuntur, tanto eam studio celant, vt de illa inquirenda neminem patian-

patiantur dicere: vbi prudentis Medici sagacitate opus est, in eiusmodi veris pervestigandis causis, debitisq; ac salutaribus medicamentis inueniendis. Qua industria atque dexteritatis laude. Claruerunt olim Hippocrates & Erasistratus, quorum ille Perdicam, hic vero Antiochum restituit.

Eiusmodi laboriosa vigiliarum molestia conflictabatur (Mæcenas primarius quidam aulicorum Cæs. Augusti, qui nimis molestè ferens amorem illicitum Terentiæ vxoris suæ (quam Augustus deperibat) morosæ vxoris repudia deflens, cum nec mero, nec aquarũ fragoribus somnũ allicere posset, toto triennio vigilauit, & vix tandem per symphoniarum cantum ex longinquo bene sonantium sopitus est, sicut scribit Seneca lib. de prouidentia.

Ex qua historia videre licet, quanta vis sit Zelotypiæ, quantaque efficacia sit harmoniæ, ad sedandos & consopiendos spiritus, nimia vigilia perturbatos. Quod supra dictum est. *Quãta somni vtilitates.*

Somnus moderatus spirituum infirmitatibus medetur, perturbatæ mentis affectiones reprimit, cunctas facultates instaurat, corpus imbecillius redditum corroborat, alimentorum concoctionẽ & digestionem adiuuat, crudiores humores coquit, membra labore defatigata ac enervata reficit, omnis generis defluxiones impedit, caloremq; naturalem & humorem radicalem adauget. Præterea illum appellare licet refrigerium & solamẽ spirituum, omniũque corporum ægrotorum morbidorumque.

Somnus, inquit Ægineta, animalium facultatum quies est, bona humiditate cerebrum rigante contingens: Quod si recte admittatur, multa bona facere potest. Nam & cibos concoquit, & dolorem mitigat, lassitudinesque lenit, & distentorum laxitatem efficit, sed & animalium affectionum obliuionem inducere potest, & emotam mentis rationem corrigere. *Somni Encomium iuxta Poetas.*

Non igitur sine causa factum est, quod ab antiquis Poetis appellatur pax & tranquillitas omnium rerum, nec non quies spirituumq;: ita enim canit Ouidius his versibus:

Somne quies rerum, placidissime, Somne Deorum
Pax animi, quem cura fugit, tu pectora duris
Fessa ministeriis mulces, reparasq; labori.

Et Seneca in tragœdia Herculis furiosi definit somnum in hunc modum.

Tuq; ô domitor somne malorum,
Requies animi, pars humanæ melior vitæ.

Hac ratione somnus, vt saniori & Christiano more loquamur, est Dei donum eximium & præstantissimum, generi humano in quietis locum datum. Vnde primus homo tempore adhuc suæ integritatis, sensit ex permissione & voluntate diuina, primas illas & singulares somni virtutes, dum Deus illum sinebat labi in somnum profundum, vt de illius corpore sumeret costam, ex qua crearet sociam. Res certè plena maximi & admirandi mysterii. *Gen. c. 2.*

Quo factum est, vt hymnorum Orphei (qui author illorum æstimatur fuisse) vnus dicatus sit somno, quem Regem Deorum hominumq; non veritus est nuncupare. Hesiodus in Theogonia ipsum nominat filium noctis. Hinc etiam ab Ouidio lib. Metam. relegatur ad Cymmerios Scythiæ populos, quæ regio est frigidissima, glacialis & tenebricosa, quo innuere vult, quod tempore hyemis brumalisq; solstitii noctes sint longissimæ, quibus vt plurimum homines tempus dormiendo insumant. Virgilius & alii Poetæ vocitant ipsum mortis filium. Nihil enim est quod propius accedat ad similitudinem mortis, quodq; illam magis repræsentet, quam somnus, cuius lectus sepulchrum est. Hinc idem Ouidius, arcem seu palatium somni definiens, in hæc verba erumpit:

Muta quies habitat saxo tamen exit ab imo
Riuus aquæ lethes.

Paulò post addit:

Ante fores antri fœcunda papauera florent.

Papaueris proprietas. Eo quod omnia obliuioni tradantur tam in somno, quam in morte: papauer namque inducit somnum & stupefacit.

Intemperans somnus non est, nisi via quædam & dispositio ad lethargum, carum, apoplexiam & similes soporiferos affectus, qui sorores germanæ sunt ipsius mortis, ipsorumque interuentu tandem ad illam delabimur.

Quibus & quando somnus diur- Quoniam autem nulla est regula tam communis, quæ non aliquam admittat exceptionem, in certis quibusdam hominibus,

non

non si consueuerunt in multam vigilare noctem, tardiusque ire cubitum, coguntur certè bonam diei partem quieti attribuere. Nolo autem hic inferre, quali ad hoc propositum solummodo sit requirendum, tempus matutinum: neque occasionem ansamque iis præbere, qui præsertim in aulis, vix antè horam decimam aut vndecimam antemeridianam è plumis stratisque suis solent exurgere, sed potest in hanc rem eligi tempestiuius commodiusq; tempus. *nus sit concedendus.*

Sed necesse est, vt eiusmodi homines erecto capite dormiant: neque somnus excedat spatium vnius aut duarum horarum, idque fiat prima aut secunda post prandium, vt dictum est.

Hic enim summopere ac diligenter circumspiciendum est, vt & salubrior & tempestiuior deligatur somnus, qualis est nocturnus, tertia ad plurimum hora est cœnam inceptus: propterea quod talis somnus sit potentissima causa procreandorum benignorum ac salutarium vaporum, qui mediante alimentorum concoctione è ventriculo in cerebrum ascendunt, cuius naturali refrigerio congelantur ac condensantur, tandemque conuertuntur in rorem, benignum vtilemque, quo suffunduntur meatus sensuum cerebri, aliarumq; partium, vnde talis quædam oritur (si ita dicenda est) stupefactio, quam somnum appellamus. *Quæ sit causa somni.*

Si igitur interposita aliqua mora eousque vigilatur, donec vapores alimenti prorsus euanescant & consumantur, (id quod post illius concoctionem perfectam absolutamque, quæ spatio quatuor, quinque aut sex horarum, prout ventriculus se melius peiusue habet, perficitur, fieri potest) somnus hoc modo vi quasi coactus, nulla ratione bonus erit, nec naturæ consentaneus. Id quod intelligi tantum velim de iis, qui bona temperataque sunt corporis constitutione. Nam reperiuntur nonnulli, quorum cerebrum natura tam humidum est & nubilosum, vt non indigeant eiusmodi alimentosorum vaporum ad somnum excitandum, sed sua sponte omnibus horis ac momentis somnolenti dormiturunt: quibus interdicendus est somnus, tam diurnus quam nocturnus, nec nisi parcissimus concedendus. *Quibus interdicendus somnus.*

Quod

Quod ad modū cubandi attinet, alii diuturna sed mala consuetudine resupini solent iacere, oculis sursum versis: alii vero incontrarium proni, vētre videlicet inferius versus lectum demisso. Sunt & aliæ aliorum recubandi varietates, quæ neutiquam sunt probandæ. Hæc ratio optima, vbi in principio somni cubatur in dextrum latus, postea post primum somnum in sinistrum. Sinus vero supinus est paucus ac ratus ad euitandam renum inflammationem.

De somni quantitate.

De quantitate, diuturnitate & breuitate somni diuersæ sunt considerandæ viæ, pro variis nempe differentiis diuersorum hominum temperamentorum, proque multiplici ætatum aliarumque circumstantiarum discrimine. Nam ii, quorum ventriculus benè temperatus, promptè & facile cibos coquit ac digerit, non tantum temporis dormiendi requirunt, quam illi, qui imbecillioris sunt ventriculi, quique ad promouendam digestionem auxilio aliquo externo indigent, quale est somnus, qui ad hoc institutum plurimū confert. Vbi prioribus illis sex aut septem horæ sufficiunt: hi vero plus temporis postulant. Iuuenibus sanis ac robustis satis erunt sex horæ: at plures sibi poscunt senes.

Somnus Endymionis.

Ex his apparet, quomodo ratione temperiei diuersæ & ætatis quantitas ac diuturnitas somni varietur.

Exempla somnolentiæ addam animi gratia. Endymion quidam à Luna adamatus (vt fingunt Poetę) à Ioue impetrauit copiam perpetuo dormiendi in monte Armiæ in caria sito. Hæc inepta petitio omniq́ue reprehensione digna occasionem postea dedit adagio isti in homines somnolentos & desides: Endymionis somnum dormire. Vbi contra in honorem & gratiam illorum, qui Reipub. commodo ac vtilitate per multas noctes assiduo literarum studio ac continuis vigiliis vacant, inuentum est istud alterum: Scopelianō more invigilare: propterea q̄ Scopelianus celebris Philosophus ac Sophista inter cæteros minimè deditus erat somno, qui singulis noctibus absoluto studiorum penso inter ambulandum subinde hæc repetere solebat verba. O nox, tu quidem sapientiæ diuinæ obtines plurimum. Contra P. Scipio (magnæ alias auctoritatis vir) ob nimiam somnolentiam à Pop. Roman. publicis opprobriis, & contumeliis affectus est. lib. Polit. Aristoteles ad fugienda vitan-

Cic. lib. 2. quæst. Thuscul.

Summa Scopeliani vigilantia.

Cel. lib. 20. c. 11. antiq. lect.

Aristoteles somnolentiæ osor.

vitandamque eiusmodi somnolentiam, grues imitatus est, sphærulam manu tenebat, subiecto lebete æneo, quæ per somnum delapsa strepitu suo dormientem excitaret, vt Laertius in ipsius vita commemorant.

Ammianus Marcellinus simile quid enarrat de Alexandro Magno, Aristotelis discipulo, qui cum dormitaret, brachio extra cubile protenso, pilam tenuit argenteam supposita pelui, vt eum neruorum rigorem sopor laxasset, pilæ elapsæ tinnitus somnum abrumperet. Vigilauit vterque tam pro literis, quam armis dispari fine, eodem tamen imitationis exemplo. *Lib. 16. Alexander Macedo.*

Iulianus Augustus tam extremè flagrabat amore & studio Philosophiæ, vt arma gerens contra Persas & Alemannos siue Teutones, à quibus licet variis ille modis, ac quam plurimis impedimentis irretitus & districtus tenebatur, nihilominus alacriter & summa cum dexteritate suo perfungeretur officio, humique iaceret dormiturus, totamque propemodum noctem scribendo ac legendo consumeret, dum interim reliqui somni beneficio fruentes molliter conquiescerent, sicque noctem diuideret in tria tempora, quietis, Reipub. & Musarum, Alexandri Magni exemplo. *Marcell. lib. 16.*

Cum contra & olim & nunc omnes dormitatores, qui similes sunt Smyndyridæ Sybaritano, & Pontico Histiæo, qui se iactabant, viginti annis nec Orientem, nec Occidentem Solem vidisse (vox nec pecudis, nec hominis) omnes, inquam, tales dormitatores & somnolenti glires visi sint, nihil aliud promeruisse, quam ignominiæ ac vituperii opprobria, vt qui digni censendi sint appellari turpissimo & sordidissimo suum porcorumque nomine, quorũ voluptas delitiæque sunt cœno noctes & dies volui. *Dormitatores.*

Sapientiores Romani hanc olfacientes summam vtilitatem & nobilitatem vigiliæ, cuiusque beneficio rerum omnium actiones perficiantur. Ciuilis diei initia à media nocte duxere, vt solis ortus esset quidam operis initium, tempus vero quod præcedit apparatus impenderentur. Quippe paratos instructosque obire negotia oportet, non inter obeundum instrui appararíue. *Quare Romani olim diei initia à media nocte duxerint. Cæl. lib. 11. c. 1. antiq. lect.*

Quod ad incredibiles illos & nimis diuturnos somnos attinet, quibus complures olim fuerunt correpti, si historiis credendum

Epimenidis somnus.

dum est, veluti est exemplum somni Epimenidis Cretēsis, qui cum rus ablegaretur pasturus oues, & ob nimium Solis meridiani ardorem æstumque in antrum aliquod refrigerandi se causa ingrederetur, ibi somno oppressus dormiuit per spatium quinquaginta septem annorum, vt Plinius & Apollonius volunt, aut quadraginta iuxta Pausaniam, eius generis soporis, quamuis scriptis Historicorum tum Græcorum tum Latinorum pro veris passim approbentur, nihilominus tamen pro incredibilibus potius & prodigiosis habendi videntur.

Sic etiam miraculosa censenda est historia illa, cuius à Sigeberto in Chronicis, & ab aliis probatis historiographis Ecclesiasticis fit mentio, De septem illis dormientibus (vt vocantur) nempè Maximiano, Malcho, Martiniano, Dionysio, Ioanne, Serapione & Constantino, qui cum ob immanem & crudelem Dæcii persecutionem ex hominum conspectu abire, ac ne fortè proderentur, se in loco quodam remoto ac occulto abscondere constituissent, in quandam tenebrosam & inhospitā cauernam ingressi sunt, vt videlicet ibi per tempus aliquod latérent. Tandem autem deliberatione facta, cibisq; ad corporis recreationem sumptis, eam sententiam vnanimiter omnes inierunt, multo videlicet satius sibi videri, si relicta ista latibuli spelunca in lucis propatulum prodirēt, seseq; impauido ac cōstanti animo, atrocissimo martyrii istius supplicio subiicerent: sed cum iam exituri essent è cauerna, singulari Dei prouidentia subito, tam diuturno & profundo correpti sunt somno, vt ibi commorantes dormirent, per CXCVI. annorum spatium, sicuti id ex temporū computatione facile colligitur. Nam expergefacti & resuscitati sunt à tanto somno, die Paschatis, anni XXX. regni Theodosii iunioris. Hæc & similia, inquam, omnino sunt miraculosa, & captum ingenii nostri, omnemque admirationem, imo & fidem excedunt.

Somni qualitas.

Satis dictum est hactenus de his, quæ pertinent ad somni quantitatem. Transibimus nunc ad ipsius qualitatis considerationem, vbi se offerent quædam scitu quoque non indigna.

Somni accidētia sunt in-

In quolibet somno solent plerunque appare insomnia & nocturnæ visiones, quæ ipsum non aliter ex accidente comitantur,

quam

quam vmbra corpus. Vnde mirari subit, quid sibi velit illud, quod scriptum reperitur apud Plutarchum de quodam Cleone, item apud alios de quodam Thrasymede, nec non id, quod Herodotus obseruauit, & post illum Stratensis, de Atlantibus videlicet, Aphricæ populis, quos affirmant nullis vnquam somniis, aut visionibus esse obnoxios, quod vtique vix credibile est. Fieri autem posse non negamus, illos eiusmodi apparitionibus minus subiectos, minusue pronos ac procliues, idque peculiari quadam victus ratione, aut singulari natiui propriique temperamenti complexione, vt qui sint cerebro solidiori ac fortiori, à quo vapores illi & exhalationes, à quibus eiusmodi insomnia alias excitari solent, multo facilius citiusque dissipentur.

somnia & nocturnæ visiones. lib. de oraculis.

Homines quidam nullis obnoxii somniis.

Poetarum est, fabulis suis aliquid vtile innuere; inter quos Ouidius facilè Princeps lib. Metamorph. similiter somno affinxit tres ministros, quorum primus ab eo appellatur Morpheus, qui in visionibus nocturnis humanas representet figuras, tam masculas, quam fœminas: ideoque ab auctore etiam dicitur

Metamorph. 11. Triplicia somnia.

Artifex simulatorq; figuræ.

Somni ministri.

Alterius autem nomen est Icelus siue Phobetor, qui in somniis & visionibus refert animalium brutorum formas ac figuras, de quo idem autor his versibus:

Fit fera, fit volucris, fit longo corpore serpens: Et
Hunc Icelum superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat.

Et propterea quod Phobetor in somniis representat bruta animalia, quæ nobis terribiliora videntur ipsis hominibus, dictus est φοβήτωρ, qui Græcis perterrefactorem.

Tertius Phantasius, qui in apparitionibus nocturnis representat & exprimit omnis generis species ac formas illarum rerum, quæ animalis animæ sunt expertes.

Horum autem somniorum ac visionum tres sunt differentiæ. Vel enim illa sunt diuina, vel supernaturalia, vel naturalia. Peucerus ea distinguit in diuina, diabolica, allegorica

Tres somniorum differentiæ lib. 10. comment. de diuinat.

gorica prædicentia & naturalia: quæ omnia ad hanc trium differentiarum classem haud incommodè reduci possunt.

Quid in somniis diuinis obseruandū.

Somniorum diuinorum origo & inspiratio pendet à solo Deo Opt. Max. qui horum adminiculo tanquam idoneo medio & instrumento vsus ad Prophetas suos; fideles seruos locutus est. De illorum autem veritate aut certitudine nemo sanę mentis dubitabit vnquam, modo ob oculos sibi ponat autorem, qui ipsa veritas est. Misit autem Deus spiritum suum vel etiam angelos in hominum ministerium creatos, qui fidelibus per somnia reuelarent omnia ea, quæ diuina ipsius & bona voluntas decreuerat, siue id spectaret communem Ecclesiæ salutem, siue priuatæ personæ consolationē aliquam: quamuis definitum temporis terminum Deus sibi soli reseruarit. Eiusmodi reuelationum visiones dormientibus noctu contingebant, vt videre est ex somniis Danielis. Nonnunquam talia visionum genera habebant certas & peculiares euentuum significationes, vt ex plerisque Patriarcharum, Prophetarum, item ex Sanctorum Petri Paulique in Nouo Testamento somnus colligitur.

Voluit quoque Deus eiusmodi apparitionum participes fieri nonnullos, qui ab Ecclesia separati erant, idque in hunc finem, vt vel populo succurreretur, & mundanæ Reipub. consuleretur: vel vt specialiter domesticorum vitæ seruandæ & incolumitati subuenirentur, vt sunt somnia Pharaonis, ipsiusque duorum ministrorū. Horum enim principalis & præcipuus finis erat, vt Ioseph & diuturno & indigno carcere liberaretur, & in aulæ Pharaonis Principem eueheretur, atque ita totius Ægypti commodo & vtilitati prospiceretur, tandem in specie quoque vt inde domus & familia Iacobi Patriarchæ conseruaretur. Sic nullum alium finem spectabat somnium Nebucadnezaris, nisi ad emolumentum ac salutem Ecclesiæ Dei.

Diabolica somnia.

Diabolus igitur hostis & contemptor maximus Dei & operum eius mirabilium, dum ipsa conatur imitari, potius ea corrumpit, deprauat & mentitur. Hinc in synagogam introduxit falsa & abominanda sacrificia: sic etiam sua inuexit peruersa iniquitatis somnia. Quæ quāuis ad decipiendos solummodo homines veritatis quandam

dam speciem præ se ferant, non tamen nisi pura puta mendacia, & pernicioſæ ac calamitoſæ deprauationes exiſtunt, quod Deus fieri permittit in talium ſuperſtitioſorum idololatrarum iuſtiſſimam pœnam ac vindictam.

Erant autem Diabolica ſomnia diuiſa in duo genera. Primum requiſitorium vocabatur, vbi ab Ethnicis inquietudinis ſpiritu exagitatis, ſomnia illa requirebantur, & deteſtandis coniurationibus impetrabantur cui execrandæ actioni certa quædam loca & templa deſtinata ac conſecrata erant, in quibus illos, peractis prius memoratis iſtis coniurationibus ac ceremoniis, dormire oportebat, & quicquid inter dormiendum ſomniabant, oraculi loco habebatur. *Duplicia ſunt ſomnia Diabolica.*

Hæc ſunt primaria loca iſtis ſomniorum accerſendorum ritibus dicata, templum ſcilicet Amphiarei, & ara Ardalia in vrbe Trœzene, quo miſera Ethnicorum gens turmatim ab omnibus mundi angulis conuolabat.

Præter hæc alia quoque erant, vt antrum Charonis in vrbe Tralles, & in Ægypto templum Iſidis. Deæque Melopidæ: nec non in Epidaurio templum Æſculapii, in quo, prout Ethnici certo ſibi perſuadebant, ægroti, qui illuc veniebant, certiſſima & aptiſſima remedia per ſomniorum viſiones inueniebant, ad curandos proprios morborum vel etiam deploratiſſimorum & immedicabiliũ languores & infirmitates. De cuius rei effectis, portentoſis ac prodigioſis paſſim literis proditum eſt in hiſtoriarum commentariis. In eodem Æſculapii templo, vt refert Pauſanias, erectæ erant columnæ, quibus inſculpta cernebantur cum nomina eorum, qui ſanitatem recuperauerant, tum etiam remedia, quibus ex conſilio Oraculi ac viſionum ipſis dato vſi fuerant. *Satanæ aſtutia.*

Idem mos fuit apud Romanos vſque ad Antoninorum tempora, id quod ex tabella marmorea Romæ in Æſculapii templo in inſula Tiberina inuenta, & vſque ad hanc diem apud Maphæos conſeruata, intelligere licet. In qua tabula, teſte Hieronymo Mercuriali, Medico doctiſſimo ac celeberrimo, ſcriptũ reperitur (ſcriptura eſt translata è Græco in Latinum) quomodo oraculum docuerit Caium & Valerium vtrumque cæcum, modum recuperandi viſum

di visum, idq; factum est publice coram omni populo, & maximo cum applausu. Item aliud remedium pro cruenta sanguinis spuitione reuelatum fuit per Oraculum Iuliano, & cuidam Lucio, qui grauissimo laterum dolore laborabat, adeo, vt prorsus desperatus ab omnibus relinqueretur, remedia illa, qualia fuerint, notata invenies in ipsa tabula.

Alterum genus somniorum Diabolicorum.

Est adhuc præter illa requisitoria somnia aliud somniorum diabolicorum genus, quod inopinatum dicitur: propterea quod eiusmodi somnia accidere solent ex improuiso, præterq; omnem spem & expectationem, quæ neque accersita, neque postulata vnquam fuere, idq; ex solo Diaboli instinctu, & fraudulenta machinatione, dum modo hoc, modo illud ad prædicendum præsagiendumque sese offert, solummodo in eum finem, vt imponat illis, quos insidiosis suis falsarum persuasionum præstigiarumq; casibus irretitos ac captiuos tenet. Id quod abunde testantur somnia veneficorum, necromanticorum, & talium fanaticorum hominum, qui Enthusiasmo nescio quo afflati creduntur.

Sed relictis his somniis & terriculamentis diabolicis, nos ad illas somniorum differentias suprà à nobis constitutas recurramus: vbi primo loco de diuinis egimus: sequuntur nunc ordine supernaturalia, quæ medio loco se habent inter diuina & naturalia, vtpote quorum causæ neque ad ipsum Deum immediatè referendæ sint, neque etiam ad prauorum humorum malignitatem, à quibus naturalium somniorum origo dependet. Sed ad animam nostram, quæ dormiente etiam corpore vigilat, quæque raptu quodam supernaturali excitata, præsertim bono genio inspirante, per somnia ac visiones nobis representat multa phantasmata, quæ plerumque certi aliquid præsagiunt, quorum certitudo vtplurimum per rerum euentum cognoscitur.

Solent autem eiusmodi somnia plerumque matutino tempore contingere, quando nimirum cerebrum est liberum, & à vaporosis istis ciciborum exhalationibus immune, quæ alias illud offuscarent, & eius generis visionibus obstaculo essent.

Exempla eiusmodi somniorum quam plurima passim occurrunt, vbi somniantibus sæpenumero visum fuit, aut in morbum aliquem

liquem incidisse, aut ab eodem conualuisse, quibus visionibus postea respondit similiter euētus ad omnia, quæ in somniis antea prævideranr: Quamuis illa non fuerint neque citata neque postulata, sicut acciri solent diabolica somnia.

Ælius Aristides Rhetor Smyrneus cum quondam peste laboraret, somniabat se Lysin, posteriorem fabulæ partem videre, ex quo somno conualuit. *Ælii Aristidis aliorumq; plurium somnia, eorum que effectus.*

Phayllus Dux Phocensium subiniria sui Imperii effigiei cuidam æreæ, (quæ Delphis inter donaria spectabatur, ab Hippocrate Medico dedicata) hominis, cui carne consumpta sola supereſſent ossa, similem se somniabat, nec multis post diebus tabe periit. *Pausan. lib. 10.*

Quidā, vt refert Cælius ex Galen. visi sunt in somnis, pedes in lapideā substantiā induruisse, non longè post paralysi infestabatur ea pars pedis, vbi nulla mali suspicio antea à Medicis deprehēsa fuerat. *Cæl. lib. 27. c. 15. Ant. Lect.*

Arnoldo de villa noua insigni Medico, sicut scribit Fulgosius lib. 1. cap. 5. noctu in somnis visum fuit caro quodam nigri coloris in pede se sauciatum, sequenti statim die erupit in eadem pedis parte malignum & cancrosum vlcus.

Auenzone in somni visione inuenit medicamentum, quo oculi affectum curauit, in cuius diuturna inquisitione in cassum antehac laborauerat, vt scribit idem Fulgosius.

Artemidorus scribit lib. 5. quod aliquis in somnis sibi visus fuerit accepisse vulnus à Marte, cui ex tempore quoque prorupit vlcus in podice, quo secto apertoq; lanceola quadam subito restitutus fuit.

Extat apud Ælianum historia quædam memoranda de Aspasia filia Hermotimi, quæ (postquam mater ob difficiliorem partum eiusdem mortem oppetierat) à parente suo singulari modestia disciplinaque fuit enutrita ac educata. Hæc frequenter admodum somniabat, se nupsisse cuidam speciosо, elegantiac magno viro, sed dum interea temporis tardius labētis mora aliqua introducitur, accidit, vt forte in ipsius mento tumor quidam ingens enasceretur, qui ob eius insignem magnitudinem & horribilem aspectum faciei pristinam formam totam immutauit, eamque adeo deturpauit, vt sine summa molestia ac animi ægritudine id *Ælian. in l. va. hist. 12. illustris historia de Aspasia.*

ne id neque parens, neque ipsemet etiam ferre posset. Hinc motus parens, in consilium auxiliumque filiæ accersiuit Medicum, is vbi rem cognouit, continuo eam percurandam suscepit, sed ea lege, si tres sibi stateres persoluerentur. Cum autem tantum pater se non habere diceret, Medicus puellam incuratam dimisit, quæ ob id in acerbissimo luctu versata est.

Verum postea cum præ dolore non cænasset, planè opportunus eam somnus inuasit, in somno autem visio oblata hæc verba protulit: Bono animo esto, valeant Medici cum suis Pharmacis: Tu vero roseam Veneris cape, eamque contritam tuberi impone. Hæc vbi audiuisset, & executa esset, tuber euanuit.

Porro Aspasia inter omnes puellas adeo forma, vitæ honestate, incorruptisque moribus emicuit, vt primum Cyro Persarum Regi, eo autem interfecto, Artaxerxi etiam nupserit.

Plin. lib. 25. cap. 2. Plinius narrat historiam de matre militis, qui longiori loci distantia ab ea remotus erat. Hæc admonita fuit per visionem, vt colligeret radicem rolæ syluestris, quæ Cynorhodon alias dicitur, quam ipsa die præterito hesterno in horto cum animi quadam delectatione ac voluptate aspexisset, & vt tandem radicem illico mitteret ad filiũ suũ, qua in lacte infusa macerataq; proportione modica vteretur, id quod mater fecit. Et hinc paulo post accidit, vt miles iste vna cum ipso medicamento matris acciperet literas, quibus filium summopere adhortabatur, vt sine mora exequeretur id, quod scriptum esset in literis. O quã opportunum certe nuncium! Nam miser ille tunc temporis læsus canis rabiosi morsu in tanto vitæ periculo versabatur, vt ex huius veneni profundiores radices agentis nimia atrocitate iam incidisset in hydrophobiam, quæ mortis certissimum indicium est: hoc autem matris vsurpato remedio, ab interitu se inopinato præseruauit, quod postea à multis aliis feliciter quoque vsurpatum probatumq; fuit.

Herba contra morsum rabiosi canis.

Hæc dicta sint de morbis, deque horum curandi ratione desumpta ex somniorum visionumq; nocturnarum præsagiis ac prædictionibus. Ex his iam inteliigi potest, quanta sit vis & efficacia somniorum, vt quorum beneficio ac interuentu quam plurimi in vitæ etiam discrimine constituti euaserint. Hæc tamen à nobis non dicuntur

dicuntur in eum finem, quasi ad nimiam superstitiosamque somniorum obseruandorum diligentiam quamuis pellicere velimus, cum somnia interdum fallere possint. Sed nostrum est propositum solummodo indicare & commonefacere, non semper contemnenda esse eadem, legemque illam Catonis, Somnia ne cures, non ita generaliter de omnibus somniis, sed cum certa quadam limitatione intelligendam esse.

Simonides per somnium admonitus, ne illo die, quem constituerat, se committeret mari, salutariter obtemperauit. Nam reliqui omnes, qui tunc nauem conscenderant, fluctibus & procellis in conspectu eius, obruti sunt, ipse interim sibi gratulatus est; quod vitam somnio, quam naui credere maluisset. *Cic. lib. 2. de diuina. Simonides somniū.*

Themistocles etiam ex maximis insidiis, quas ipsi struxerat quidam Epixyes in pago Leontocephalo (quod significat Leonis caput) liber & incolumis evasit, cum nimirum in somnio vidisset matrem, his illum verbis alloquentem: Euita Themistocles leonum caput, ne in leonem incurras. *Plutarch. aliud Themistocles.*

Cicero in eodem libro Diuinationum, & Suetonius in vita Augusti Octauii quoq; referunt, cum copiæ Augusti & Antonii ex vna parte, & ex altera Bruti & Cassii iam instructæ essent ad præliū committendū in cāpis Philippicis, M. Artorium Medicū Augusti oblata visione mandatū à Minerua accepisse, vt hortaretur Octauiū tunc ægrum, ne se contineret etiā per morbū, quin ipsemet in præsens iret præliū. Quod cū Cæsar audiuisset, lectica se inaciē ferri iussit, in qua cum supra vires pro victoria laborasset, morbo liberatus est, & à Bruti militibus, de cæde eius cogitantibus castraq; diripientibus & lecticam inanem iaculis & pilis traiicientibus vindicatus.

Quod regnorum ac imperiorum mutationes ac translationes per somnia ac visiones longo antè tempore præuisæ ac prædictæ sunt à multis potentissimis ac summis viris, aut etiam ipsorum propinquis & cognatis, ad quos regna illa ac imperia postea peruenerunt?

Olympiæ matri Alexandri visum est in somnis prima nocte, qua legitimo ac matrimoniali thoro Philippo marito suo iungeba- *Somnium Olympiæ & Phi*

Philippi Regis Macedoniæ.

cur, è visceribus suis prosiliisse tonitrui immensum & fulgur, cuius flamma sese in ampliſſima & remotiſſima quæque loca diffunderet. Philippus similiter somniabat eadem nocte, se in ventrem Olympiæ vxoris suæ impressisse fortissimum quendam leonem.

Omnia hæc præsagiebant Alexandri filii ipsorum summam Imperii alicuius amplitudinem, ac maximam potestatem. Hæc in vi-

Sabell. lib. 9. cap. 9.

ta Alexandri apud Plutarchum & Sabellium.

Aliud somnium Antigoni.

Antigonus somniauit, se à Mithridate (quem cum filio suo Demetrio intimo amico, simul educabat ac sustentabat) regno suo spoliatum & expulsum fuisse. Quod somnium Antigonus filio suo Demetrio reuelauit, sed ea iuramenti lege, ne verbulum quidem referret ad Mithridatem, quem adeo amabat, quemq; Antigonus constituerat clam interficere. Demetrius, licet silentii Iuramentum præstiterit, ægerrimè tamen ferens hoc patris consilium nefandum in necem amici sui fidelissimi susceptum, cogitare cœpit de ratione præmonendi de hac re Mithridatem, & cum ambo soli essent, accepit telum suum, cuius acie hæc in terram exarabat verba: Fuge Mithridates. Quod simul ac intellexerat Mithridates, statim arreptâ fuga sequenti nocte traiecit in Cappadociam vsque. Id somnium autem Antigoni, mox fatum comprobauit; amplam enim & bonam regionem Mithridates regni Pontici occupauit, sicut habetur apud Plutarchum in vita Demetrii.

Iulius Cæsaris antequam Dictatoris nomen & dignitatem gessisset, per somnium visus cum matre sua concubuisse, quod (vt somniorũ cõiectores interpretati sunt) terrarũ Imperiũ illi promit-

Plutarch. in vit. Cæs.

tebat, cũ terra sit omniũ mater, quam subactã sibi viderat p quietẽ.

Somnium Octauii & Actiæ parentũ Augusti Cæs.

Octauius & Actia parentes Augusti Cæsaris videbant in somnio filium suum Monarcham magnum olim futurum: quod idẽ viderant Philippus & Olympias. Nam Actia dormiens in Apollinis templo, visa est cum dracone commisceri, peperitq; expletis ad pariendum mensibus. Ad hæc antequam pareret, somniauit viscera sua sublime in cœlum ferri, & in totum terrarum orbem diffundi. Eadem nocte Octauius Solem ex vtero vxoris oriri in somnis vidit. Nigidius Figulus Senator statim patri summum Imperium prædixit. De his consule Suetonium in vita Augusti.

Traia-

Traianus, Hadrianus & Marcus Antonius Philosophus eadē somnia & visiones habebant, priusquam ad Imperii gubernacula accesserunt, sicut scribunt Xiphilinus & Dion Nicæus in illorum vita.

Sed ne solummodo profanas historias in mirabilibus eiusmodi somniorum & visionum effectis demonstrandis, afferamus, loco conclusionis annectemus adhuc vnicum verissimum exemplum, quod literarum monumentis mandatum apud Theodoretum lib. 5. c. 6. & 7. & alios Ecclesiasticos Doctores, quod de verbo ad verbum transcriptum ita habet.

Somnium Theodosii notatu dignum.

Theodosius Dux Exercitus aduersus barbaros à Gratiano Imperatore constitutus, oblatam sibi in somnis Miletii Antiocheni imaginem vidit paludamentum sibi Imperatorium iniicere, & coronam capiti imponere, nec caruit euentu visio. Nam bello feliciter contra Barbaros confecto à Gratiano paulo post Imperator designatus est. Annoque sui Imperii tertio, Christi 383. synodum Constantinopolitanam pro fide Nicena confirmanda indixit. Cum Episcopi conuenissent, Imperator Meletiū sibi indicari vetuit, facturus periculum, vtrum imagini per somnium conspectæ vera esset Melitii facies responsura. Ingressus ad patres ad Meletium confestim agnitum accurrit, eumque complectens osculatus est & somnium coram omnibus exposuit.

Somnia naturalia.

Satis dictum est de somniis supernaturalibus, quorum nonnulla diuinorum naturam non obscurè æmulantur. Reliquum est, vt nunc agamus de naturalibus, vt quæ specialiter ad Medici considerationem pertinent. Somnia naturalia sunt passionum animi & corporis indicia: proinde sunt à Medico contemplanda, vt ait Aristoteles, Galenus, pluresque alii Medici; sed plenissimè Artemidorus.

Auctores qui de somniis scripserunt.

Varia somniorum causæ externæ.

Suscitantur eiusmodi somnia plerunque à causis cum externis, tum internis. Externæ sunt, vsus ciborum copiosos vapores excitantium, & eorum qui gignunt sanguinem torridum & Melancholicum. Ex intempestiuo caulium vsu tristia somnia suboriuntur, phaseli turbulenta insomnia inducunt,

Cæpe & alia terribilia. Ita etiam aliorum ciborum noxiorum immoderatus vsus potest dormientes eiusmodi molestiis & tristibus visionibus perturbare. Hæc omnia pendent à causa externa, sicut & aliarum mirabilium visionum causæ creduntur esse varia animalium corda, capita, & dormientium capitibus supposita, vt docet Albertus Magnus. Ad eandem quoque causarum externarum familiam referre licet id, quod Olaus notauit in suo lib. 18. cap. 6. Hæc sunt eius verba: In Suecia septentrionali Gulo animal voracissimum capitur, pellis eius pretiosissima, dormientibus sub harum pellium tegumentis euenire solent somnia, quasi eius animalis vitæ naturæq; conformia, & cum insatiabili vorandi cupiditate, & bestiis insidiis faciendis & præcauendis.

Interna. Quod ad causas internas attinet, illæ sunt humores maligni atq; Melancholici, qui tenebrosa sua caligine mentis lucē offuscant, illiq; varia molestiarū genera imprimunt, vt manifestè conspicitur in omnibus iis, qui Melancholico temperamento sunt præditi.

Sed quod magis stupendum est, eiusmodi somnia & visiones, non tantum sensuum functiones, sed ipsius etiam motus afficiunt.

Testis est Theon Stoicus, qui inter dormiendum ambulabat: eiusdem rei testimonium perhibet seruus Periclis, qui domus tectum dormiens conscendebat. Huius quoq; testis extat ipse Galenus de se ipso scribens lib. 2. de motu musculorum cap. 4. Qui noctu aliquando iter faciens obdormiuit inter eundum, & stadium fermè integrum dormiendo peregit, somnia videns, nec prius excitatus est, quam in lapidem pede impegisset.

Remedia ad somnia molesta & inquieta. Remedia igitur, quæ ad præcauenda eiusmodi somnia bonam noctis quietem interturbantia adhiberi debent, talia sunto, vt videlicet ab initio inprimis cuiuis caueatur omnium ciborum vsu, qui illorum causam fouere possint, vtque præterea vsurpentur remedia purgantia humores istos melancholicos, qui talia in nobis somnia plerunque excitant, vt adhibeantur quoque corrigentia atque alterantia, antidoti & medicamenta alia appropriata: item revulsiones ac deriuationes ad dissipandam nimiam fumosorum vaporum exhalationem, qui ascendentes in cerebrum, talium molestiarum causæ existunt. Vt denique non omittantur etiam opportuno

tuno tempore & loco sanguinis missio, cucurbitularum applicatio & alia remedia à Chirurgia mutuata.

Medicamina particularia sunt, semina lactucæ in iusculo sumpta; semina quinetiam portulacæ lecto imposita, insomnia arcent secundum Amech. Albertus laudat puluerem cutis serpentis puluinari suppositum. Margaritæ suspensæ collo timorē in somno abigunt, secundum Auicennam. Anisum insomnia leuat suspensum in puluino, vt dormientes olfaciant, iuxta Plinium. Galenus commendat Anethum sub ceruicali positum ad stertentes, & eos, qui è lecto exiliunt. Et rhasis dicit, quod dentes equi positi sub capite dormientis eum continent. Coronidis loco, hoc quoq; tibi somnum conciliabit tutissimum ad insomnia, phantasmata & malos spiritus profligandos, Deo sese commendare ab eoq; custodiam bonorum geniorum exorare. *Simplicia quædam medicamenta contrà insomnia.*

CAPVT V.

De Exercitio & Quiete.

Exercitium nostri caloris innati verum fomentum, & fuliginosarum superfluitatum in corporibus redundantium aptum est remedium, omni plethoræ siue plenitudinis inducendæ obstaculum ac impedimentum, agilitatis ac promptitudinis corporis comparandæ incitamentum, neruorum & iunecturarū corroborandarum idoneum & opportunum auxilium, nec non præcipua & primaria causa apertionis pororum ac meatuum, per quos fuliginosa illa & superflua sanguinis & spirituum, qui alias vitæ nostræ fomites ac sustentacula sunt, materia foras propellitur ac dissipatur, vt singulæ corporis facultates corroborentur & instaurentur, omnium sensuum tam interiorum, quam exteriorum actio promptius ac rectius perficiatur, liberior fiat pulmonum inspiratio ac respiratio, cordis robur ac vigor restituatur, partes quoque nutritioni inseruientes melius concoquant, digerant, & assimilent alimenta, eorumque excretionem citius absoluant. Hæc *Effectus Exercitii.*

sunt insignia illa emolumenta, quæ legitimum moderatumq; comitantur exercitium, in tempore scilicet & loco, vt mox dicemus institutum. Paulus Ægineta de exercitio scribens, nostram sententiam his verbis affirmat : Exercitium est, inquit, motus vehemens, vehementiæ terminus est respirationis mutuatio ad densitudinem : Exercitia vero præparant partes instrumentales, vt ne facilè offendi possint, & robustas ad actiones efficiunt. Faciunt etiam alimenti attractionem fortiorem & alterationem promptiorem, & nutritionem meliorem, propter exorientem caliditatem, expurgant quoque meatus & superfluitates euacuant propter fortem spiritus motum &c.

Lib. 2. de re. med. cap. 16.

Lib. 1. Synop. cap. 2.

In eundem modum fere scribit Oribasius : Exercitatio, inquit, est vehemens motus. Terminus vehementiæ est anhelitus ad frequentiorem alteratio. Porro laboriosæ exercitationes membra organica præparant, & robustiora ad actiones, & ad validissimam alimenti attractionem, promptissimamque alterationem & meliorem appetitum propter calorem excitatum reddunt, meatus purgant & vehementi spiritus impetu excrementa expellunt.

Variæ exercitiorum differentiæ distinctæ in tres species.

Ex hac itaq; definitione Oribasii plures licet intelligere esse exercitiorum differentias, has nos in tres species reducimus, atque distinguimus 1. in laboriosa, vehementia seu violenta 2. in mediocria seu media & 3. in parua seu leuia. Generalis exercitiorum diuisio, quæ specialius considerata pro diuersa ætatum ratione vlterius distinguitur, proutq; alii aliis plus minusue laborum ferre queunt. Præterea notandũ, qualia nam Exercitia, vel in genere corpori conueniãt, vel in specie singulis eius partibus, vt capiti, collo, pectori, humeris, brachiis, manibus, renibus coxendici, cruribus & reliquis.

Exercitiorũ locus.

Ratio quoq; non minima habenda est loci, quo instituuntur Exercitia. Alii enim magis assueti sunt se exercere super vel subter terram : alii vero in aquis, stagnis, fluuiis, mari aut similibus locis aquaticis, circa hæc enim elementa duo homines operando communiter versantur.

Tempus.

Sic similiter temporis consideratio hic admodum est necessaria. Sciendum enim est, quodnam exercitio tempus sit maximè idoneum

neum, matutinum ne, an vespertinum, ante vel post pastum. Quorum omnium vsus legitimè ac debitè administrandus erit, pro ratione varia corporis, aliarumque circumstantiarum: Interim tamẽ ingenii exercitia minimè debent negligi, quæ sæpenumero corporis exercitiis longe prævalent.

Apud Antiquos passim in vsu fuit ars illa Gymnastica, quæ successu temporis simul cum mundana luxuria ac intemperantia adeo increuit, vt quamplurimum eius vestigia hodierno adhuc seculo inter nos reperiantur, sicuti experientia testatur.

Extat hac de arte ex neotericis Hieronymi Mercurialis celeberrimi Medici elegans sanè & doctus liber.

Hæc ars est primum inuenta à Græcis, teste Cicerone qui Gymnasia delectationis & exercitationis gratiâ primum à Græcis inuenta asserit, quod vocabulum Gymnasii est deriuatum à Græco γυμνάζειν, quod exercere significat. Accipitur quoq; Gymnasium pro quolibet exercitii loco, vt luctandi, currendi, disputandi, literas tractandi vt Plautus testatur. Et Gymnasiarchus siue Gymnasiarcha dicitur is, qui supremum obtinet locum, in quodam horum exercitiorum ludo, sicut refert idem Cicero. *1. de orat.*

Quantum ad horum ludorum siue exercitiorum differentias attinet, illarum quidem plures recenseri possunt, quas tamẽ in hæc duo præcipua capita reducimus: (pendent autem vtraq; illa à motu naturali accedente arte) quorum alterum est simplex, alterum vero comitem habet æmulationem ac imitationem. Simplex seu Antecedens est, quando homo solus vel saliendo, vel currendo, vel sine socio aliter se exercendo ludit. Hoc secutum est mox alterum illud, æmulationis videlicet, qua ingenti quodam desiderio ac omni conatu sese attentat lusor, vt vel idem exercitium ad vnguem imitetur, vel etiam alterum colludendi socium maiori industria sua vincat, vnde orta est primum invidia, ex invidia obtrectatio & maledicentia, ex maledicentia vero Lucta, quæ non nisi inter duos ad minimum fieri potest, qua alter alterum supplantare conatur studetq;. Pro varia horũ certaminum conditione varia quoq; exercitiorum nomina inuenta, variaq; inter luctatores præmia diuisa fuerunt. Dicebantur enim digladiatores illi palæstritæ pugi- *Duo exercitiorum præcipua capita.* *Lucta causa.*

Athletæ vndè dicti.

tæ, pugiles siue palestræ Lusores. Athletæ vero dicti sunt ἀπὸ τοῦ ἆθλος, hoc est, à præmio. Luctarum autem harum siue exercitiorum quinq; erant præcipuè genera, nempe cursus, lucta, pugilatus, saltus, iactus disci, saxi & iaculi. Hi qui palmam reportabant, Pentathli appellabantur, Latinè Quinquertiones.

Pentathli Scalig. lib. 1. poem. cap. 22.

De cursu.

Stadiodromi.

Ordiemur primo à cursu, cui locus publicus destinatus erat, cuius longitudo erat spatium bis Centum & viginti quinque passuum, aut ducentorum cubitalium, ac qui vincebant, cursores in genere vocabantur, in specie vero eorum alii dicebantur Stadiodromi, qui stadium semel tantum in longum percurrebant, & in limite quiescebant. Vergilius mentionem facit septem stadiodromorum, qui ludis illis intererant, quos Æneas celebrari curauit in Sicilia, in honorem sepulchri Anchisæ parentis sui: ii vero qui peracta meta & decursu eo demum sine intermissione reuertebantur, vnde cursum inierant, Diauldromi dicebantur. Qui vero sexies repetito cursu stadium obibant, perpetuoque impetu duodecim stadia decurrebant, Dolichodromi nuncupabantur. Hi vero, qui sine intermissione, sineque vlla respiratione per totum diem à diluculo vsq; ad vesperam cursum continuabant, vocabantur Hermerodromi.

Æneid. 7.

Diauldromi.

Dolichodromi.

Hermerodromi.

Tale cursus exercitium vsitatum est adhuc in pluribus Galliæ locis. In nostra enim Vasconia vix reperies vllum pagum, in quo incolæ non quotannis solenne aliquod festum celebrent, sicut hoc quoque apud alios non invsitatum est. Instante vero tali aliquo festiuo die, vndique ex proximis adiacentibus pagis conuolant & congregantur coloni, vbi iuuenes videas à prandio se exercere in variis ludorum generibus: hic ludunt, & se exercent sclopetarii: Illic arcubalistarii, alteriusque generis lusores, vbi ludorum varia constituta sunt præmia illis, qui victoriæ palmam ludendo impetrant. Ex dictis exercitiis, cursus quoq; familiaris est ipsis, confluentibus scilicet finitimorum locorum exercitatioribus cursoribus. Longitudo cursus æquat ad minimum dimidium miliare Vasconicum, quod integrum facit Francicum. Huiusmodi cursores numero interdum decem aut vndecim, plus minus, in vnum

Cursus ludus familiaris Vasconibus.

congre-

congregati, simul omnes à metæ ipsis præscriptæ vno termino cursum incipiunt, eumque continuant vsque ad alterum metæ terminum, cui alligatus est, aut vitulus, aut veruex quidam pinguis, aut pileus corallis ornatus, aut quiddam aliud, quod in præmii locum offertur illi, qui definitam metam primus decurrendo attigerit. Vbi variis ipsi vtuntur stratagematibus, omniq; studio ac industria in id sunt intenti, vt alter alterius gressus anteuertat. Qui vero sunt exercitatissimi, hi sua currendi celeritate freti, ab initio tardius sine magna passuum frequentandorum festinatione ingrediuntur, idque ad cõprimendum anhelitum: hoc vero continuant vsque ad metæ præscriptæ medietatem solummodo, qua appropinquante, tanta pedum velocitate reliquam metę partem decurrunt, vt pedes alatos habere existimes: Ac non longe post, ipsos quoque à tergo post se relinquunt, qui vltra mille passus antea præcurrebant, & quibus à spectatoribus, ex primo aspectu, tam vota præmiorum & honorum cursus designata fuerant. Cursores in Palæstra, vel Palæstritæ sunt ipsi lusores palæstræ. Hic lusus specialiter ad exercitium cursus pertinet, & valde vsitatus est in Gallia, præcipueque in Vasconia nostra: in eo se plerunq; exercent iuuenes literarum studiosi, ad corporis fortitudinem ac robur explorandum. Nam contingit sæpenumero, vt & huius ludi longiori continuatione non solum sudor prouocetur, sed totum etiam corpus interdum prorsus madore irrigetur.

Pausanias in Atticis huius palæstricæ artis inuentorem statuit Theseum, quæ etiam pertinet ad luctatores, dictos Palæstritas vocabulo Latino, quod deriuatum est à Græco πάλη, id est, lucta: vnde παλαυστικὸς luctator, qui vt ipso luctæ impulsu tantum, & tractu, & pressione, & supplantatione aduersarium prosternere potest, sed non cædere, vt scribit Scaliger in eodem libro & capite supra citatis. Eius generis lucta hodie quoque adhuc conspicitur in maximo vsu esse in Gallia, in eadem Vasconia, nec non in aliis regionibus. Proponuntur præterea alia duo luctarum genera ab antiquis olim obseruata, vbi videlicet aliquando luctatio illa fit amplexu mutuo, ab ileis & humeris, interdum consertis brachiis manu apprehensis.

Modus luctandi.

Denique luctaturi olim vestimentis depositis, nudoq; corpore in arenam descendebant, ac ceromate inungebãtur, hoc est, quodam linimento ex oleo & cera cõposito, & ministri, qui in eiusmodi ceremoniarum ritus obseruandos constituti erant, Ceromatistæ appellabantur. Hinc Sta. palæstram vocat pinguem; Claudi. liquidam, & Ouidius vnctam: aliiq; Poetæ illam nominant madidam sordidamq; palæstram, vt annotauit Rau'sius.

Ceromatistæ.

Secũdum Thucydidem, Lacedæmonii primum in huiusmodi ludis Gymnasticis modum inungendi & denudandi corpus introduxetunt, ob quam denudationẽ ars illa præsertim nomen Gymnasiæ accepit.

Cæl. libr. 7. cap. 26. ant. sect.

Alex. lib. 2. cap. 25.

Cælius & Alexander literis prodiderunt, quod ex ipsæ filię Lacedæmoniorum nondum adultæ palestra exercebantur nudæ. Quod studium nequaquam improbauit: censuit enim, vt non modo puellæ, sed & anus luctarentur cum viris, vt patientes laborum eo facilius res arduas subirent, quorum studio in posterum adeo infecti sunt, vt pro fortibus militib. se bonos palæstras & Athletas dici potius exoptarint.

Lucta Lacedæmoniis familiarissima.

Lib. 2. Ennead.

Sabellicus confirmat hoc ipsum de iisdem puellis Lacedæmoniis, addens, nudationem illam nil turpis habuisse, aderat enim verecundia, aberatque omnis petulantia. Fuit hæc consuetudo simul etiam cum luxu accrescente introducta, vt quæ nullibi ante hac apud priscos in vsu erat. Athletæ olim ferulatis campestribus certabant, vt scribit Thucydides: Certabant tecti aut veste, vel etiam armis, vt est apud Hippocratem. Hinc Augustus morem & consuetudinem hanc inverecundam ac turpem deprehendens, omnino prohibuit eiusmodi spectaculis fæminas interesse. Vtimur eius generis exercitiis in Gallia, ratione paulo modestiori ac decentiori: vbi & in lucta, & in cursu palæstræ, interdum vestimenta quidem detrahantur vsque ad indusium, vt corpus horum onere subleuatum expeditius ac habilius ad currendum reddatur, sed nunquam exutis omnibus vestimentis, plane nudo curritur corpore.

1. Histor.

Tertium antiquorum exercitium est pugilatus, vnde pugil dicitur,

dicitur, qui pugno plagas impingere poteſt, & aduerſarium ſolo percuſſu proſternere, quo tamen nihil familiarius in Gallia ſeruis & pediſſequis, & eiuſmodi inferiori conditionis petulanti turbæ. *Pugilatus Pugil.*

Ex his duobus exercitiis, pugni ſcilicet & luctæ, ſurrexit quoddam aliud certaminis genus, quod Pancratium apud Priſcos nominabatur. Tales enim dicuntur, qui corporis totius conatu, etiam calcibus, etiam genubus, etiam dentibus, omnique virium contentione inſurgunt in pugnam, vt adverſarium ſuperent. Cælius huius inuentionem aſſcribit Theſeo, quando in Creta abſq; gladio Minotaurum aggreſſus eſt. Quod licet ita ſit, eſt tamen exercitium potius Sycophantarum, & hominum nauci, quo hodie dicti iſti ſerui ac pediſſequi, & huius farinæ baiuli, ſe ſolent oblectare, vbi ipſi in tali pugna, pro ſui defenſione & obtinenda victoria, contra aduerſarios ſimul cum pugno inferunt etiam dentes & pedes, & genua, & alia corporis membra. Egregius certe ludus, ſi diis placet, qui in 28. Olymp. primum inuectus eſt. *Pancratium. Lib. 13. Ant. lect. Pancratii inuentor.*

De quarto antiquorum exercitio, quod eſt ſaltus ſiue ſaltatio, abunde ſatis ſcripſerunt, Alexander, Cælius, Iulius Scaliger, quo lectorem relegatum volumus. Hoc tamen obiter placet hic monuiſſe, maiores olim noſtros non minori ſtudio huic exercitio incubuiſſe, quam adhuc noſtro ſeculo fieri ſolet, non ſolum in Francia noſtra, ſed propemodum vbivis locorum. *Saltus ſeu ſaltatio. Ath. lib. 14. Alex. l. 2. c. 25. Cal. l. 5. c. 3. Ant. Lect. Scal. 1. poet. c. 18.*

Huius primi inuentores fuerunt Orpheus & Muſæus, tanquam ſuo tempore ſaltatoriæ artis coryphei, qui & feſtiuitates & ceremonias omnes, vt & cætera omnia, vt honeſtiſſimum quiddam legibus ſanxiſſe videntur, initiati cum rythmo & ſaltatione. *Inuentores ſaltatoriæ artis. Luc. libr. de ſaltatione.*

Prima omnium antiquorum ſaltandi ratio non erat, niſi ſimplex leuisque corporis commotio, ſiue vnius ſolius, ſiue plurium manibus catenatis inuicem cohærentium: Græci etiam appella- *Antiquorum ſaltandi ratio quænam?*

bant ὄρχησιν: Latini saltationem: quæ sine cantu & instrumento Musico fiebat. Idem saltandi modus multis adhuc in locis apud plures in vsu est. Postea vero accessit cantus vocalis, à quo ipsam saltationem χορείαν nuncupabant, cuius vsus frequentissimus existit, hisce adhuc temporibus inter plebeios.

Tandem etiam omnis generis instrumenta musica fuerunt adhibita, quorum tot tamque diuersa hodie genera habentur, quibus etiam prisca illa tempora caruerunt: progressu enim temporis artium ac scientiarum fæcunda inuentio magis magisque accrescit.

Principales saltationum differentiæ.

Scaliger saltationem diuidit in duplicem potissimum speciem, in statariam nempe vnam, & in motoriam alteram. Non quod alterutra citra motionis ministerium perficiatur: alias enim saltationis nomen sterile ac inane esset, cuius tamen proprius finis est corporis exercitatio quædam, siue ea sit leuior, siue Paulo vehementior: sed quod solummodo ostendatur differentia maioris aut minoris commotionis, omnium corporis membrorum. Cuius rei exempla se offerunt manifesta, & omnibus nota in illis saltationum generibus, quibus tum Galli tum aliæ nationes vtuntur, vt Volcæ, Curantæ & Galliardæ, quæ maiorem corporis commotionem requirunt, sicut ostendit nominum illorum deriuatio, quam cæterorum populorum, ut Germanorum aliorumque consuetudo fert, qui inter saltandum primum leuiori ac tandem in secunda saltationis parte paulo maiori corporis impulsu commouentur.

Ex his duabus generalibus differentiis possunt plures aliæ deduci, idque vel ratione corporis plus minusve lassitudine oppressi, vel honestatis, vbi saltatio modesta & laudabilis est, alia vero lasciua & inuerecunda, vel à loco ipsarum regionum, vbi primum inuentæ fuerant, vel à singulari quadam & artificiosa membrorum dispositione. Sic & aliæ ab imitatione & varietate melodiæ musicis instrumentis decantatæ, & ab habitibus siue indumenti, tali exercitio destinati qualitate.

Erant præterea alia saltationum genera antiquis consueta, quæ

quæ vel ipsorũm authorum, ac inuentorum, vel etiam aliorum, in quorum gratiam instituta fuerant, nominibus insignie bantur, vt est pyrrica saltatio pro iuuentute in armis se exercenda, à Pyrrho inuenta ac celebrata: Et tripudium Castoris, cuius fit mentio à Veteribus, in quo saltandi ratio introducta fuit in gratiam & honorem Castoris à Lynceo interfecti.

Pyrrhica saltatio. *Plin. lib. 7.* *Liu. libr. de saltat.* *Tripudium Castoris.*

Duæ quoque aliæ saltationum principales species erant, quæ vocabantur vulgares & Theatricæ: Vulgarium vsus erat in nuptiis & sacrificiis. Antiquitus enim nulla fiebant sacra sine saltatione & choro Musico. Proderant enim (vt Cælius memorat) puerorum chori tibiis ac cythara præcinentibus, inter quos exercitatiores & peritiores ad saltandum eligebantur, & illorum cantiones ab huius saltationis vsu appellabantur Hyporchemata, ita dicta, quod inter saltandum fere generosum quiddam seruarent & virile. Sed cantus solus sine saltatione Stasima ipsis dicebatur.

Saltatio Theatrica. *Lib. 5. cap. 3. Antiq. Lect.* *Hyporchemata.* *Stasima.*

Theatricæ vero distinctæ erant, ratione argumenti siue materiæ ipsarum fabularum, quæ in theatris induci agique solebant. In tragœdia enim tanquam materia tristi, saltatio erat gravis certis numerorum gradibus distincta ac luctuosa, quam appellabant ἐμμέλειαν. In comœdia vero saltus erat liberior ac festiuior potius, quam lugubris qui nuncupabatur κόρδαξ. Satyrorum autem saltatio coniuncta erat cum summa leuitate ac lasciuia, quæ propterea dicebatur σικιρ'ῆης.

Theatricæ saltationis differentiæ. *Emmeliæ.* *Cordax.* *Sicirrhis.*

Hæc sunt præcipua antiquorum saltationum genera, &c. Sed saltationes siue choreæ, vocibus ac instrumentis Musicis adaptatæ, apud Ethnicos non solum vsitatæ, magnique æstimatæ fuerunt, sed in sacris quoque literis easdem approbatas fuisse, exemplis constat.

Dauid Regius ille Prophera, lineo cingulo succinctus totis viribus saltabat, & simul cum ipso tota ipsius domus, dum nimirum cum magna iubilationis vociferatione, adhibitis simul omnis generis Musicis instrumentis, vt cythara, buccina, tympano decachordo, tuba & cymbalis bene sonantibus arcam fœderis à Philistinis Hierosolymam reducebat.

Sam.lib.2. cap.6.

Sic quoque Iudith celebris illa Heroina Holoferni capite abscisso & detruncato, hacque ratione copiis Assyriorum nimio terrore perturbatis ac prostratis, vrbeque ab obsidione eorum sic liberata à cunctis mulieribus Israeliticis, laudis & gloriæ benedictione ac plausibus excepta, oleæque ramo præcincta thyrsum gestans & chorum mulierum præcedens, cum omni populo Israelitico hymnum triumphalem Deo æterno ac maximo, saltando decantabat, eique immensas ac immortales, pro tam admiranda & incredibili victoria, gratias referebat.

Hoc exercitii genere nõ solummodo homines plebeii ac iuuenes vsi, eoq; delectati sunt, sed fuerunt etiam magni quidam Reges ac Philosophi sapientissimi, qui eandem artem in summis delitiis habuerunt, didicerunt atque exercuerunt.

Socrates saltandi arti deditus.

De Socrate legimus, quod artem saltatoriam non tãtum summis prosecutus sit laudibus, sed & ipsam quoque addidicerit, nec veritus sit in prouecta etiam ætate saltare, eamq; simul cum aliis grauissimis scientiis coniungere, multumque tribuens concinnitati & elegantiæ, tum apto motui neque non mouentis affirmationi. Hinc videmus adhuc hodie in usu esse, dum pueros nostros aut puellas in hac arte erudiri volumus, potissimum id fieri, ob morum elegantiam, concinnamq; corporis compositionem cõparandam. Magnum enim discrimen apparet inter illos, qui huius artis periti aut imperiti sint, quiq; illam addidicerint vel non addidicerint. Adeo magni faciebat Socrates hanc artem, vt familiariter cum amicis loquẽdo, illam membrorum ac totius corporis exercitium vtilissimum esse prædicaret, & subinde diceret, scite tripudiantes maxime esse idoneos rebus bellicis. De quo hi versus extant.

Athen.lib.1. cap.16.

Lucian.lib. de saltu.

Qui sciuere choris decorare deos, hi
Optimi & in bello.

Inter Reges olim eodem saltationis exertio summopere delectabatur, Antiochus Magnus, nec non & alii plures. Poetæ quoq; in Deorum laudes vsi sunt saltatoris titulo. Pindarus & Homerus Phœbum Orchesten saltatorem appellant. Idem nomen & Ioui

Ath.lib.1. c.16.cal.1. cap.3.

attri-

attribuitur. Homer. præterea dicit, saltationem certis temporum interuallis, & Musicis rythmis mensuratam esse donum cœleste potius, quam mundanum aut terrestre. Sic igitur diuino hoc munere donatus homo, à cæteris distinguitur animalibus eo destitutis: ut qui non sit merum animal, sed Deus mortalis. Dum autem hic generalem saltationum commendationem instituo, non propterea in specie & illas approbare consilium est, quæ indecoræ & lasciuæ sunt, finesq; honestatis transiliunt. Neque etiam illas in quibus tot tantæq; ridiculæ gesticulationes, indecentes quoq; ac nimis impetuosæ, corporis hinc inde dimotiones atque agitationes, aliæq; sexcentæ eiusmodi fatuitatum ineptiæ conspiciuntur, quæ saltandi ratio potius detestanda conuenit circulatoribus, quam hominibus liberali ingenio natis & educatis: quæque ab omnibus Rebuspu. bene constitutis quondam damnata, tanquam sordida, vilis & abiecta, maximeq; infamis repudiata fuit, quam & ego ipse summopere abhorreo & detestor, (nec non alios ludos Gymnasticos) quemadmodum & eadem non solum in verbo Dei, sed à compluribus etiam sanctorum Patrum, aliisq; grauissimis auctoribus, tanquã res detestanda, & homine vere Christiano, Deumq; timente indignissima, damnatur & improbatur. Licitæ sunt saltationes honestæ & dignæ laude, quibus Deus ipse non offenditur, quæq; ciuilitatis & vrbanitatis studium promouent, & prouehunt, quo homines negotia sua, cum decentiori corporis eiusq; membrorum, cũmoderatione, expedire queant, & hoc pacto ipsius quoque corporis habitus ac constitutio bona non solum sarta tecta conseruetur, sed vegetior etiam agilior & promptior reddatur, ad quosvis labores sustinendos, vtque hinc otium turpissimum Satanæ puluinar deuitetur. *Encomium saltationis.*

Tales saltationes sunt, quas Socrates, Plato, Sophocles, & alii sapientes comprobarunt, & addiscere scireq; in votis habuerunt, vti diximus: quæ, si temporum iniuria, hominumq; improba deprauatione in abusum quendam deuenerunt, non propterea tamen ars ipsa reprehendenda est, possent enim pari modo omnes etiam reliquæ artes damnari ac vituperari, quod iis vt plurimum

abu-

abutantur homines. Veteres autem sapientes abusum illum, qui tunc illorum temporibus iam irrepserat, neque recipere, neque vllo modo tolerare Consueuerunt.

Plato enim cum mandatum accepisset à Dionysio Tyranno (quod idem mandatum & aliis pluribus datum erat) vt in quodam conuiuio, toga longa purpurea, qualem Reges tunc temporis gestare solebant, indutus saltaret, id fieri recusauit, hosque Euripidis versus recitauit.

Muliebri ego haud quaquam indui queam stola,
Vir natus ipse, & ex virili germine.

Elegans admonitio Demadis ad Philippum Regem Macedoniæ. Erasm. in Apoph.

Quo indicari voluit, tale saltandi genus, cum habitu muliebri, arguere summam quandam leuitatem, & potius circulatorem, quam philosophum decere. Et Demades Orator facundissimus, cum quodam die conspexisset Philippum Macedoniæ Regem, vino obrutum in media perditorum hominum ac captiuorum turba, coram quibus detexit turpitudinem ac miseriam suam, illum sic compellauit, ipsiq; Philippo erubescenti vitæ emendandæ occasionem dedit, Cum, ô Rex, inquit, fortuna tibi Agamemnonis personam imposuerit, non pudet te factis agere Thersiten?

Ex quibus palam fit, multos viros egregios ac præclaros, tum Philosophos, tum etiam alios comprobasse, commendasse, nec non exercuisse quoque hanc artem saltatoriam, tanquam vtilem & necessariam, tam ad corporis sanitatem conseruandam, quam ad bonos mores comparandos: contra vero improbasse & detestatos fuisse, sicut & nos simul cum ipsis detestamur, omnis generis alias saltationes illicitas, ad fastum natas, & exitiosas tam corpori quam animæ.

Sciens volensque hic silentio pertranseo exercitia illa saliendi in altum, & in aerem quasi volandi, quæ etiamsi quodammodo ad saltationum speciem aliquam referri queant, ob motum illorum violentum & vehementissimum, propter quem etiam non omni carent periculo: ipsa tamen potius circulatorib. relinquenda sunt, qui iis vtuntur in theatris ad spectatorum oculos pascendos: non enim magni aliquid momenti afferre possunt, ad vitæ communis commodum & sanitatis studium.

Nec

Nec miror amplius, cur Plato, Hippocrates & Galenus tantopere auersati fuerint, adeoque damnarint saltatoria nonnulla exercitia, nec non gymnasticos ludos. Surrexerat enim tunc illorum temporibus tantus illorum abusus, tantaque confusio, vt mutata rerum facie vsus illorum bonus ac laudabilis prorsus deprauatus ac corruptus esset.

Hæc de variis exercitiorum differentiis & conditionibus tractatio. Nunc ad quintum exercitationis genus, quod adhuc tractandum restat, est iactus vel disci, hoc est, lapidis rotundi, & in medio perforati, vel iaculi. *Iactus vel disci vel iaculi.*

Huius ludi inuentum ascribunt Perseo. Eiusmodi exercitii genus, in quo lapis admodum ponderosus fortissimo lusoris impulsu propellitur, vsitatum adhuc est in pluribus locis Vasconiæ. Iactus item iaculi in Biscaia familiarissimus. *Inuentor.*

Sed solebant olim iaculum manu tantum torquere, quod & hodie multi multis in locis solent, cuius loco ingeniosa & apta nunc habetur instrumenta, veluti arcus & arcubaliſtæ, quibus ad antiquorum imitationem maiori cum violentia, sagittas ac tela nostra, quæ iaculi nimis longi vicem gerunt, iaculamur, quod idem exercitium Vasconibus admodum familiare est, qui præ cæteris nationibus maiorem veterum exercitiorum & monimentorum partem retinuisse videntur.

Qui vero tela illa aut iacula moliebantur, iaculatores olim nuncupabantur.

Sarmathæ & Parthæ olim, quemadmodum hodie Scythæ & Tartari, singulari dexteritate, hoc exercitio vtebãtur, veluti mira de ipsis scripta legimus. Nam non aliis armis, quam his ipsis telis atque sagittis in bello equis insidentes vtebantur, vt etiam fugientes à tergo iaculati, auersique sequentes hostes læderent perinde ac auersi: *Qui populi peritiores iaculandi sagittas.*

Sarmaticæ maior Geticæq; frequentia gentis
Per medias in equis itque reditque vias.
In quibus est nemo, qui non Coryton & arcum,
Telaque viperea lurida felle gerat.

Eiusdem exercitii peritissimi quoq; fuerunt Ithuræi, vnde Poëtæ cecinerunt arcum Ithuræum, sagittas Parthicas, neruos Gethicos, Pharetras Sarmaticas, Cretenses item fuerunt balistæ & sagittandi peritissimi, atque inter alios celebriores, pag. Cydonii Coloni. Vnde Vergilius:

Ire libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula, tanquam hac sit nostri medicina doloris.

Alex. lib. 1. c. 20.

Romani dabant operam, vt suainuentus plerumque imbueretur atque institueretur omnibus istis disciplinis, quæ ad bellicam spectabant artem, præcipue tamen curabant, vt iaculandi peritia excellerent, eiusque rei inter arma peritiam non vulgarem haberent.

Hæc ars olim adeo fuit honorifica atque spectabilis, vt Ethnici inde honoris titulos ac nomina mutuati sint, quibus Deos suos & fortissimos sui seculi heroes affecerunt. Poetæ Appollinem vocant sagittiferum.

Mars clypeo melior, Phœbus præstantior arcu.

Arcubalistæ præstantissimi.

Et Hercules, qui à Rege quodam Oechaliæ, nomine Eurytodicerat sagittandi industriam, Centaurum Nessum, quamuis in vlteriore Acheloi ripa remotum, & ceruam æripedem certo traiecit ictu, Harpyasque volucres in medio aere confecit.

Fuerunt similiter multi potentes Monarchæ, Principes, Duces, aliique magnates, qui summæ sibi laudi & gloriæ duxerunt, si in huiusmodi exercitiis eminere, & primas præ aliis partes obtinere potuerunt.

Cyrus Rex Persarum, Teridates Dux & Princeps Parthorum excellens à Nerone tandem superatus: Constantinus ac Gratianus, imperatores Romani. Hi omnes inquam, eximie in historiis celebrantur ob singularem industriam, qua in telis & sagittis, iaculandis excellebant, qua etiam in arte incredibilia & admiranda peritiæ suæ ediderunt specimina.

Quid dicemus de Commodo (etsi is sit, qui à parentis sui singulari probitate ac pietate degenerarit) cuius tamen interim tantum robur, vt etiam Elephantem iactu hastæ penitus transfigeret, tanta-

tantaque dexteritas, vt emissis centum sagittis, centum leones humum deiiceret, vnoque solo ictu plures feras simul in terram prosterneret, imo tam peritam & exercitatam sibi comparauerat manum, vt quicquid oculo destinasset, iaculo & sagitta contingeret, vt Auctor est Sabellius. *Lib. 5. Ennead. 7.*

Non minori industria præstantiaque in hoc exercitiorum genere, olim florebat Imperator Domitianus, qui in sagittarum studio totus erat, Centenas varii generis feras sæpe in Albano successu conficientem spectauere plerique, atque etiam ex industria, ita quarundam capita figentem, vt duobus ictibus quasi cornua effingeret. Sed adhuc magis mirandum est, quod de eodem scribit Suetonius: Nonnunquam, inquit, in pueri procul stantis præbentisque pro scopulo dispansam dextræ manus palmam, sagittas tanta arte dirigebat, vt omnes per interualla digitorum innocue euaderent. *Domitianus sagittandi peritissimus.*

Satis dictum esse opinor de quinque horum exercitiorum generibus, quæ præcipue ab antiquis olim inuenta & vsitata fuerunt, quibus progressu temporis quam plurima alia accesserunt. Nam loco cursus pedestris equi postea adhibiti fuerunt, quorum ministerio insidentes ad cursum vtebantur. Equi porro in hunc locum domiti artificiose edocebantur, vt pro cuiusvis arbitrio scite ac belle saltare ac resultare addiscerent, quorum vsus postea non solum erat in eiusmodi exercitiis equestribus, sed etiam in aliis certaminibus ac ludis, quos vocabant equestres concursus. Vergilius 5. Æneid. de horum exercitiorum origine tractat. Quæ cum nimis vsitata hodie sint, & in Gallia & alibi non necessum esse putamus, de illis plura hic scribere. *Hippocomia.*

Fuerunt etiam in hunc modum certamina ac ludi instituti, duobus scilicet equis, simul in curru coniugatis ac copulatis, interdum etiam quatuor, quæ certamina vocabantur biiuga & quadriiuga. Vtimur hodie in Germania, Gallia, & aliis regionibus eiusmodi curribus, bis aut quadrigis in eum finem, vt eorum beneficio, de vno loco in alium, siue propinquum siue longius dissitum prouehamur, ac sic ab vna vrbe in aliam quoque com-

modissime peruenire queamus. Sunt autem isti ab omni parte occlusi ac desuper tecti, contraq; omnem tempestatum iniuriam optime muniti, alicuius instar cubiculi.

Vsus curruũ. Ex hac curruum commoditate sæpenumero incommodum maximum incurritur, quod scilicet, qui illis vehuntur, dum perpetuo iis insident, & alternatim pedibus incedere negligunt, ex assiduo horum ac nimis violento motu corpus concutiant, & crurum ac reliquorum membrorum iuncturas eneruent, ac torpidas inde referant. Præterea ex huiusmodi motus violentia præter reliqui corporis perturbationem renes simul concutiuntur, vnde facilè inflammantur, nec non qui calculo obnoxii hinc valde læduntur ac torquentur.

Ludus pilæ. Pauca adhuc de ludo pilæ, pferemus, tanquã vsitatiori ac omniũ primo & nobilissimo exercitio, cui veteres plurimũ olim tribuerunt. Scripserunt enim de illo multi, inter quos Pollux, quatuor huius ludi distinctas proponit species, quarum primam vocat ἀπόσκυρον, secundam φαίνηδαν, tertiam ἐπιδρόμην, quartam ἔφεδριον. propterea, quod in hac vltima differentia lusorum vnus resupino corpore iacens, in altum versus cælum pilam totis viribus mittebat, quam reliqui collusores excipiebant, antequam relapsu terræ superficiem attingeret.

Lib. de rer. vocab. 9.

Quatuor pilæ ludi genera. Nos quoque adhuc quatuor pilæ ludi genera habemus, quæ in omnibus tamen cum veterum differentiis non conueniunt. 1. genus sola manu & pila mediocriter molli perficitur, cuius magnitudo respondet globo ligneo, cuius vsus est in ludo, familiaris hic ludus est literarum studiosis, nec non aliis iuuenibus in Vasconia. 2. vocatur Ieu de longue Paulme: propterea quod in eo ludo metæ locus, quo mittitur & remittitur pila, maiori longitudinis dictantia à priori distinguitur. Vtuntur autem lusores ad pilam iaciendam pallicula quadam, siue instrumẽto quodam ligneo, paruo, mediocriter lato, cum capula rotunda, quod prorsus simile est isti malleolo ligneo, quo mulieres quibusdam in locis linteamenta sua inter lauandum, percutiunt ac repurgant. 3. Elegantius & vsitatius est illud, quod simpliciter pilæ ludus dicitur, Gallice Ieu

de

de Paulme. Hinc ludus exercetur in certis quibusdam locis, siue domibus ex quatuor parietibus constructis, iisque vel tectis vel apertis, quæ loca similiter ludi ipsius nomine à Gallis insigniuntur, vocantur Ieulx de Paulme: Germani dicunt Ballhauß, à pila & loco, vbi ludi habentur. Hoc in ludo pilæ agitantur reticulo quodam, hoc est, instrumento ad retis similitudinem, ex neruis diamedraliter & transuersim expansis confecto. Quem ludum indifferēter hodie exercent, tam superioris quam inferioris conditionis homines. 4. genus ludi pilæ est ludus folliculi. Folliculus autem hic est genus quoddam pilæ, rotundum, magnum, ex corio consutum, intus vacuum, & non nisi aere repletum, quem brachiolo quodam ligneo in aerem magna violentia propellunt: qui ludus in pluribus locis admodum familiaris est iis, qui ditiores sunt, aut summo nobilique loco nati. in quibus omnibus enatratis ludis, lusores partite, duo videlicet vel tres, contra alios totidem, aut & plures contra plures sæpenumero ludere, seque tali exercitio mirifice oblectare solent.

Alia ludorum genera.

Præter hos adhuc alii ludi & exercitia reperiuntur, vt ludus trunculorum qui à meta duplici, longiori scilicet & breuiori, distinguitur in ludum longum & breuem. Est præterea ludus, Palemaille Gallice dictus est, quo globus ligneus (plerunque ex buxo tanquam duriori & solidiori ligno tornatus) pugni magnitudinem, aut paulo maiorem referens; malleo similiter ligneo, manubrium rotundum ac oblongum habente, per planam terræ superficiem, summo ac maximo cum impulsu ludentis propellitur. Qui duo ludi valde communes sunt inter plebeios quoque, tum in Gallia, tum in aliis regionibus.

De venatione.

Inter omnia vero exercitia, quæ præstantiæ ac celebritatis laudem merentur, venatio facile primum occupat locum: cuius differentias varias ponit Plato in Sophista. Exercitium necessarium enim illud est ad arcendas & è medio tollendas atrociſſimas & crudeliſſimas istas feras, vt sunt leones, vrsi, lupi, vulpes, ac aliæ rapaciſſimæ & nocentiſſimæ id genus similes bestiæ, quæ non nisi noxam ac damnum hominibus inferunt,

Vtilitas autem eius in duobus his maxime conſpicitur: Primum quod corporis ſanitati hinc proſpiciatur, ac cõſulatur, dum ſcilicet id venator variis exercitationum modis, prout ipſi viſum fuerit, expedire poteſt, ſiue pedes ire libuerit, ſiue equi miniſterio adiutus incedere voluerit, ſiue laborem grandiorem aut leuiorem ſuſcipere, eumque longiori vel breuiori temporis ſpatio continuare placuerit, in quibus omnibus tum pro corporis varia conſtitutione ac conditione, tum pro fortioris aut imbecillioris valetudinis ratione caute & adhibito iudicio agendum eſt. Deinde vtilitas huius exercitii eximia & maxima hinc quoque eluceſcit, quod ex illius vſu ac beneficio carnibus ferinis & delicioſis non ſolum vrbium fora, ſed potentiorum etiam menſæ ac tabulæ ac ornatæ videantur.

Tandem exercitium hoc proprium eſt Nobilium & eorum, qui generoſo & illuſtri ſtemmate procreati ſunt: vti videmus, eo quondam potẽtiſſimos Monarchas, & Principes ſummopere delectatos eſſe, nec non noſtro adhuc ſeculo quam plurimos oblectari, tempore ſcilicet pacis, armisq;, vt aiunt, vnco ſuſpẽſis. Nam dum ipſi in armorum ſilentiis aduerſus hoſtem heroicam animi fortitudinem, oſtendere nequeunt, illam in perſequendis interim ac venandis ſæuiſſimis beſtiis ſatis abunde declarant.

Cyrus venationi deditus.

Cyrus in domo Aſtyagis Medorum Regis aui ſui educatus, ſolebat in pubertate ſua teneriori edomare equos, & in venatione beſtias conficere ſepto incluſas, poſtquam adoleuit, vt Xenoph. lib. 1. Cyropędiæ addit, aut leonem aut aprum in ſyluis petebat. Et idem auctor, vt demonſtraret, in quanta æſtimatione eiuſmodi beſtiarum venatio apud cæteros quoque Perſarum Reges eſſet vlterius de illa in hanc ſententiam ſcripſit.

Venationis exercitium eſt ſpeculum belli.

Perſarum, inquit, Rege exeunte venatum (exit autem in menſe multoties) epheborum dimidia pars ab ipſo educitur. Cauſa vero, cur publice venationi operam dent (in qua Rex Ducis officio, perinde ac belli tempore fungitur, cum & ipſe venetur, & vt venentur alii, curam adhibeat) hæc eſt, quod bellicarum rerum hæc meditatio veriſſima videatur eſſe. Conſuefacit enim ad ſurgendum

gendum diluculo, & ad frigora caloresq; perferendum, atq: etiam ad itinera & cursus exercet. Præterea sagittis iaculisq; bestiam petere necesse est, vbicunque inciderit. Sæpe etiam acui animam in venatione oportet, obiiciente se ferocia aliqua bestia. Nam quæ offerunt sese bestiæ, feriendæ sunt, ab iis autem cauendum, quæ in venantem irruunt. ita vt hinc colligendum sit, sicut & auctor ipse insequentib. declarat, quod non secus venationis exercitium sese habeat, ac si in bello contra hostem dimicandum sit, hæcque duo venatio & bellum, ex pari vtriusque conditione & similitudine se inuicem mirum in modum referant. Hinc Lycurgus Legislator Lacedæmoniorum (imitans Cretenses) eos, qui iam puberem ætatem superassent, in venatione præcipue exerceri voluit, vt studio venationis intenti ad bellū redderentur aptiores, vt scribunt Xenophon & Strobæus. Porro Strabo libr. 10. & Alexander lib. 2. c. 25. ostendunt, hanc fuisse Cretēsium consuetudinem, qui filios suos ab ineunte etiam ætate assiduis laboribus firmabant, ne senes iam otio torpescere, honestum ducerent. Vnde legimus apud eosdem auctores eos semper laboriosis exercitationibus, vtpote currendo ac venando, algendo, æstuando, difficiles arduasq; vias peragrando, omnes consumpsisse iuuētutis annos. Quin imo eorum pueri in classes, quas Ἀγέλας vocabant, distribuebantur, iisq; præerat Pædonomus certis dieb. in venationes eos educens. *Xenophon. in Repub. Lace. Strob. serm. 42.*

Plutarch. recenset Alexandrum Magnum, Antiochum & alios præclaros Reges adeo fuisse deditos venationis exercitio, vt eius nomine nullam molestiam, neq; laborem vllum subterfugerint. Quin imo multis sese & maximis periculis sæpenumero obiecerint.

Iam auctor testatum relinquit de Pompeio in eius vita, illum sc. vectis & subactis Numidis & Barbariæ isti genti terrore incusso ob nominis claritatem & potestatem summam Romani imperii non quieuisse hominibus deuictis, sed, cum sciret, regionem illam præ cæteris innumeris bestiis & feris, iisque ferociſſimis & inuictiſſimis abundare, eas impetiisse, domuisse ac debellasse, vt & hæ Romanorum felicitatem ac virtutem, omnium rerum domitri- *Pompeius magnanimus ac fortis.*

mitricem ac expugnatricem, tandem sentirent. Et ob hanc causam certis quibusdam diebus exibat ad venationem Leonum ac Elephantorum.

Mithridates & Adrianus Imperator, venatores.

Mithridates Rex Ponti in Asia, & Adrianus Imperator Roman. tam inexplebili vtero: amore prosequebantur studium venationis, vt mira de illis referant historiæ, vbi vnus huic exercitio tam stupendo modo intentus erat, vt etiam septem integros annos nullo prorsus vsus fuerit tegumento, vel operatorio, siue ruri, siue domi, aut in vrbe. Alter vero mortuo & sepulto equo suo, in æternam eius memoriam erexit columnam, super inscripto epitaphio eo, quod opera eius in venationibus longe iam tempore vsus fuisset. Hi potentes Monarchæ non interim à negotiis publicis, cum res postularet, obeundis supersedebant, nec quod spectabat ad Imperii administrationem, diligenter eius satagere cessabant, qui promptissimi semper ibant singulis horis atque momentis hostibus obuiam, eosque, si quid forte moliebantur, à finibus suis arcebant, non secus ac ipsi solebant ex consuetudine quotidiana, feras ac bestias venando, persequi ac profligare.

Venatio propriè conuenit viris: saltatio autem fœminis.

Imperator Albertus solebat subinde dicere, venationem esse exercitium virile, & viris tanquam bellicosis magis competere, cum saltatio conueniat fœminis, quæ omnia alia voluptatum genera superat, excepta illa quæ ex venatione capitur.

Nec Carolus Magnus, vt affirmat Cuspinianus, vel in senectute sua contemnebat vocationis exercitium tanquam rem saluberrimam, ac quando is exire constituerat, neque vino, neque glacie, neque frigore, neque æstu, neque asperrimis scopulis, neque horrendis & in accessis montibus, neque densissimis dumetis perterrefactus, à sententia vnquam receßit, sed institutum constanter prosecutus est.

Sed quid moror in venationis exercitio commendando, eiusque laudibus prædicendis? Quorsum exempla Alexandri Magni, Antiochi, Mithridatis, & Caroli Magni, aliorumq; sub tempore Monarcharum potentissimorum, heroum fortissimorum & venatorum

natorum excellentissimorum producamus? Siquidem apud nos sit, quem solum proposuisse sit satis, magnus ille HENRICVS IV. huius nominis, Franciæ Monarcha inuictissimus, quem præ aliis omnibus Principibus, virtutum ornamentis, gloriæ ac victoriarum in hostes triumphis emicare toti orbi conspicuum est. Quid non ille siue bellorum temporibus in debellandis ac perdomandis hostibus, siue alio quouis tempore in tolerandis maximis & Herculeis laboribus, ac præsertim in venationibus perferat, vbi vix occurret alter, cui tam constans ac par animus fuerit. *Fortitudo & Magnanimitas Henrici IV. Regis Francia.*

Falconaria siue Accipitraria ars genus etiam est quoddam venationis, quod proprie Principum ac nobilium exercitium est, ex quo ipsi singularem etiam voluptatem referre solent. Nos de Falconaria abunde satis in lib. 6. nostri magni speculi mundi scripsimus, quam ob causam plura hic dicere superuacaneum est. *Falconaria.*

Restat de natandi exercitio differere, quod in aquis perficitur, quodque non minus, ac alia quæuis scitu vtile ac necessarium est, vtpote eius beneficio sæpe numero magni viri in grauissimis periculis constituti, sese saiuos ac incolumes morti eripiant, vt interim nihil dicam de singulari eius vtilitate, ad corporis sanitatem conseruandam, deperditamque restituendam, quæ sane tanta est, vt ex eius vsu tempestiuo & legitima corporis mala infinita, quæ ob caloris excessum refrigerium & humectationem postulant, è medio tolli & curari possint. Cui instituto confert balneum vniuersale maris aut fluuiorum: remedium vulgare morsu canis rabiosi laborantibus, nec non Melancholicis ac Phthisicis. *Natandi exercitium.*

Græci & Romani, qui præ cæteris populis hac laude extolluntur, vt qui iuuentuti suæ præscripserint salutaria præcepta omnis generis disciplinarum, eandem quoque iuxta Aristotelis doctrinam vtilissimam docuerunt natandi artem, vt iuuenes suos robustiores redderent ad grauiora exercitia ac labores perferendos.

Nobilis præsertim Romani inter alia exercitia bellica nandi quoque studio, summopere incumbebant, vnde prouerbium natum est in liberos deploratos: Neque natare, neq; literas didicit. *Alexand. lib. 2. ca. 25. & lib. 1. c. 20.*

Si Iulius Cæsar imperitus fuisset natandi, neque vitam, neque

commentarios suos saluos vnquam conseruasset, dum nimirum cogebatur se præcipitem dare in mare, & vltra ducentos passus, natando conficere, vt in nauim propinquã se reciperet, & à nimis subitaneo ac improuiso hostium incursu se in Alexandria defenderet.

Natandi vtilitas.

Quintus Sertorius & M. Scæuola sola arte bene natandi vterque magna cum admiratione, & insuper armis induti euaserunt hostium impressionem. Vnus quidem non mediocriter sauciatus natando traiecit Rhodanum fluuium rapidissimum, in ipso hostium conspectu: alter vero vndique à hostibus circumuallatus, neque aliud refugium præter mare videns in id præceps iruit, ac exercitum Cæsaris Ducis sui insecutus est. Quis igitur natandi peritiam non laudet, ex qua tanta vtilitas promanat, etiam vel ad eos, qui militiam sequuntur? Hoc exercitium maxima olim in commendatione erat, vt videre est in Agrigentinis populis, qui suo tempore omnes alios delitiarum cultu & sumptuum profusione superabant, vt Plato testis de ipsis scribit. Perinde Agrigentinos ædificare, ac si victuri perpetuo forent, itemq; conuiuari, velut semper morituri. Iidem Agrigentini, inquam, ædificari curabant in honorem & gratiam Gelonis (qui ex satellite factus atat insignis Rex ac Dux belli) magnis impensis & sumptibus natatoriam, cuius ambitus septem stadia continebat: profunditas vero erat viginti cubitorum, in quam detiuatæ multæ aquæ fluuiatiles & riuuli fontani ad aquam viridiorem reddendam decurrebant. Abundantia cygnorum & varia piscium genera conspectu pulchriorem ac amœniorem teddebant locum. Ita vt natatoria illa inter miracula mundi sui temporis relata fuerit, tandem successu temporis diu neglecta computruit, & collapsa est, vt Atheneus & Diodorus scribunt.

Natatoria Agrigentinorum.

Athen. libr. 12. c. 2.

Diod. lib. 11. cap. 1.

Nos hic fere omnia illa exercitiorum genera exposuimus, quæ humanæ vitæ plurimum prodesse, ac vulgo in vsu esse solent. Restat nunc vt doceamus, quomodo ea pro variis ætatis, naturæ & personarum circumstantiis conuenienter applicari debeant.

Est

Est igitur generale & commune officium omnium exercitiorum, vt ex eorum vsu legitimo animalium calor excitetur & augeatur. Distinximus autem supra exercitia in vehementia seu laborioſa, in mediocria & leuia: vehemens & laborioſum dicitur, in quo respiratio est difficillima sine velocitate, ex quo musculis & neruis robur paratur. Eiusmodi sunt terram fodere, & onere maximo impoſito, vel eodem subsistere loco, vel paulatim incedere. *Aegin. lib. 1. de re med. c. 17. Oribas. lib. 9. synop. 13.* *Exercitia violenta.*

Exercitia vero mediocria citra tantam violentiam fiunt. Huius generis sunt cursus leuis, armorum exercitatio, lucta, magnæ & paruæ pilæ lusus. *Mediocria.*

Leuissimum exercitium est lectio, Musica vocalis & instrumentalis, ludus chartarum, tabularum & deambulatio. *Paruа.*

Omnium horum exercitiorum diuersus est finis & applicandi modus, pro diuersa partium corporis, personarum & ætatum ratione.

Violenta in genere musculis & neruis robur parant, quod non minus & reliquæ duæ faciunt differentiæ. In specie vero cæteris corporis partibus consulitur, vbi exercitiorum alia lumbos, alia manus & crura, alia spinam, aut collum solum; alia caput vel thoracem, & alia pedes iuuant. Sed quoad respectum personarum & ætatum violenta exercitia conueniunt iuuenibus, & viris robustis potius quam senibus, potissimum vero iis, qui in sudore victum quotidianum quæritant, quales sunt agricolæ, operarii, baiuli, dossuarii, saccarii, & multi huius generis opifices alii, qui id genus exercitiis laborioſis maturo tempore assueuerunt. *Exercitiorũ violentorum differentia.*

Mediocria proprie conueniunt diuitibus, qui ex fortunarum suarum reditu victitant, nec non & illis qui literarum studio & armis ex professo addicti sunt.

Quin, vt libere dicam, quod sentio, Nobiles inprimis, nec non & alios ad arma natos ac destinatos iuuenes, magis decent laboribus asperrimisque exercitiis mature assuescere, quam molli otio delicate indulgere.

Hunc morem à Lacedæmoniis inprimis obseruatum legimus, qui simul ac animaduertebant, iuuenes suos à prandio, iucundis quidem & gratis, sed prorsus inutilibus obambulationibus tempus fallere, Ephori repente per suos ministros imperabant, vt ad honesta officia se conferrent, nec male aut otiose bonas horas perderent. Indignum enim Lacedæmoniis esse, deambulationibus aut inertia, non autem congruis exercitationib. bonam corporis valetudinem tueri: sic enim alacriores ac promptiores, aptioresque ad omnes bellorum molestias, perferendas futuros, cum occurreret occasio.

Alian. lib. 2. de va. hist.

Iustin. lib. 3. Lycurgi lex. pro iuuentute educanda.

Quin etiam Lycurgus eorum Legislator pueros impuberes non in forum sed in agrum deduci præcipiebat, vt primos annos non in luxum, sed in laboribus agerent, nihil sommi causa substernerent, vitamque sine pulmento degerent, neque ptius in vrbem redirent, quam in viros fortes euasissent.

Exercitia propria nobiliũ iuuenum militum.

Hoc vitæ genus tyronibus omnibus, qui armorum studiis dediti sunt, apprime congruum est, vt scilicet iaculandis telis & sagittis, cursuque (non vt hostem fugiant, sed fugent) initientur. Quin etiam ipsemet ludus saltus ac pilæ, ex quibus maior corporis agilitas & promptitudo cõparatur, huiusmodi iuuenibus conuenientissimus est. Omnium autem accommodatissima exercitatio futura est, arma subinde capessere, equum informare ac rite agitare, in arenam cursoriam descendere, pugnas ludicras instituere & huiusmodi alia exercitia ad armorum œconomiam spectantia. Quod si literarum studium accesserit, quibus ingenium exerceatur, perfectissimi ac consummatissimi militiæ magistri fient: literis enim magis illustrantur arma. Id quod testantur tot magni illi Græcorum ac Romanorum Duces, qui olim floruerunt, quique, pone omnes litetis ab ineunte ætate incubuerunt, vnde comparata vberrima doctrina, & in senatu, & in armis excelluerunt.

Literarum quin etiam beneficio accessum habebunt iuuenes ad alia exercitia & ludos scolasticis familiares, vt est lucta, saltatio, palæstra, & id genus alia mediocria exercitia, quæ etiãab aliis cuiuscun-

iuscunque dignitatis hominibus institui ac vsurpari possunt.

Exercitia moderatiora, quorum supra fecimus mentionem, vt est vocalis Musica, lectio & ludi tabularum, in quibus inter ludendum, à mensa non surgendum, nec exeundum est, sunt ea, quæ corporis simul, & ingenii opera perficiuntur. Item diuturniores ac vehementiores deambulationes tam matutinæ, quam vespertinæ, quæ potius fæminco competunt sexui aut delicatulis, quorum natura aut complexio imbecillior est, vel etiam ipsis, qui senio confecti langueſcere incipiunt, quibus concessum est, pro crurum pedumve viribus recreandis deambulare tantum, quantum velint. *In exercitiorũ delectu respectus personarum habendus.*

Nam senes prorsus otiosi, qui nulla vtũtur exercitatione, corpus vitiosis humorum cruditatibus replent, quæ seminariæ causæ existunt multorum affectuum, vnde sæpenumero morte accelerata vitæ cursus ante tempus abrumpitur, quæ alias ex interuentu huiusmodi exercitiorum conseruari diutius possit, vbi imitandum sibi eiusmodi homines proponant exemplum magni illius Philosophi Socratis, qui, dum solebat quotidie fere vsq; ad vesperam, contentius ambulare à quodam interrogatus, cur hoc faceret, respondit, quo melius cœnem,

Quibus verbis ostendit vir sapientissimus, deambulationis vsum, tum ad ciborum appetitum, tum ad cruditates absumendas non parum conferre. Porro in his particularibus ambulationum exercitiis, de quibus sermo est, quæque non solum senibus, sed cuilibet etiam ætati familiaria sunt, alia quædam occurrunt obseruanda, à Celso studiose annotata, quæ huic loco non male inserenda esse duxi, ex quib. nonnihil vtilitatis beneuolus etiam lector, si placet, capiat. Differentia autem ambulationum, inquit, sumitur, vel à situ loci, vel ab hora & tempore, vel ab aliis circumstantiis: vbi ostendit, ambulationem per locum planum minus commodare & conferre, quam per locum accliuiorem ac decliuiorem: idque ideo, quod tum quadam varietate corpus moueat. Sed nolim hoc referri ad eos, qui corpore languidiore ac imbecilliori sunt, & qui vix è morbo quodam conualuerunt, quique *Cic. lib. 5. Tusc. Quæst.* *Lib. 1. de re. Med. ca. 2.* *Locus deambulationibus destinatus qualis esse debeat.*

podagricis doloribus, aliisque corporis languoribus sunt obnoxii. His enim melius conducunt deambulationes per loca plana. De reliquis horum exercitiorum circumstantiis Celsus hæc subiungit: melior autem est sub dio, quam in porticu, melior (si caput patitur) in Sole, quam in vmbra: melior in vmbra, quam parietes aut viridaria efficiunt, quæque tecto subest: melior recta quam flexuosa.

Exercitia præterea congruant cum natura & complexione eius, qui iis vtitur. Opus enim habent exercitatione maiori & violentiori, quicunque corpore præditi sunt carnoso & solido, pituitoso & excrementorum copia luxuriante, quam qui graciles sunt, macilenti & emaciati, qui dum sunt siccioris temperamenti, à tanta superfluitatum excrementitiarum vbertate facile excipiuntur. Quæ omnia Medici prudenti iudicio ac solertiæ committenda sunt. Ratio quoque habenda est illorum exercitiorum, quæ tum ad tuendam sanitatem, tum ad curationem morborum diuturniorum & chronicorum, vt podagræ, epilepsiæ, & similium, præcipienda sunt.

De tempore exercitiorum

Tempus quoque idoneum exercitiorum probe considerandum, semperque quoad fieri potest, ante cibum siue mane, siue vesperi, corpus exercendum est. Quod quamuis nulla egeat probatione, doctisque plus satis constet: audiamus tamen, rudiorum gratia, veterum hac de re testimonia.

Libr. 2. de re. med. c. 16.

Ægineta de oportuno exercitationum tempore sic loquitur: Quandoquidem igitur distributioni alimenti opitulantur, non oportet crudorum & incoctorum, neque ciborum, neque humorum copiam, aut in ventre aut in venis contineri. Periculum enim est, ne ad omnes corporis partes attrahantur priusquam incocti commodifiant. Clarum itaque est, ante cibos exercitia sumi debere. Verum temporis opportuni exercitiis notæ ex vrinarum colore colliguntur. Nam quæ aquea est, incoctum adhuc significat distributum in ventre humorem: fulua vero & biliosa,

Tempus exercitii oportunum ex vrina cognoscitur.

iam

iam diu concoctum esse: moderatè autem pallida, recens factæ concoctionis signum est. Tunc igitur ad exercitia ducere oportet, idque vesicæ & ventris excrementis prius reiectis.

Oribasius idem confirmat iisdem fere verbis: Cum igitur, inquit, digestionem in corpus adiuuant, neque crudorum, neque incoctorum ciborum, aut succorum in ventriculo atque intestinis multitudo sit oportet: periculum enim esset, ne antequam per concoctionem vtiles facti essent, in omnes animantis partes raperentur, in quo patet, exercitia ante cibum fieri debere. Vt igitur non Medicus tantum, sed quilibet alius intelligat, sciatque signa perfectæ concoctionis vrinæ, ex cuius inspectione aptum, & opportunum exercitationis tempus colligere potest, audiat, quæ & Oribasius & Aegineta subiungunt. Pro opportuna temporis nota, inquiunt, vrinæ color est: Quæ enim aquæ speciem præfert, crudum adhuc esse eum succū indicat, qui in ventriculum submittitur: quæ vero ruffa biliosaque est, iam dudum concoctum esse, quæ mediocriter pallet, nuper factæ concoctionis signum est, at tunc quidem adeunda est exercitatio, eiectis tamen prius excrementis, quæ in vesica & ventre continentur. *Synops. lib. 10. cap. 2.*

Celsus præterea in specie his, qui ventriculo debiliori sunt, obseruandum illud imperat: Prima (inquit) eius curatio, exercitatio est, quæ semper antecedere cibum debet: in eo, qui minus laborauit & bene concoxit, amplior: in eo qui fatigatus est, & minus concoxit remissior, *Libr. 1. de re. med. cap. 2.*

Similiter nunc de quiete dicturi, neque Asclepiadis, neque Erasistrati opinionem amplectemur, qui nimis otio seu quieti indulgentes plus iusto ipsi attribuerunt.

Nimis enim diuturna ac otiosa quies obest, nō solum corpori, sed etiam animæ, causaq; existit prauarum cogitationū, vitam dissolutam reddit, torporem membrorum inducit, ignorantiā fouet socordiam excitat, memoriam aufert, sapientiæ studio auersatur, iudi- *Effectus otii siue quietis.*

iudicium obtundit, corpus nimis refrigerat & discolorat, pororum meatus obstruit, humorum defluxiones irritat, morbum articularem gignit, epilepsiam & apoplexiam procreat, & infinita praeterea alia mala tam animae, quam corpori, vt diximus adfert. Est igitur institutum nostrum deinceps verba facere, non de quiete (quam potius damnamus) de qua Poeta his versibus.

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus,
Vt capiant vitium, ni moueantur, aquae.

Sed de illa, quae motui contraria spiritus nostros reficit, & membris defatigatis laboreq; languentibus nouam roboris vim ac virtutem immittit, partes enim corporis diutius durare nequeunt sine quiete, sicut Poeta canit:

Quod caret alterna requie, durabile non est,
Haec reparat vires, fessaque membra leuat.

Est igitur quies illa, de qua loquimur, moderata, quae inter res reliquas non naturales dictas, vtilissima quoque & in primis necessaria est ad sanitatem, si scilicet recte & legitime vsurpetur.

Quietis vtilitas.

Hinc è sacris edocti literis habemus expressum mandatum, quod Deus creator & opifex omnium rerum hominibus dedit, vt scilicet quiescerent septimo die, sicut & ipse illo ipso die cessauit & quieuit ab opere, quod absoluerat, vt salutari hoc exemplo doceamur, diuturnos labores, vt leuiores fiant, intermissione aliquando leuari oportere, vt hoc modo instauratis viribus promptiores animo corporeque ad nouos perferendos labores reddamur: nam vt scribitur.

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis.

Quibus sit quiescendum.

Mediocris igitur & modica quies vtilissima est, vt rationes supra dictas, tam ratione valetudinis bonae tuendae, quam ipsius vitae producendae. Maxime etiam necessaria est illa ad multorum morborum curam, in qua omnino quies requiritur, aut iuxta prouerbium illud Italicum: Oportet vt teneas la man al petto, & il piedi al letto: qua quietis ratione vtuntur podagrici, qui

qui doloribus maximis cruciantur: & illi, qui vulnere quodã accepto vel in pede, vel in humeris misere torquentur, aut qui tumore aliquo & inflamatione alicuius partis ad motum ciendum, & corporis progressum promouendum factæ infestantur. Quies optimum & præsentissimum est remedium multorum malorum, quæ à lassitudine proueniunt, similiter illa confert etiã omnibus diarrhæis, lieteriis, dysenteriis, & reliquis vêtris profluuiis. Nã vt scribit Aetius: Silentiũ quidẽ ac quies ventrẽ cohibent, motꝰ autẽ & deambulatus impellunt. Id quod confirmat etiam celsus his verbis: *Aet. tetr. 3. serm. c. 27. Cels. lib. 2. de remed. cap. 6.*

Quem vero frequenter citata aluus exercet, semper debet post cibum conquiescere, at neque intendere animum, neque ambulatione, vtcunque etiam leui dimoueri.

Quemadmodum igitur somnus mediocris post vigilias requiritur, tanquam res vtilis & necessaria: sic pari modo vtilis & necessaria quies est; post exercitia & labores.

Oribasius lib. 6. collect. medic. cap. 2. vbi tractat de quiete, expresse docet, quibus hominibus, & quibus in casibus quies potissimum sit necessaria.

Quibus, inquit, decubitus, iis etiam quies & tranquillitas conuenit: ac præcipuè quidem in principiis accessionum: itemq; incrementis, & post cibum nuper sumptum, & cum quis dormire cogitat, apta est quies & tranquillitas.

Prẽterea diligẽter obseruandũ est circa quietis considerationẽ, quibus temperamentis naturaliter homines sint p̃diti. Nam quemadmodũ exercitium mediocre, iuxta Hippocratem congruum est & vtile phlegmaticis, & iis, qui natura sunt frigidi & humidi, vt qui sunt pingues, obesi, carnosi, & robusti: sic similiter quies maximè conuenit iis, qui sunt bilioси & calidæ temperiei & siccæ, qui sunt extenuati, macri & emaciati, ac imbecilli, propterea quod quietis beneficio spiritus refocillantur, & corroborantur, corpusq; grata humiditate perfunditur. Hæc breuiter dicta sint de vtilitate & fructibus, qui ex moderata quiete proficiscuntur. Multa sunt supra de somno à nobis dicta, quæ aptè adhuc ad quietis contemplationem referri possunt, propterea quod hæc duo maximam vicinitatem inuicem habeant, & vnum alterum non obscure referat: quo

lectorem, nerem vnam eandemque toties repetere necesse sit, relegatum volumus.

CAPVT VI.

De Repletione & Inanitione.

Quid & vbi repletio.

Repletio quam Græci πλήρωσιν vocant, non est nisi redundantia, plenitudo ac multitudo humorum, qui in corporis cauitatibus & vasis continentur.

Fit repletio in ventre, in intestinis, in vasis, & venis, quæ non nunquam adeo obstruuntur, implentur, inflantur ac distenduntur, vt omnino dissumpantur, ac inde, nisi summa diligentia præueniatur, sanguinis sæpenumero eruptio causetur, quæ venarum repletio maiori cum periculo coniuncta est, quam illa, quæ in ventre fieri solet, quæ vt plurimum aut supernè per vomitum, aut infernè per secessum euacuatur. Idem confirmat Ægineta vbi de repletione loquitur, in hunc modum scribens: In cibis, inquit, maximè delinquitur circa repletionem. Nam etiamsi ventriculus probè concoquat, venæ tamen nimium impletæ affliguntur, distenduntur, rumpuntur, obturantur, plenæ fiunt & valdè grauantur. Pessimum autem est in morbis, venarum repletio, quandoque sursum euacuat id, quod redundat, quandoque deorsum per secessum. Et tamen neq; hæc admittenda est, verum si quis plura ingesserit, statim vomere oportet.

Ægin. lib. 1. de re med. c. 32.

Incommoda repletionis.

Hinc constat, cibum & potum immoderatè sumptum superfluitates & excrementa gignere, quæ omnis repletionis fomites remoueri & auferri debent euacuatione, quæ vel natura, vel ministerio artis perficitur. Quemadmodum igitur eiusmodi excrementitiarum superfluitatum plures sunt differentiæ: sic etiam varia & diuersa euacuandi loca natura iis destinauit. Caput ad sui purgationem auribus, tanquam sentinis vtitur, per quas sordes, & alia capitis excrementa bilioſa purgantur. Oculi & os pituitæ euacuandæ inseruiunt: crassi vero seu Melancholici humoris maxima pars per nares distillando effluit.

Varii corporis meatus, per quos excrementa purgantur.

Horum excrementorum omnium generatio excitatur à me-

teoris,

teoris, à partibus inferioribus ſurſum in cerebrum elatis, hoc eſt, à vaporibus & exhalationibus, quæ partim ab alimentis, partim à ſanguine calefacto & feruescente procreatæ fuerunt.

Duo ſunt adhuc alii meatus, ſiue ſentinæ & cloacæ, inteſtinum ſcilicet rectum & veſica, quorum pari ratione vſus & officium eſt, vt excrementorum materiam craſſiorem, ex alimentis productam, ſiue ſulphura, liquores, & ſales craſsiores excipiant, ad tempus retineant, & tandem excernant.

Fæminæ quoq; vterum ſiue matricem loco ſentinæ obtinuerunt, vt illius opera menſtruum exonerent ſanguinem, quamuis iſtis vacuandi eiuſmodi ratio propria & peculiaris ſit, non aliter, ac nonnullis viris, qui reſolutis hæmorrhoidibus ſanguinem melancholicum per annum euacuarit.

Cutis inſtar cribri perforata, eſt commune quoque totius corporis repurgandi inſtrumentum: per quam generaliter & continuè (ſiue inſenſili ſiue ſenſili & manifeſta tranſpiratione) vaporoſæ & ſpiritales corporis noſtri ſubſtantiæ, euaporantur & diſsipantur, ſicuti huius rei documenta ſunt ſudores, aliæque variæ ac imperceptibiles expirationes tenuium ſubſtantiarum, quæ plerunque è corpore noſtro ſolius naturæ beneficio excluſæ euaneſcunt.

Si igitur euacuandi inſtrumenta (ſiue naturæ imbecillitate a- *Euacuatio ar*
lioue vitio partis ſingularis) ab actione ſua impediantur: ſtatim ſe- *te promouẽ-*
quitur repletio, quæ plurimorum malorum cauſa exiſtit, quibus *da.*
arte naturæ miniſtra præcauendum eſt.

Hinc errhinis, ſternutamentis & maſticatoriis, expultricem cerebri facultatem expeditiorem & promptiorem reddimus, ad euacuandas & reiiciendas fuliginoſas eiuſmodi ſuperfluitates, quæ ſine noxa in corpore alias ſubſiſtere nequeunt.

Ventriculum, nimia vini, cibiq; vel aliorum etiam prauorum humorum copia repletum inanitione iuuamus, naturamque imbecillam vomitionis arte factis irritamus, & ſuperflua remouemus.

Multi reperiuntur, qui ventrem natura ſiccum & durum habent, ob quam cauſam excrementa multa colligunt, quibus omnibus per artem præueniendum eſt, iuſculis, clyſteribus, ſuppoſitoriis,

aliisq; similibus, quæ ventrem emolliendi, laxandique facultatem habent. Ars præterea suppeditat varia diureticorum & exercitiorum genera : balnea item, artificiosè præparata, naturalium vim ac virtutem æmulantia, quæ poris & meatibus cutis aperiendis conferunt, & in ciendis prouocandisque sudoribus, naturæ auxiliantur, & hac ratione corpus superfluo vaporum & excrementorum onere subleuant: quorum diuturnior mora alias noxam inferret.

Ars imitatur naturam in variis euacuandi generibus.

Plenitudine existente in vasis, artis industria venam secamus, sanguinemque detrahimus, quo remedio, si res postulat, hæmorrhoidum mensiumq; suppressionem tollimus.

Hinc pater, quomodo ars imitetur naturam, cum in variis remediorum præparandorum modis, tum etiam in aliis rebus pluribus, id quod suo loco, sectione scilicet sequente, specialius tractabimus, adiunctis simul quibusdam formulis particularibus.

Inter alias repletionis causas principem obtinet locum crapula, siue nimia cibi ac potus ingurgitatio cum otio coniuncta, cui malo medendo medicamen nullum est potentius sobrietate siue temperantia, cui in primis studendum est: non tantũ sanitatis tuendæ causa, sed vt & re, & opere demonstremus, nos homines rationis participes esse: nõ vero pecudes, quibus deteriores, vino ciboq; stomachũ ad regurgitationẽ vsq; sæpenumero infarcimus, id q̃ vel vix in his deprehenditur. Non autem hic intelligimus illam sobrietatem, quæ vel in vniuersum omnem cibi potusq; vsum tollat, vel certis diebus quorundam ciborum esu interdicat, quam vulgo ieiunium vocant: sed moderatum & frugalem cibi vsum innuimus, quo vita sufficienter quidem ac sobriè sustentetur.

Sobrietas repletionis remedium.

Repudiamus interim atq; damnamus omnis generis sumptuosas cænas ac conuiuia, aliasque non necessarias & inutiles expensas, in damnosæ gulæ gratiam factas, quæ non minus corporis valetudini, quam animæ saluti plurimum obsint.

Inter cæteras causas vitæ lõgioris, ad q̃ patres nostri p veniebãt, vna & p̃cipua erat sobrietas, q̃ cũ frugib⁹ solis vescerẽtur, hinc virtutẽ Frugalitatem appellarunt, q̃ à parcendo alii dixerunt Parsimoniam. Nostri itaq; primi parentes, qui tã longæuã degebant vitã, nõ aliis

Sobrietas vitam longam & sanam cõseruat.

aliis vsi sunt Alimentis, quam liquoribus fructuũ, mellis & lacticiniorum, ita vt vsus vini & carnium post diluuium demum sit introductus, anno nimirum, à mundi creatione, bis millesimo ducentesimó quadragesimo secundo: Saturnino enim seculo, homines abstinebant carnibus, ac solis vescebantur frugibus ac pomis. *Marullus lib. 4. c. 2. Dicæarchus l. Antiq.*

At licet vini, carnium, similiumq; alimentorum, cupediæ iam introductæ essent, iis tamen veteres sobriè & frugaliter vtebantur: fugientes atq; auersantes, tanquam sanitati intentissimam non solum, sed etiam turpissimam, bonisq; moribus prorsus inimicam, Crapulam & ebrietatem omnemq; epularum superfluitatem atque luxuriam.

Ægyptiorum Reges simplici vescebantur cibo, vt quorum mensæ nihil præter vitulum & anserem inferretur. Vini certa præscripta erat mensura, qua neque farciri venter, neque inebriari quis posset. Denique vita ea regebatur modestia, vt non à Legislatore, sed consilio peritissimi Medici ad conseruandam sanitatem videretur instituta. Lycurgus Legislator Lacedæmoniorum masculo cibi tantum dandum censuit, ne vnquam grauari crapula aut indigẽtiam ferre posset. Eidem sobrietati maximopere dediti quondam erant Antiquiores Romani, ex qua summa rerum felicitate prosperaq; valetudine fruebantur. Vt autem ostendamus, quãta mala ex gula nimiaque ciborum ingestione proueniant, quædam exempla in medium proferemus. *Exempla insignis sobrietatis. Diodor. lib. 1. cap. 6. Xenophon. l. de repub. Valer. Max. lib. 2. cap. de Institut. Antiq. Plin. lib. 10. c. 11.*

Seneca quodam loco in Eunuchos & fæminas sui seculi invehitur, eo quod mendacii cõuincant Hippocratem, mulieres & Eunuchos arthriticis doloribus diuexari non posse affirmantẽ, qui tamen temporis successu, luxuria sua ac nimia intemperantia tam obnoxii redditi fuerunt, vt cæteri. *Gula & inglauies quandoque tapariat mala.*

Contra Rogatianus, nobilis quidam Senator Romanus mirũ in modũ commẽtatur à Porphyrio, propterea q; acerrimus hostis fuerit omnis luxus & intẽperantiæ: qui etiã singulari sobrietate sua & frugalitate tantũ effecit, vt cũ antea arthritis cruciatibus vehementer ac subinde torquerentur, mox ita conualuerit, vt manuum pedumq; munere, non vteretur secus, ac quilibet optime habens. *Rogatianus luxuriæ inimicus acerrimus.*

Ebrietatis vitium apud veteres passim infame, turpe & abomi-

Ebrietas olim dānata.

nabile erat, vt illud tanquam pernicioſiſſimum ac peſtiferum malum, brutis potius, quam homine dignum cenſerent, & hinc omni ſtudio illud fugiendum dictis ac ſcriptis hortarentur.

Vnde Anacharſis quodam die interrogatus, quo remedio ſi ab ebrietate præcauent? ſi ſemper (reſpondit ille) præ oculis habeam ebriorum turpiſſimos & indecoros mores.

Eraſm. lib. Apopht.

Increuit autem hodie adeo luxuria, tamq; commune & frequens gulæ ebrietatisque vitium, in pluribus locis graſſatur, vt inde ventrem plurimi pro Deo habeant. Vnde proh dolor mihi cum Catone conquerendum eſt, qui cum Pop. Romani luxuriam cenſoriè coargueret, difficillimum eſſe addebat, verba ventri facere, qui aures non habeat: ita mihi res hæc plena difficultatis eſſe videtur, adeo, vt me operam ſimul & oleum perdere iam exiſtimem, qui ventri, auribus carenti, verba faciam.

Ebrietas noſtri temporis reprehēditur.

Quorſum igitur hoc tempore, quo omnia gulæ & intemperantiæ barathro multo profundius immerſa videntur, quam nunquam ante hac, laboramus, tam perſpicuè & ad oculum quaſi demonſtrare, infinitas iſtas ægritudinum & calamitatum ſcaturigines, ex immodica & pecunia ventris ingluuie promanantes? Siquidem hoc vitium nimis commune eſt, & altas iam radices egit, vt vix amplius euelli poſsit aut eradicari: in aliam enim naturā tranſiit conſuetudo. Neque etiam noſtri eſt inſtituti, hic omnino exactam horum vitiorum reformationem inſtituere velle, cùm non ignorem, illud ſuperare vires meas, ſed ſufficiat ſaltem oſtendiſſe, grauia illa & enormia delicta, aliasque corporis ægritudines ex vini & ciborum abuſu procreari. Hæc enim vitia plerunque repletionem comitantur, non ſecus ac vmbra corpus. His itaq; malis ob hominum oculos poſitis, prout me, non ſolum rationibus, ſed etiam auctoritatibus & exemplis huc adductis, nunc feciſſe videtis, procul dubio vel his, qui præ cæteris plus pollent animi moderatione & æquitate, occaſionem dabimus, vt poſthac eiuſmodi vitia plus, quam Vatiniano odio, proſequantur, abhorreant & fugiant, & maiorem ſanitatis vitæque conſeruandæ curam adhibeant.

Vel ſolum ſpectaculum hominis repletionis dominio & imperio ſubiecti, & vndiquaque æquali corporis plenitudine quaſi turgentis

gentis tam horrendum & terribile est aspectu, vt merito inde quilibet abhorrere debeat.

Albertus Episcopus Wormatiensis & frater Rudolphi Suæuiæ Ducis adeo fuit replet⁹, pinguis, crassus, vẽtriculosus, adeoq; vorax & ingluuiosus, sicut refert Chronica Hirsaugiana, vt aspicientibus horrorem incuteret, atque ipsa adipis mole tandem suffocatus est. *Repletionis monstra.*

Neq; is solus est, qui nimia repletione & pinguedine vitæ vsura priuatus, sed & Dionysius Heracleotes pari modo ob nimiã pinguedinem & crassitudinẽ vitã perdidit, cuius etiã corpus tam extremè plenum, obesum & ventosum erat, vt nocte, dum quiesceret, cogeretur suis lateribus hirudines admouere, quæ humorẽ superfluum paulatim exhaurirẽt, eoq; modo aliquid adimerẽt de crassitudine. *Ælian. lib. 8. var. hist.*

Cardanus mentionẽ facit alterius cuiusdam crassi & vẽtrosi mõstri, Sanctii videlicet Regis Hispaniarũ, qui præ nimia obesitate neque equitare, nec manus circũuertere cõmode posset, tædio quasi vitæ aduocauit Medicum quendam celebrem à Rege quodã Africæ, à quo curatus fuit ad tempus semine cuiusdã herbæ, quam Cardanus existimat fuisse linguã auis, sed (addit) seu veneno adiecto, seu mutata è contrario intemperie corporis, breui perit. *De subtil. lib. de plantis.*

Epaminondas Thebarum Dux, vti scribit Cælius tantopere odit pingues & obesos, vt tanquam inutiles exercitu suo relegaret. *Lib. 13. cap. 25. Ant. Lect.*

Boeoti nimium gulæ dediti, nulla alia de causa ab Athenien-sibus (vt scribit Plutarchus) appellati stulti, hoc est, rerum omniũ ignari, quam propter edendi inexplebilem auiditatem, qua sibi tantam corporis obesitatem accelerarunt. *Lib. Perisarcophag.*

Euripides scriptis suis testatur, se inter Græcos varia miseriarum genera vidisse, prius autem ac miserius deprehendisse nullum, quam athletarum, qui solum modo serui ac mancipia essent maxillarum & ventrum, vt scribit Cælius: id quod Hippocrates & Galenus pluribus in locis in commentariis suis de hac re, & doctissime & copiosissimè satis confirmant. *Lib. 7. cap. 11. Ant. Lect.*

Sunt inanitionis duplices potissimum differentiæ: vna, quæ ex nimia spirituum resolutione ortum trahit: altera vero ab immodica excrementorum euacuatione procreatur. Resolutio siue Inanitio spirituum à variis & diuersis causis dependet: vel oritur spirituum *Vnde spirituum Inanitio.*

tuũ ſubitanea quadam exhalatione, motu aliquo inopinato & repentino, alioue aliquo animi affectu, vt nimio gaudio, ira aut triſtitia concitata. Huiuſmodi ſpirituum inanitio interdum adeo vehemens eſt, vt mortem inferat, ſicuti ſupra pluribus exemplis demonſtrauimus de animi paſſionibus.

Iidem Spiritus etiam pro ætatis ingraueſcentis & ſenectutis ratione ſenſim euaporant & euaneſcunt, vnde mors conſequitur, quod nulla eget probatione, ſiquidem id plusquam ſatis notum eſt omnibus. Hæc autem ſpirituum euaneſcentia non eſt, niſi abolitio & conſumptio omnis Balſami, veri nectaris & olei ſpiritualis pretioſiſſimi, quod inſtar vitalis lampadis tenebricoſum corpus illuminat & fouet.

Inanitionis fomentũ atq; cauſa exiſtit quoq; alimentum & immoderatæ humorum euacuationes, quarum differentiæ ex varia diuerſarum partium, generationis modo, & cauſarum conſideratione ſumendæ ſunt.

Altera inanitionis differentia eſt, quæ ab imodica & nimia excrementorum egeſtione prouenit. Hæc ſimiliter variatur ratione meatuum, per quos excretio illa fit, idq; vel à motu ipſius naturæ, vel ab eo, qui arte comparatur.

Excitantur autem à motu naturæ vehementes vomitiones & reiectationes, vt exempli gratia Cholera, quæ nihil aliud eſt, quam ſolutio ſtomachi & ventris, inteſtinorumque, etiam cum celerrimo periculo. Huius mali cauſam ipſum nomen prodit, quæ eſt bilis, ſiue alius humor mordax, qui facultatem expultricem nimium irritat.

Cholera quid?

Sunt præterea aliæ euacuationes, quarum origo pendet ab ipſius quoq; naturæ motu, vt ſunt diuerſa fluxionum genera, & excrementorum expulſiones per ſeceſſum, vti ſunt diarrhææ, lienteriæ, & variæ dyſenteriæ ſpecies, & id genus aliæ; item ſudorum & vrinarum excretiones, ſiue illæ ſint criticæ ſiue non.

Sic quoq; euacuationes artis miniſterio perficiuntur, vt ſunt vomitiones ex deiectiones, non modo ſuperius per os, ſed inferius quoque per anum, laceſſitæ ab Antimonio, helleboro, & id genus aliis remediis violentis, quibus multi Empirici hodiè vtuntur, vel

vel potius inconsideratè in multorum egrorum perniciem. Sic præterea sunt hydrotica, diaphoretica, & diuretica medicamenta, quæ sudores & vrinas mouent, nec non alia, quæ tamen à plerisq; Medicis siniſtrè administrántur, adeo, vt etiam hinc magnæ sæpenumero repentinæ & immodicæ euacuationes eueniant, quæ interdum tam vehementem & subitaneam spirituum inanitionem & resolutionem inducunt, vt non tantum varia inde & grauissima excitentur symptomata, sed mors quoq; ipsa sæpenumero sequatur.

Remedia contra inanitionem & resolutionem spirituum.

Vt igitur huiusmodi inanitionibus, vel à spirituum resolutione, siue ab excrementorum euacuatione ortis, medeamur, in genere opera danda, vt spiritus dissipati reparentur, quibuscunq; modis id fieri potest, siue bonis & benignis alimentis, siue etiam medicamentis iis, quæ proprietate & facultate sua vires instaurant, reficiunt, & naturam corroborant.

Si vero malum ab animi passionibus, vel à nimio gaudio, tristitia, & cæteris ortum fuerit; remedia huius curationis petenda sunt ex prima huius tractatus sectione.

Sin vero spirituum resolutio atq; inanitio fiat ratione extremæ & decrepitæ ætatis; eiusmodi senes reficiendi sunt roborantibus, paulo liberaliori vini vsu, salutaribus vitæ elixiriis, omnibusque iis, quæ vim & facultatem possident spiritus recreandi roburq; parandi.

Sin autem inanitio spirituum facta fuerit penuria & inopia alimenti, corpusq; minus quam par, fuerit nutritum, illud nutriendum erit omnis generis alimentis. Sed obseruandum, ne corpus inanitum subito cibo refarciatur, sed lente refarciatur tantum, sin secus, malum: quia omnis mutatio repentina periculosa, & experti sunt, qui nimiam inediam sitimq; perpessi, immodica ingestione ciborum mortem sibi conciliarunt.

Si vero prouenit à nimia fluxione sanguinis, aut alterius alicuius humoris, curatio medicamentis sistendi facultate præditis instituí debet; vt reuulsionibus, deriuationibus, ligaturis, & remediis tam internis quam externis, quæ ad sistendum sanguinem, humorumq; fluxum immoderatum idonea sunt.

Si nimia & repentina excrementorum euacuatio eiusmodi

inanitionem inuehat, illa iuxta præcepta & regulas artis cohibenda est. Si igitur infringēdus nimius vomitus, aut etiam ventris profluuii vis atque importunitas interdum vomere & purgare expediet, idque ad causam irritantem tollendam : vomitus enim curatur vomitu, & alui fluor curatut, ex Hippocratis sententia, alui fluore. Sed hic non omittenda sunt corrobantia & astringentia, ad coercendum nimium fluxum vel à natura, vel ab arte irritatum. Sudores diaphoretici & vrinæ fluxus qui interdum (dum scilicet nimis immoderatè fluunt) spirituum quoque inanitionis causa existunt, debitis, appropriatis, & specificis remediis cohiberi & retineri debent: qua in re experti Medici prudentia requiritur ad benè discernendum, num eiusmodi vacuatio sit critica ; aut si vires deiiciat, vel non ? an nimis sit immoderata, nec ne ? an sit lacessita à natura vel arte, idque in hunc finem vt posteà administrari commodè queant operationes istæ, vt sunt reuulsiones, derivationes, corroborationes, aliaque remedia huic instituto necessaria, quorum particularem descriptionem alibi dabimus.

CAPVT VII.

De Perturbationibus Animi.

Definitio perturbationis animæ.

Perturbationes animi, quæ vulgo accidentia animæ nuncupantur, Græcis πάθη, & Latinis pertubationes ac passiones animæ dictæ, aliud nihil sunt, quam motus quidam præcipites ac efferi, feruidum animum, turbulentum ac inquietum, & à recta rationis via ac terminis euagantem, agitantes, prout maior Philosophorum numerus arbitratur.

Quemadmodum autem morborum corporalium curatio potissimum in vera causarum, à quibus pendēt, cognitione posita est: sic vt morbis spiritualibus, hoc est, animi affectibus, succurratur, probe eorum causæ Medicis cognitæ ac perspectæ esse debent. Præterea cum causæ ægritudinum corporalium vt plurimum in duas

classes

classes distribuantur, vt aliæ internæ sint, aliæ externæ ; sic nobis affectionũ animæ caulæ partiendæ sunt in internas & externas. Ad externas referuntur, probrũ, inopia, honorũ ac bonorũ iactura, inimicitiæ, iniuriæ, & id genus alia. Quæ quidem causæ externæ dicuntur, quod extra corpus nascantur, & aliunde in ipsum incurrãt: quæ tamen multas molestias, mærores, indignationes, iras, in animo nostro concitare valent, atque sic perturbationum animæ causas præbere.

Sicut causæ morborum corporis sunt internæ vel externæ, ita & animæ.

Internæ causæ duorum sunt generum. Aliæ corporeæ dicuntur, quod primo loco corpori occurrãt, cuiusmodi sunt dolores, infinitiq; alii affectus, qui corpus discruciant, quibus κατὰ συμπάθειαν ac arctissimam vtriusq; cõiunctionem anima patitur, ac suo modo diuexatur. Aliæ spirituales sunt; quæ sunt illæ ipsæ animi perturbationes ac turbulenti motus, qui propriè & priuatim morbi ac affectiones animi dicuntur, vtpotè quæ præ aliis omnibus causis spiritus nostros & animum exagitare ac contorquere possint. Cũ enim eæ mobiles, instabiles ac leues sint, prorsus aereæ & spirituales sunt: quæ idcirco ratione suæ subtilitatis ac leuitatis eiusdẽ naturæ spiritus nostros facilè permeãt, afficiũt, ac variis, iisq; stupendis motibus exercent, intellectũq; ipsum perturbãt. Non secus enim spiritus nostri mobiles, ac leues, ac eadem facilitate commouẽtur ab eiusmodi leuibus, quantumvis & mobilibus causis, qua aer & aqua, mobilia corpora, ventis agitantur, ac conturbantur nullo negotio: à quibus scopuli rupesq; marinæ, aut terreni montes, ne minimum quidem dimouentur.

Internæ vel corporeæ vel spirituales.

Quemadmodum igitur Medici, vt præsens auxilium morbis corporeis exhibeant, eorum causas callere debent, quibus ex arte sublatis, effectus etiam ipsos, hoc est, morbos extinguant: Sic & ægritudines spiritus, sublatis causis, profligari consentaneum est.

Hæ etiã morborũ spiritualiũ causæ, quẽadmodũ & corporaliũ, diuidi possunt in primitiuas, antecedentes & coniunctas, Primitiuæ, quæ Græcis προκαταρκτικαὶ dicuntur, ad externas, de quibus paulo antè verba fecimus, reuocantur, quæ & euidentes nuncupantur: quibus idcirco quod oculis subiiciantur, facilius ac promptius remedium afferri potest, quam antecedentibus ac coniunctis, quæ

Morborũ animi causæ triplices, sicut & corporis. Primitiuæ vel euidentes.

internæ sunt, & minus sensibus occurrunt: attamen veræ ac genuinæ spiritualium morborum causæ censeri debent: quarum magnus est consensus & vicinitas, cum antecedentes causæ ex prauis humoribus, doloribus, ac grauibus morbis in corpore nascentes, fomentum coniunctis, quæ sunt ipsæmet animi passiones ac perturbationes malè dispositæ, suppeditent.

Hinc fit, vt quiuis dolor, ex prauis ac virulentis humoribus aut flatibus in corpore genitis, ac continuum soluentibus, corpus discrucians, simul & spiritus & animum contúrbet. Haud secus ac melancholici humores, fuliginosíq; vapores ipsum afficiunt: qui & aciem intellectus nostri obtundunt: sicq; phantasiam aliasq; animæ facultates ac functiones corrumpunt, & vitiant; vt animum ipsum prorsus de sede rationis dimoueant atque deturbent, vt paulo post multis exemplis suo loco probabimus, cum priuatim de ea animi perturbatione, quæ tristitia vocatur, disseremus.

Vt autem prophylactica pars medicinæ, seu præseruatrix, proprie ad euacuationem, reuulsionem, & deriuationem antecedentis causæ pertinet, therapeutica vero seu curatrix ad coniunctam, hoc est, morbi curationem: simili & eadem methodo causæ morbi, aut morbi ipsi, qui animum perturbant ac torquent, propulsandi sunt. Præcipuum autem quod desideratur, remedium primo causæ coniunctæ debetur, hoc est, ipsi animi morbo: qui nisi corpori auxilia, siue intrinsecus, siue extrinsecus adhibeantur, fugari aut tolli non potest. Primo igitur loco corpus suis impedimentis, quibus animum etiam fatigat, liberandum est: idque duplici illa via, salutaribus remediis intro assumptis, & topicis extrinsecus admotis.

Modus curãdi animi morbum.

Quæ autẽ magis, tum generalia, tum specialia habentur auxilia, secundum illud diuinum, quod potissimum ex verbo Dei nobis accersendum est, in quo certissimam ac copiosissimã recreationũ sylua, spiritus supra modum etiã agitati & diuexati nanciscuntur; Sunt cohortationes, colloquia, rationes & exempla, nec nõ elegantes ac viuæ virtutis & vitii picturæ, effigies ac descriptiones, oculis ægrotantiũ ac perturbatorũ sigillatim subindeq; subiectæ, vt sic animũ cõponant, virtutẽ amplexẽtur, & à vitiis abhorreãt. Atq; hæc remedia generalia dicũtur, tanq̃ vniuersales medicinę, ad omne morborum

Remedia ad animi passiones.

rũ ſpiritualiũ genus aptæ & habiles: cui rei in primis Theologꝰ verus animæ Medicus neceſſarius eſt, qui varia cõſolationũ genera haud ſecus ac Medicus corporũ, varia remedia ac cõgrua ad varios morbos ſpirituales è vitiis corporũ ꝓcreatos, q̃bus animæ functiones ac facultates interpellãtur & perturbãtur, ſubminiſtret. Quæ q̃dẽ animi affectiones & ꝓturbationes, ex aeris & ſubtilibus humorũ corporis vaporibus excitatæ, nõ niſi magna ingenii dexteritate, & ſolertis Medici induſtria abigi poſſunt. Cũ n. ex eiuſmodi cauſis phãtaſia ſeu vis imaginatrix oblędat̃ ac deprauet̃, nõ niſi magna ingenii ſagacitate ac acumine, tot portẽtoſæ ac fanaticæ imaginationes detradẽtur ac euaneſcẽt. Sic peritus ille ſagaxq̃; Medicus fuit, q̃ ægrũ ſuũ ſibi naſum magnitudine ac craſſitie vrnæ æqualẽ imaginantem magnâ dexteritate curauit, cũ ei perſuaſiſſet nouaculâ eſſe amputãdũ eundẽ: cui artificio cum apparaſſet duo aut tria bubula hepata, cum nouacula obtuſiore cultri parte naſo admota, vt contactum illius æger perſentiret: acutiore magna hepatum fruſta Medicus reſcidit, quibus totam faciem ægri cruentauit, vt hoc conſpecto ſibi ſuæq̃ naturali formæ reſtitutum naſum æger crediderit, atque ſic ex opinione ac imaginatione contraria conualuerit.

Phantaſia de prauata cauſa præcipua perturbationum animi.

Varios id genus morbos ſuo loco, & quibus remediis curati fuerint, explicabimus: quod multis ac variis exemplis vix fidem inuẽturis oſtendemus: quibus tamen non ſit detrahenda fides, cũ ſuperſtites adhuc nõ paruæ notę viri, ac fide omni digniſſimi, teſtimoniis ſuis veritatẽ eorũ, quæ dico, confirmẽt, ſuisq̃; cõprobent ſuffragiis.

Cum autem cauſas eiuſmodi motuũ animi radicitus euellendas eſſe dico, nolim ſtoicorum more ſtupidos homines prorſus reddere, quaſi omni affectionũ ſenſu ſpoliãdi ſint. Neq; enim fieri poteſt, vt animus corporis gubernator ſuis motibus careat, cũ infinitas ſyderũ ꝓprietates in ſe naturaliter poſſideat: quibus etiã brutorum inſtar commouetur. Etenim in bruti modum non poteſt homo appetitibus ſuis cauere, quin fame & ſiti preſſus cibum & potum appetat, cæteraq̃; neceſſaria inquirat. In naturalibus itaque iſtis motibus foueri hominem volumus: at vbi perturbati ſunt, & extra naturæ ac rationis limites euagantur, ad rationis & naturæ cancellos ſagaci Medici conſilio cenſemus reuocandos.

Stoicorum error in affectibus radicitus euellendis refutatur.

In Stoicos Philosophos, qui homines eiusmodi motibus exuere volunt, insurgit Aristoteles in Ethicis, eosq; carpit, quod virtutē in omnium affectionum priuatione constituissent, docetq; in affectuum moderatione eam consistere: nec minus omni sensu destitutos damnat (qui vt plurimum fatui, stupidi, crassi sunt) quam eos, qui intemperanter & immoderatè suis se cupiditatibus laxant & addicunt. Has cum nosceret facultates & affectiones animi Plato, tantum abest, vt damnarit, vt contra neruos spiritus, in Philebo, esse pronunciarit, indicanshac comparatione, instar neruorum toti corpori sensum & motum distribuentium, huiusmodi πάθη habere. Siquidem illa neruorum vsum spiritui præbent, vt huc & illuc moueatur, ac modo deorsum modo sursum feratur. Quin & inde animus sensum & omnem omnium rerum cognitionem mutuatur.

His igitur si prorsus esset destitutus homo, velut immobilis iaceret tanquam nauis omni vento carens, nec quoquam dirigeretur. Hæ siquidem affectiones impellunt hominem, vt hoc vel illud aggrediatur, quas tamen ratio, gubernator huius nauis primarius, dirigat necesse est, ne præter naturam morbidæ fiant. Hinc igitur inferre licet, vt eiusmodi morbi & perturbationes seu affectiones animi curentur, non esse iis prorsus spoliandum hominem: sed peruersas, ex quacunq; causa vitiatæ fuerint, omnibus modis esse corrigendas: hoc est, tollendum esse ab illis malum, vt integræ ac sanæ vigeant: quemadmodum boni solent Medici facere, qui non omnes ex corpore humores deturbare solent: sed vitia & impuritates eorum extirpant, vt salutares & puras functiones exerant, ad optimam crasin reuocati.

Officium boni Medici.

Sic quoq; periti hortulani se habent, quos vtique imitari liceat: si quidem ex horto suo solas inutiles, aut etiam noxias eruncant ac euellunt herbas, salutaribus relictis, quas magna sedulitate ac industria rigant, fouent, excolunt. Quod si contingat interdum, nonnullas etiam bonas è suo loco extirpari, id non fit, vt abiiciat eas agricola, sed quæ minus inter sentes ac spinas suffocatæ proficiebant, liberiori aeri & fertiliori solo implantentur, vbi vberius eductæ, occatæque fructus suos citra impedimentum suo tempore, non

re, non agrestes, sed cicuratos, non acidos, sed suaues, & minus acres explicent.

Quinam animi affectus euellendi?

Sic & erga animi affectiones agendum, quas nõ expedit ex naturæ suæ sinu promiscuè & temerè auellere: ita enim in iacturam spes lucri degeneraret. Quemadmodum igitur, vt aptè & concinnè corpori medeamur, præparantia inprimis purgantibus præmittenda sunt, quo fluxiores reddantur humores, & ad euacuationem faciliores, nec non vt minori molestia, & citra vim purgationẽ æger ferat: Sic in curandis animi perturbationibus præparante methodo vtendum est, qua cicurentur prauæ illæ affectiones, & mansuetiores reddantur, eadem q; via ægrotus ipse, post imploratã Dei misericordiã & auxiliũ cõponatur ad admittẽda remedia, hoc est, salubres adhortationes, recreãtia colloquia, cõsolationes, & id genus alia salutaria, consilia, argumenta & exempla, quæ pro passionum natura & conditione ad sanitatem mentis restituendam explanabuntur.

Hæc ad vniuersalem morborum animi curam pertinent, cui particularis nunc demum annectenda est curatio. Hanc aggrediemur ab explicatione singulorum remediorum, quæ singulis passionibus sigillatim aptari debent, postquam prius illarum numerum, naturam, differentias, & causas enucleauerimus.

Triplex in homine appetitus.

Tenendum est igitur, præter appetitum, qui nobis cum aliis rebus omnibus creatis communis est, & rationis facultatem, quæ nobis est singularis, reliquis aliis naturis præter humanam ea destitutis, animalem quoq; appetitum nobis insidere, aliter sentientem, quo & bruta prædita sunt.

Appetitus sensitiuus.

Ex hoc sensitiuo appetitu, aut naturali sentiẽdi potẽtia, qua quæ bona sunt & salutaria amplectimur, quæ vero mala & noxia declinamus & refugimus, duo insignes rami tanq; ex eadem radice enascuntur, irascendi videlicet & concupiscendi studium, ex quorum dominio pendent variè illi motus & perturbationes, quibus agitamur instar arundinis ventorum flatibus huc illuc impulsæ.

Concupiscendi appetitus sex species.

Ad concupiscendi appetitum referuntur sex diuersæ perturbationum species, tres quidem ex bono, quod sibi proponit, exurgentes: aliæ vero tres ex malo, quod vitare studet. Tres primæ dicuntur esse amor, cupiditas & gaudium: quibus tres aliæ opponuntur, odium, auersatio, mæstitia.

Ex

Iraſcendi appetitus. Ex iraſcendi appetitu, qui ſibi bonum proponit, tanquam obiectum, & eius comparandi difficultatem, quique fugam mali velut ſcopũ ſibi obiicit, cum eius declinandi impotentia, quinq; aliæ motus ſpecies oriantur, ſpes nempè, deſperatio, metus, audacia, & ira.

Vnde quidam vndecim paſſionum aut perturbationum genera deriuant, quas alii ad ſeptem contrahunt; Ambitionem ſcilicet, auaritiam, voluptatem, inuidiam, Curioſitatem, Iram & Metum. Pleriq; vero quatuor tantum agnoſcunt in genere, gaudium, dolorem, ſpem & metum. Vnde illud Virgilianum:

Seruius in 6. Æneid. Quatuor animi paſſiones quæ. Ambitio. *Hinc metuunt, cupiunt, gaudentq;, dolentq;.*

Varro & maior Philoſophorum natio de quatuor paſſionibus verba faciunt, duas à bonis, totidem à malis exiſtimatis rebus deducentes. Nam dolore ac timore duæ opiniones mali ſunt, vna præſentis, & altera futuri. Si in hoc argumentum penitius introire conſtitutum eſſet, in gurgites & abyſſos immenſi maris incideremus, vnde nauis noſtra nunquam emergeretur. Satius igitur eſt hic vela complicare, nec vlterius progredi, tantumque de illis ſpiritus paſſionibus verba facere, quæ motibus ſuis varia morborum genera in corpore parere idonea ſunt: quod præcauere, & eiuſmodi incommodis maturè proſpicere, boni Medici & religioſi officium eſt: non ſecus ac Theologi partes ſunt, perturbatæ animæ motus deprauatos compeſcere, quales ſunt ambitio, auaritia, cupiditas, & inuidia, quæ ſæpe corpori iacturam & interitum minantur, & conciliant. Nunc de Ambitione.

Ambitio ſupremorum honoris graduum ardẽs eſt inſania, datur vitio, quod inanis gloriæ immoderato ſtudio teneatur, nõ quo publicam vtilitatem ſpectet, ſed cæteris cum faſtu tumoreq; dominetur. Vnde etiam maiore ratione damnatur, ſi obliqua via, & nocendi potius, quam proficiendi ſtudio, ad eos gradus contendat.

Luculenta inſaniæ iſtius, quæ inter primas alias animi perturbationes in humanam ſcenam irrupit, apparuerunt omnibus ſeculis teſtimonia, inſigniaque ſupplicia, quod vbique & ſemper ſolitus ſit Deus hominum ſuperbiam & arrogantiam grauibus pœnis mulctare: Quibus ne ipſi quidem Angeli erepti ſunt. Illi enim acerbiſſimas primi omnium ſuſtinuerunt, & in æternum ſuſtinebunt

Lapſus angelorum.

ærumnas,

ærumnas, in profunda inferorũ barathra detrusi, è quibus nullus vnquam futurus est exitus, quod diuinis superbi mandatis reluctati sunt. In idem peccatum primus noster parens Adam lapsus est, cum seseſe Deo æqualem superbe reddere voluit, & ambiuit pares cum illo dominandi honores, cuius ambitionis opera perfectum est, vt omnibus exueretur, cum animi, tum corporis dotibus, quibus insigniter & abundè à Deo fuerat ornatus & instructus. *Superbia Adami & posterorum punita.*

Ad illius exemplum reliqui, quotquot sunt, siue Principes, Reges, Monarchæ, siue mediæ conditionis, aut inferioris etiam ordinis homines, qui velut Thrasones & Salacones cristas attollere voluerunt, miseri tandem & infames perierunt.

Testis est iudiciorum Dei immanis ille gigas Goliath: testis superbus Sennacherib: nec non audax ille Holofernes: qui superbia sua abrepti, & furibunda ferocia audaces in Deum ipsum insurgere, ac insolentibus dictis viuentem in secula incessere ausi sunt, humanæ suæ conditionis & imbecillitatis immemores.

Eandem superbiæ mulctam pertulerunt Ozias, quod dignitate Regia minime contentus sacerdotũ ambiret: Nebucadnezar, quod cultum diuinum, & adorationem sibi, vt Deo, præstare imperaret: Herodes, ꝙ diuinitatis titulos à populo assentatore sibi tributos alacriter exciperet; Nec manus Dei effugerunt potẽtes illi Monarchæ, Caligula, Domitianus, Heliogabalus, aliiq; complures, qui sibi diuinos honores deferri, simulachra sua vbique erecta adorari, seq; in Deorum numerum referri, suæ vilitatis obliti, imperiose & minaciter iusserunt, vt qui miserrimum ac infelicissimum vitæ exitum in suæ ambitionis & superbiæ pœnas experti sunt.

Hoc ipsum Poetæ fabulis suis, veritatem rei velantes, ingenioſe expresserunt: Cum Phaetonta inducunt audacter nimis & superbè, ad agendos Solis equos procliuiorem, maioraque viribus suis arroganter molientem, contra Phœbi Patris monita, filium sic compellantis:

Altius egressus cælestia signa cremabis,
Infirmus terras, medio tutissimus ibis.

Cuius ambitionis, temeritatis & audaciæ, eo ipso momẽto supplicii cõflagratione sui pœnas dedit, vt verè dictum fuerit, raro an-

tecedentem scelestum deseruit pœna pede claudo. Simile quid de Icaro etiam iidem referunt, artificiosum volatum sibi arroganter, qum solutis alis per aerem volantē præcipitē in mare ruisse confingunt; his nempe figmentis infelicem ambitionis exitum & arrogantiæ docentes: Deponit enim Deus potentes de sede: & exaltat humiles: superbos enim is ferre non potest, quin variis suppliciis mulctet, & incognitis morbis afficiat, quibus nulla Medicorum auxilia conducunt: tale Ozias tulit supplicium, qui deploratam incurrit Elephantiasin: Herodes verminosum & pedicularem morbum. Tales etiam morbos potentissimi quidam Monarchæ nostri temporis, fulmina belli, passi sunt: quos Medici nulli, quantumuis eruditi, naturalibus suis remediis profligare potuerunt, vtpotè quorum supernaturales essent causæ, naturalibus remediis minimè curabiles. Quod vtique maxime notandum, & alia cognitione ac meditatione spectandum occurrit, cum ista captum sensus humani superent.

Auaritia. Ambitionem cominus sequitur avaritia, quæ inter violentissimas & furiosissimas animi perturbationes annumeranda est: infinitis enim fluctibus omnium prope hominum animos exagitat, vt nullo non turbine nocte dieq; perpetuis vigiliis inquietos eos concutiat, emaceret atque prosternat. Instar enim freti & angustiarum Lybicarum hæc se habet; vbi perpetuis flatibus & fluctibus, iisque contrariis inter Scyllam & Caribdim, mare conturbatur, ac sursum deorsumque peruoluitur.

Furiæ hominis effectus auaritiæ. Cum enim diffidentia, metu, solicitudine, varia spe, aut desperatione, sæpius stipetur (quas quinq; furias sibi semper adiunctas habet Auaritia) nocte dieq; perpetuis vigiliis animū fatigat & contorquet, vt nulla quiete frui possit. Hinc fit, vt Auarus insomnes noctes ducat, rigidæ terræ iucubet potius, quam mollibus stratis, quæ impensarum metu in sentes, spinas & vrticas commutat, adq; vsq; adeo animū torquet variis fluctibus, vt mille mortes in horas ex ingentiillo curarum ardore subeat, & sic inter pereundum viuat: Tantusq; est ille cruciatus, aut Phalaridis tyranni incensum & ignitum taurum in supplicium, crudele excogitatum non æquet modo, sed etiam immanitate superet? Hinc Megæra illa Auaritia tot furiosis motibus

motibus animum exagitans, iure à Spiritu Dei radix malorum dicitur: à qua idcirco Polit. Lib. 1. cap. 2. & ab ambitione tanquam seminariis omnia promanare vitia ac scelera rectè ac vere sensit scripsitque Aristoteles. Huic igitur tam horrendæ meretrici quicunque adhærent, & laqueis eius irretiuntur, insani prorsus sunt iudicandi, & omni ratione sensuque carentes. Quid enim insanius, quam furiosis impuræ istius belluæ motibus à casto virtutis amore, quæ cœlo & æterna vita beat, amplexantes, auocari? Quid non molestiarum & cruciatuum exhibet auaritia, non tantum in hoc seculo; at in futuro etiam pœnis apud inferos æternis sequaces suos mulctatura? Nullum tamen frequentius & vsitatius vitium vel inter Christianos etiam auaritia pullulat, vt hoc nomine ab Ethnicis etiam, & infidelibus superemur multis, qui spretis caducis his opibus immortali virtuti & gloriæ toti incubuerunt. *Radix omniū malorum Auaritia.*

Vbi nunc alter occurrat Demetrius Phalereus, qui ex Mercatura ingentes consecutus opes, audito forte fortuna Cratete, publicè docente, ac per vnam atq; alteram horam de laudibus, & admirandis virtutis effectis, differente, se miserū exclamauit, q tã diu ignorantiã fouisset, bonaq; tã exquisita virtutis pauco cõparãda negotio flocci pependisset, vt magnis cum laboribus, & crebris vitæ periculis ad ea attentior fuisset, quæ vsq; adeo vana sunt & caduca. *Demetrius Phalereus. Plutarch. in tract. de trãq. an.*

Pauci nunc occurrũt, siue literati, siue ignari, q. Anacreontẽ imitandum sibi constituant, qui à Polycrate quidẽ tyranno tria circiter nummorũ aureorũ millia dono data accepit: at cum metu & grauioribus curis insuetis vexaretur, sibiq; somnũ eripi indignaretur, interq; dormiendũ subsultim expergefactus, ac nimia cõseruãdi muneris cura perpetuo teneretur; non solũ de pecunia, sed etiã de vita à latronibus vel domesticis eripienda solicitus, cæpit de pristina sua animi tranquillitate recuperanda cogitare, ac de anxietate deponenda. Quod vt præstaret, idẽ argentum Polycrati restituit, addiditq; ab eo sibi plus negotii cõflatũ, à quo tẽpore suis scriniis inclusserat, q̃ ex eo voluptatis & delectationis in posterũ esset experturus. Atq; hæc in hunc finem dicta sint, propositaq; exempla, vt quam praua illa cupiditas & auaritia infinitis animum torqueant pertur- *Anacreon.*

bationibus doceamus, quo minus illis mancipemur, easque tanquam corporis & animæ perniciem & interitum execremur.

Restat, vt tanquam Medici, quibus corpus humanum medicæ facultatis obiectum proponitur, quam grauibus affectibus & symptomatis impetatur, ab exequendo illo monstro recenseamus, & huic narrationi adiiciamus. Auarus famelica ingluuie & inexplebili perpetuo thesauris inhiat, struthionicum gerens stomachũ, quo non tantum ferrum concoquit, at aurum argentumque solidissima inter omnia metalla absorbet atq; concoquit

Qualem Diæ tam teneant auari.

Excutiamus etiam remedium, imo dignissimũ auari supplicii, quo ad sedãdum caninum illum appetitum, & immoderatã rabiẽ, vtatur, exigendã Remedium tenere cupis? fustulo panis autopyri & secundarii, focalini, sæpiusq; rancidi: cæpa, porro, sulla aut bubula salitis & fumosis: mollugine cænosa, salsis halecibus, & id genus pessimis siue asarcorum dierum, siue sarcicorum tempore, suæ fami & hianti perpetuo gutturi consulit. In potum assumit vippam, vinorum fæces & reliquias acescentes, fugax vinum & corruptũ, atq; id genus deprauatos potus: ex quibus omnibus nihil in corpore præter salsum sanguinem, retorridum, impurum ac pessimos humores valetudinem eius labefactantes gigni potest. Hinc redditur valetudinarius, & de perpetuis doloribus conqueritur.

Præterea cũ aduersus aeris iniurias vel rigidissimã etiã hyemem prope nudus incedat, aut vili attritoq; vestimento parcius aut segnius sese induat: maria terrasq; percurrat, nocte dieq; æstiuis & hybernis tẽpestatibus sese negotiãdo citra quietem torqueat: quas nõ potest infirmitates, cruditates, incoctiones, rheumata, catharros non contrahere, & innumeros alios affectus incurrere? vnde enim pleuritides, febres, chiragræ, podagræ & id genus alia ex hoc nisi fonte promanant? Quibus vt medeatur, quid agit? nimia nẽpè abstinentia, seu parsimonia sibi familiari vtitur, vt qui in necessarii instauratiui locum, vnicum ouum, vix adhuc integrũ cineribus coctum assumat: pane aqua diluto, patanellæ delicatæ aut minutalis loco vescatur: iusculum ex butyro salito & brassica conditum, non summati alicuius optimi locum sorbeat, aut gelatinæ. In purgantis vero medicamenti vicem, si adstricta sit aluus, drachmam vnam

vnam granorum ebuli, ihabarbaro alioqui cariori substituit, vsus alicuius veneficæ consilio, ne apud Medicos & Pharmacopæos sumptus vllos faciat. Eo tandem huiusmodi homines desperationis adiguntur, vt si fertiliorem messem, & vtiliorem annonam fortè præsenserint quæ venditionem suorum frumentorũ ac vinorum iam ex longa etiam pretii expectatione, rancidorum & pendulorum, remoratura sint, sibi laqueo vitam eripiant, vel in puteos præcipites se dent, vt hac ratione corpus & animam iusto Dei iudicio perdant.

Sexcenta hic annecteremus pœnarũ in illos maledictos homines diuinarum genera, ni obstreperet Momus aliquis aut inuidus Censor, reclamaretque, hæc nihil ad rem futura, neque proprii esse loci in quadam de diæta tractatione vt verba, tot historias, & tot exempla percensere. Sed æquiori lectori, institutum nostrum assecuto, res secus videbitur. Satis enim perspiciet, vniuersalem hic à nobis, non particularem tradi de diæta tractationem, quæ idcirco nihil indictum aut prætermissum ferat. Tantus enim eius est ac tam necessarius vsus, vt laxam hic, non strictam eius explicationem, in qua nihil desiderari queat proponere constituerim: cuius idcirco accuratior & longior tractatio tanquam supervacanea iniquè redarguetur? Boni igitur ac æqui consul & candidus lector nostrum hoc institutum, nec sibi inutile futurum, aut de nimia verborum copia, ex qua non possit fructum decerpere, conquereretur. *Punitio diuinarum in auaros.*

Consulto enim me in hanc tractationem effundo, quod eiusmodi affectionum & morborum animi cognitio maxime sit Medico necessaria, & ad eas explorandas attentissimum eius esse debeat studium, quod magnis iisque stupendis perturbationibus & sæuissimis etiam cruciatibus corpus excrucient, ex humoribus, quos conturbant & prorsus deprauant. Vnde etiam magnus ille Hippocrates coactus est aliquando dicere, in quibusdam morbis diuinum quid inesse.

Annon Christus perhorrendum supplicium dicit de auaro. Luc. 16?

Episcopus Moguntinus à muribus devoratus.

Insignis auarus fuit Moguntinus Episcopus, qui ad querelas innumerorum pauperum fame pereuntium, & stipem ab illo emendicantium, tædio indignatur, omni humanitate & misericordia deposita, sed immanitate & crudelitate, superante sæuissimos quosuis leones, assumpta totam illam murium farraginem, vt vocabat, area frumentaria concludi iussit, atq; ædificium incendi, vt miserando ibi spectaculo deplorandi pauperes cõcremarentur, sed scelestissimũ ac crudelissimum hominẽ pœna non deseruit, diuinaq; vindicta. Eo enim ipso tã nefarii sceleris patrati momẽto, repentina muriũ innumerorũ caterua circũuallatur, q̃ nullo ingenio, nullaq; vi à se excutere & summouere potuit, quin siue stans, siue sedens, siue decumbẽs in lecto, siue mensæ accumbens, ab illis roderetur, ac dilaceraretur. Nec iuuarunt detestandum hominem latebræ, quas quæsiuit, aut ergastula, quæ ianuis & fenestris carentia murium turbam, introitu arcerent: securè illi diplomate Dei nixi quouis irrepserunt. Nec quicquam opis satellites tulerunt, licet huc illuc fustibus & baculis irruerent, ferirent, sesèq; circumagerent. Frustra etiam arx & turris in medio Rheno extrui iussa est, qua piaculum illud includeretur, vana vitandæ diuinæ vindictæ spe & persuasione, quasi mures trãare aquas reformidarent. Repente enim magnis turmis in aquas irruerrunt, traiecerunt, turrim conscenderunt, superarunt, introierunt, exectãdum illum hominem adorti sunt, vellicarunt, tandemq; ab omnibus suis satellitibus derelictum, & frustra vires humanas implorantem, deuorarunt, absumpseruntque.

Præter visibile illud Dei iudicium, occulta alia in thesauris suis Deus asseruat, quibus scelera hominum coercet, quorum causæ abditæ sunt ac nobis incognitæ, captumque hominum superant: quæ idcirco vel acutissimorum ac doctissimorum Medicorum leges & medendi normas rideant ac fallant: Ad quas tamen Christianum Medicum attentum esse oportet, ne quid supra vires aggrediatur, atque aliunde remedia petat quam ex libris Hippocratis, Galeni, Celsi, Auicennæ & aliorum: nunc de Ambitione.

Invidia.

Has omnes ambitionis & auaritiæ horrendas deformitates depingere graphicè suscepimus, quæ tamen patui vtique momenti sunt,

sunt, quæ portentoso illo Inuidiæ monstro, quod longe horribiliore, & magis execranda cæteras vincit pernicie. Tanta enim hæc animi perturbatio est, tot venenis cor absumens, internis ac cæcis ignibus cor adurens, vel citra rationem & argumentū, quibus superiore carere non videntur, ad suorum motuum speciosam excusationem, vt nullo calamo digne satis describi aut ratione exprimi possit. Ambitio siquidem virtutis speciem sustinere videtur: auaritia boni alicuius imaginem simulare, quo sibi & posteris consulat. At inuidia nihil habet, quod iure fucum suæ perturbationi comparet.

Nam quamuis ambitionis & vanæ gloriæ ardore rapti fuerint Alexāder ille Magnus, & Themistocles inter Græcos, excusandi tamē vidētur. Ille quod vereretur, ne à patre Philippo semper victore sibi nihil relinqueretur, quo gloriam & famam assequi posset: Hic quod nihil aliud, quam Miltiadis virtute & trophæis excitatus, ipsius vestigia præclaraque gesta, non æquare solum, sed etiam superare nocte dieque meditaretur. Siquidem vilem eorum conditionem & abiectam apud omnes sortem animaduertebant, qui nulla virtutis gloria præstitissent, nec ab egregio aliquo facinore vllam sibi famam conciliassent. Sic voluptas suos motus dulcedinis cuiusdam prætextu excusat, quod in congressu & consuetudine sociorum hilariter viuatur, quod honestius sit eleganti veste, quam vili & lacera indui, illiberalem & sordidam esse parsimoniam. Auaritia his exceptionibus tuebitur se, quod nihil sit calamitosius, nihil turpius, nihil contemptius egestate: summum bonum in diuitiarum acquisitione & possessione collocari: & genus & formam à Regina Pecunia donari: qua deficiente, omnia simul deficere: à Medicis in morbis etiam grauissimis nullum auxilium expectari ab illo, qui censu careat. Consanguineis etiam, agnatis & proximis illum esse odiosum, cui curta fuerit vel nulla supellex.

His modis ambitio & auaritia se tutantur. At inuidia nihil habet, quod opponat in excusationem, si accusetur, nihil quod reclamet, si perturbationum omnium animi fœdissima & turpissima esse dicatur: siquidem superiores motus ex imbecillitate *Inuidia inexcusabilis.*

tate naturæ emergunt. At inuidia ex improbitate nostræ voluntatis nascitur. Natura enim inuidiæ vsque adeo horrenda ac portentosa est, vt ex felicitate alterius suum contrahat infortunium, & ex alterius infortunio suam sibi conciliet felicitatem: hic mala mens, hic malus animus, cum prosperæ proximi fortunæ inuidetur, & gaudium ex eius mœrore comparatur: cum rideatur ex lachrymis eius, & ploratur ex risu eiusdem: cum bonus ex alterius marcore habitus contrahitur: contra cum ex eiusmodi pinguis habitu tabescit aliquis. In summa confer ipotest inuidus cum Timone illo Athenienſi μισανθρώπῳ, & fortunæ & felicitatis alienæ osore, omnique charitate destituto: quod nihil ingratius animo cõcipiat, quam erga homines beneuolum ac beneficum Deum se habere, eosq; prosperè ac feliciter prospiciat degere.

Inuidioſi cõparatio cum Timone Athenienſi.

Inuidus ſimilis Prometheo.

At quem ex suo liuore fructum carpit inuidus? vt scilicet alter fiat Prometheus, cuius cor à vulture acerbissimis, iisque assiduis cruciatibus eroditur & vellicatur: ipsum theatrum, ipsum supplicium, ac simul sui fiat carnifex: cui tabes illa instar hirudinis sanguinem exhauriat, medullas exsiccet, ossa absumat, vt macie, pallore, squalore & habitu corporis prorsus deformi, & horrido σκέλετον potius, quam hominem referat. Quod vtiq; vitium, atq; horrendum malum pulchrè depinxit poeta his versibus:

Liuor tabificum malis venenum,
Intactas vorat oßibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem,
Quum quisquis furit inuidetq; ſorti
Vt debet, ſibi pœna ſemper ipſe eſt.

Hi aliquos istorum sensorum, qui mihi semper obstrepunt, & calamum meum in se exacuunt, ac argumentum suppeditant, patefaciendæ suæ immoderatæ inuidiæ, cum omnibus eiusdem proprietatibus & effectis, perbellè depictos, mihi videre videor: In quos vtique cum acerbius calamo nostro decreuissem inuehi, & suis genuinis coloribus eos declinare, communicassemque cum illustrissimo viro, & ex regni huius primoribus primario, consilio & grauibus sententiis refertus est, respondit in hæc verba:

Con-

Conquereris, inquit, de iis, quæ non possunt non esse tibi laudi, & in trophæum præclarum concedere. Si enim inuideris, hæc certissima nota est, aliquid in te esse præclarum & laudabile, cui inuidetur, & quod æmulatione dignum sit: simulque addidit hoc Diogenis apophtegma, qui homini apud illium de liuore & odio quorundam, quo incessebatur, expostulanti hoc aperuit consilium: vt scilicet in vltionem inimicorum inceptum virtutis cursum fortiter & alacriter persequeretur, nec eum abrumperet, vt quæ certissima sit via ad vindictam, de illis sumendam, qui hoc nomine sese perpetuo excruciant, & intimas cordis partes sensim & assiduè exurunt. Maiore siquidem inuidi cruciatu torquentur virtutibus conspectis in eo, quem imitari nequeunt, quam si fustibus & armis ab hostibus impeterentur.

Fusiorem de his tractationem Theologis relinquam, cum ea sint mera animi pathemata, cuius illi curam gerunt: transeamusq; ad alias quatuor perturbationũ animi species, quæ restãt excutiẽdæ, vtpotè quæ propius corpus attingãt, ipsumq; cõturbent, vt inde magna sanguinis humorumq; aliorum oriatur perturbatio, quæ intestinum bellum & furiosos insultus prorsus in corpore excitet. Hinc variis agitantur ægritudinum procellis, quarum nulla haberi possit, præterquam de sagacissimo & peritissimo Medico, cognitio, nec turbarum eiusmodi compositio aut extinctio.

Quæ restãt, enarrãdæ animi affectiones, sunt venereus amor, ira, gaudium, timor, & tristitiæ: inter quas primum occupat locum Amoris perturbatio, velut aliarum radix & scaturigo.

Fructus Veneri amoris.

Ab eo enim oritur æmulatio, ab æmulatione ira & furor, à furore vindicta, ex qua iniuriæ nascuntur & læsiones, quæ demũ supplicii metum incutiunt, quẽ perpetuo tristis recordatio, tædium & mæstitia consequuntur. Aut si aliter negotiũ hoc expedire velimus, ex hocipso amore absentis boni cupiundi cupiditas nascitur: ex cuius præsentia & possessione oritur lætitia, quam breui duraturam, vt leue, mobile & mutabile bonum, mox metus excipit, ne excidat: ita vt quantacunq; sedulitate ac custodia difficili retineatur, de iactura fugacissimi boni semper timeatur. Ex huius boni priuatione ingens nascitur tædium, & prorsus lethalis mæstitia ac indignatio, quæ animum nocte die q; contorquet.

Venerea cupido est basis & origo aliarũ affectionum.

Venerea igitur hæc cupido, cum basis & origo sit aliarũm, vt diximus, affectionum, atq; inde omnium motuum, quibus animus cum corpore perturbatur & excruciatur, quoties ab ea abripi nos patimur & transuersos agi, primo nobis examinanda suscipietur. Huius itaque tales sunt effectus, vt sapientissimos quosque, nec non fortissimos duces, nullis bellorum æstibus aut machinis territos, inuadat & concutere soleat, imo expugnet & prosternat: acutissimos reddat stupidissimos, & qui iudicio pollent, dementet: prudentissimos ad insaniam redigat, moderatos effænet, denique hominem in brutum commutet, cuius porro tantæ vis est, vt quos aggressa est, in desperationem præcipitet, ac manus sibi inferri miserando aspectu cogat: homines belluis immaniores efficiat, quas ad mortem ruere voluntariam nusquam animaduertemus, vt alias sui generis vnguibus aut dentibus dilacerare.

Sicuti Circe, hominem in pecus: Ita amor virtutẽ in vitium vertit.

Quemadmodum autem illa venefica Circe à Poetis tam decantata fingitur eos, quos ad se intromitteret, non tantum effascinasse, mente & iudicio priuasse, sed etiam in fædissima bruta, porcos nempe, turpissimum animal conuertisse: Sic quos rapit insana illa cupido, de statu mentis deturbat, à studio & cognitione virtutis auocat, omnem illorum fortitudinẽ infringit, corporis robur eneruat, functiones animę omnes interturbat & oblædit ad ŏne vitiũ omnem q; turpitudinem præcipites agit, deniq; ex hominibus brutaanimalia effingit, vt iure voluptatem alteram Circen dixeris.

Morbi ex Venere quot & quanti.

Si morbos ex amore prodeuntes spectemus, corporis & animi mollitiẽ parit, languores, lipothymias, syncopes, paralyses, cruditates, omnis generis arthritides, vigilias perpetuas parit, omnẽ treptices facultatem & oeconomiã vitiat, vt subtumidi, pallidi, liuidi, huiusmodi homines, omni vegeto destituti colore cõspiciantur: quin & luẽ illã veneream tam famosam, lepram q; qua totum corpus in frusta putrida soluitur, progignat; qua ratione Circæos porcos fæditate superat. Hæc sunt ornamenta, illæ dotes, quibus satellites suos ac milites voluptas exornat: quas tamen præ amoris insania parum reformidant, aut nihili potius faciunt.

Attamen vt à deprauatis eiusmodi cupiditatibus & perturbationibus iuniores auertamus, & Medicos etiam erudiamus, qua ratio-

ne

tione fons ille mali exhauriri ac exsiccari possit, exempla quædam subiiciemus illustrium quorundam virorum, quibus saniores & prudentiores doceantur, ex aliorum deformitate mentem ab eiusmodi inquinamentis, prauisque cogitationibus abducere. Solent enim aut debent lapsus aliorum, & infelices malè institutæ vitæ euentus, alios terrere, qui eadem vestigia sequantur: quique luto inter gradiendum immergitur, comiti suo meliori incedendi via autor esse debet. Alioqui non careat ille reprehensione, qui periculum sibi imminens non defugiat, iusteque imprudentiæ ac temeritatis arguatur, qui alieno exemplo non sapiat.

Salomonis amor illegitimus.

Vt igitur ostendamus, vel sapientissimos etiam veneno hoc amoris infici, occurrit primo sapientis illius Salomonis insigne exemplum de quo dicere supersedebimus, cum ex sacris scriptis illius historia omnibus satis elucescit. Cuius tamen exemplo pius quisque monebitur, vt ab eiusmodi illecebris auertatur: ne forte, quem audiuit tot virtutum donis, tantaque sapientia instructum, turpiter tamen prolapsum, imitetur, neue idem ipse inferioris longe conditionis, & leuioribus ac nullis propè munitus præsidiis, periculum lapsus incurrat, aut grauiora peccata committat: sicque Dei gratia spoliatus grauissimum æternæ mortis subeat supplicium.

Marcus Antonius Cleopatræ.

Præter hoc aliorum etiam sagacis ingenii virorum sequuntur exempla, qui licet fortitudine præstantes essent, hocisti veneno & rationem & virilitatem amiserunt, & prorsus enerues & effæminati facti sunt. Testatur hoc Marcus ille Antonius vir prudentia singulari præditus, qui Cleopatræ nimio amore incensus, infama etiam eiusdem suscepit studia ac consilia, nihil non imprudenter, leuiter, ac negligenter tractauit, aut deinceps aggressus est, quod laudem meruerit, & famam ei conciliarit. Totus enim in eo erat, vt in amasiæ suæ sinu & amplexibus viueret, eiusque fascino & incantationibus vsque adeo illaqueabatur, vt nulla habita ratione periculi vel dedecoris, vnam Cleopatram & spiraret & loqueretur, vt scribit Plutarchus in eius vita: cuius demum vtriusque infelicissimus ac summe miserandus secutus est vitæ exitus.

Exemplum Herculis.

Quid ergo Herculem in medium producam, communem orbis humani ἀλεξίκακον, monstrorum domitorem, totiusq; fortitudinis speculum?

Ille amatorio Omphales veneficio infelix succubuit, & robur in fæmineã mollitiẽ, laborem in luxũ, Martemq; in delicias muliebres, appensam lateri colo cõmutauit. Deliramenta fortassis putas? Intueamur quid de fortissimo illo & robustissimo Samsone scriptum reliquerit, sacra historia, quem alioqui inuictum vna mulier, quam deperibat, emolliuit, & tanquam pecudem citra vim ac repugnãtiam in manus hostium tradidit.

Samson.

Lucius Vitellius.

Signatur Lucius Vitellius, Vitellii Imperatoris pater (vt scribit Suetonius) strenuus, ingeniosus ac prudens, qui turpis & infamis libertinæ cuiusdam amore irretitus vsq; adeo fuit, vt nihil non homine indignum patraret: quippe qui inter cætera scorti vilissimi saliuã cũ melle inillitam comisceret, quo tanq̃ sumo balsamo in staurãdæ vitæ opportuno, arterias & guttur crebro, idq; publicè, ab iecto omni pudore, ad gratiam eiusdem aucupandam perfunderet.

Mirum vtiq; est vsq; adeo homines mente & oculis excæcari, vt quam incurrunt ignominiam ac infamiam, nequeant percipere, ego idcirco amorem depingi cæcum existimo. Si enim oculorum luce frueretur, suæ ipsum infamiæ puderet. At eiusmodi venerei ac lasciui homines oculorum lumine perstricti sunt, quod citatum modo exemplum satis ostendit.

Qualis porro iste sit amor, docere nos voluit Æsopus inquãdam suarũ fabularũ, cũ dicit, omnes animi affectiones ac perturbationes ad effingendũ formandũq; amorẽ cõcurrere. Irã nẽpe, metũ, tristitiã, gaudiũ, mãsuetudinẽ, acerbitatẽ, æmulationẽ, diffidentiã, & demũ reliquas õnes, inter quas pudor vnus & verecũdia desiderantur.

Repetamus cursum nostrum doceamusq; ingenti illo amore instar pecudũ homines hebetari, nec solũ molles ac effæminatos fieri, q illis adhærẽt, at demẽtiores õnibus õnino lymphaticis reddi, vt sẽpè etiã sese p̃cipites agãt, ac crudelẽ vitæ suę lanienã exerceãt. Huius generis mõstra fuerũt Phillis, Iphis, Hæmon, Sappho, Biblis, Calluce, Phædra, Timagoras, Zidica, quibus mors à seipsis illata, quod insultus tantæ perturbationis ferre non possent. Hisce nonnulla etiam, quæ nostris temporibus euenerunt, exempla apponemus.

Galeazius Mãtuæ Dux.

Galeazius Mãtuæ Dux Patauii degens, iussus à puella, q̃ deperibat, vt sese influuiũ p̃fundũ & ingentẽ cõiiceret, admissis statim generoso

neroso equo calcarib⁹, se influmẽ p̃cipitẽ dedit, vt illi morẽ gereret, posito õni mortis terrore, cũ tamẽ vel sola facti recordatio, lectioq; sanæ mentis hominẽ percellat, & in quendã veluti horrorẽ cõiiciat.

Aliis porro huiusmodi amore captis vel sola amasiarum iactura vel absentia mortem statim præ desiderio intulit.

Simile q̃d nobis exemplũ suppeditat nobilis q̃dã Gallus iuvenis, nõ minus strenuus, q̃ õnibus gratus, ex familia Alegriorũ oriũdus, q̃ cũ ingẽti amore Mantuani Ducis filiã ꝓsequeret, ab eadẽq; vicissim coleretur, cumq; ei forte veneno infectum pomum ac deleterium, q̃ in sui perniciẽ inscius ab alio acceperat, obtulisset, & ex eius vsu extremos illam ducere spiritus animaduertisset, deprecatus primo culpã extremo animi dolore perculsus, in sinu eius nõ sine suspiriis ac lachrymis animam prior exhalauit; quem statim illa secuta est comes. Hinc quam potens sit amoris vis liquet, qui omnem napellum, arsenicale venenum, & quoduis aliud deleterium, quo potuit pomũ intoxicari, noxæ promptitudine, & exitii celeritate superet.

Nobilis iuuenis Gallus amore periit.

Aliã historiam amoris impetũ mirificè referentẽ petere licet ex Euryalo quodã equestris ordinis, & comite Sigismundi Imperatoris Augustano, & Lucretia Sienensi puella ab eodem adamata: quorũ ardor & flãma pauco temporis curriculo vsq; adeo increuit: vt cum Euryalo, discedente Imperatore, abeundũ esset, discessumq; sui Euryali & longũ vale ferre nõ posset Lucretia, ex desiderii vehemẽtia, repentina morte paucas post horas concidit. Cuius mortẽ cum audisset Euryalus eundẽ vitæ exitũ subiisset, ni recreatione amicorũ, & salutaribus cohortationibus fuisset restitutus. Nec tamen per totam vitam deinceps mærorem illum excutere, vel vlla animi hilaritate, at ne risu quidem oblectari potuit.

Historia de insigni amoris vi cuiusdam Euryali alicrumq;.

An. Sylv.

Quin & prodigiosi huiusce amoris effectus eo vsq; prouecti sunt, vt non tantum amatarum mulierum illecebræ excæcent, & homines sibi addictos intellectus luce priuent, ac poculis amatoriis eosdem fortius pellicere, ac prorsus subigere sibi studeant, quod si secus contingat, insanæ illæ mulieres prorsus contabescunt, aut furiis agitatæ vitam sibimet eripiunt.

Caligula vsq; adeo ab vxore sua Cesonia amatorio poculo infectus est, vt nullã postea, nec animi, nec corporis sanitatem sit consecutus

cutus Cornelius Gallus, tempore Augusti Ægypti præfectus, simili potu furiosus redditus, ac prorsus mente priuatus est, vt testatur Eusebius in suis Chronicis.

Idem scribit de Lucretio Poeta, quem ex simili poculo ab vxore Lucilla propinato (vt nonnulli volunt) tantis furiis agitatum fuisse dicit, vt tandē suis ipsius manibus sibi mortē consciuerit.

Hieron. in Ruf finum. Idem exantiquissimis & præcipuis Doctoribus quidam his verbis confirmat. Liuia, inquit, virum suum interfecit, quem nimis odit: Lucilla suum quem nimis amauit. Illa sponte miscuit aconitum: Lucilla decepta furorem propinauit pro amoris poculo. De eodem quoq; extat illud Politiani in Nutritiis.

Hic, qui philtra bibit, nimioq; insanus amore,
Mox ferro occubuit, sic mentem amiserat omnem.

Sunt, qui scribunt inter præcipua amatoriorum poculorum pharmaca Hippomanes recenseri. Vtvt sit, nihil moror, hoc tantum adiiciam, eiusmodi pocula ad illiciendum amorem spectantia planè esse Diabolica, ac nomine Christiano indignos esse habendos, qui iis abutuntur.

At scelerati quidam sunt alii, qui longius progrediuntur, quos certum est intoxicatis annulis, aliisque id genus artificiis, quas depereunt, sibi irretire, vt omnem illis pristinam libertatem prorsus eripiant, easque sibi velut mancipia deuinciant.

Quæ quidem ὡς ἀδύνατα existimarem, nisi frequentior vinciendæ ligæ, siue ligandorum ac eneruandorum genitalium abusus certis quibusdam incantatoriis vocibus insusurratis, satis superq; horum scelerum fidem faceret. Accedit huc veterum authoritas, qui subindē scriptis suis amatoriorum poculorum, philtrorum, annulorum, characterum, imaginū corearū, & similiū, mentionē faciūt.

Quid enim aliud Pharmaceutria Theocriti & Vergilii per hos intendit versus.

Limus vt hic durescit, & hac vt cera liquescit
Vno & eodem igni, sic noster Daphnis amore.

Quidue Dipsas illa Ouidiana hoc Districho.

Deuovet absentes, simulachraq; cerea fingit:
Et miserum tenues in iecur vrget acus.

Quid

Quid deniq; Canidia Horatii, poculum Circes, Alinus aureus Apuleii, aliud, quam mera philtra & incantamenta amatoria innuunt? Græcis enim & Latinis his nihil olim fuit familiarius, nihil solemnius. Sed authorem horum Diabolum esse quis non videt? Merito igitur ex Iurisconsultorum, tam priscorum, quam recentiorum sententia, grauia in eos decreta sunt supplicia, quicunq; his poculis & philtris, in amore potiundo, scelerate vtantur.

Hæc insuper confirmant quidam ex Ecclesiasticis Doctoribus, inter quos est Nicephorus lib. 5. c. 27. de Amoribus. Cypriani ad huc Ethnici & S. Iustinæ Christianæ: Et Epiphanius de Gnosticis, qui primi hæretici publicis scholis magiam, & artem sortilegiorum ad amorem conciliandum, professi sunt. *Historia Cypriani & S. Iustinæ.*

Deniq;, vt quæ à nobis hac de re dicta sunt, luculentius declarentur, historiam recensebimus mulieris istius tantopere à Carolo Magno adamatæ, cuius etsi vita defunctæ longo post tempore fætidum cadauer Imperatoris cubiculum vsque adeo inficeret, vt nemo fætorem sustineret: vnus tamen Imperator non tantum non exosus est, sed tanquam suauissimum odorem violæ Cypriæ, aut rosæ Maio mense florem explicantis odoratissimum retinuit. At primores Imperatorii senatus, cum apud Imperatorem nihil promouere possent, vt studium illius ab hoc cadauere auocarent, cogitarunt id citra incantationem & veneficium fieri non posse, atque id circo huiusce sortilegii causam perquisitam, quam tandem compererunt in annulo aureo sitam, ori incantatricis istius impositio, vt sibi post obitum etiam Imperatorem deuinciret. Quo in ore eius deprehenso & amoto, desiit repente sortilegium, ita vt domum liber Imperator, & ad sanam mentem reuocatus, vbi cubiculum suum ingressus est, nedum obturatis etiam naribus tam terrum putridi cadaveris fœtorem pateretur, quinimo statim pedem reuocauit, magnoque clamore cadauer illud asportari illico demandarit. Quid porro huius annuli asseruatori postea contigerit, quandiu ipsum retinuit, & donec eo loco abdidit, vbi reperiri non posset, vt hoc fascino plenè Imperator liberaretur, ex historia ipsa disci potest. *Carolus Magnus amore essascinatus.*

Præter

Præter autem eiusmodi incãtationes, veneficia, manias, furores, stupores & amentias, quas perturbatio isthæc vel præclarioribus animis, sanioribus ac constantioribus inducit, quibus præterea, Deus bone! ægritudinibus, iisq; grauissimis, quarum causæ abditæ sunt, corpus conflictatur, ad quas propulsandas celeberrimus ac prudentissimus Medicus, vtiq; inprimis necessarius est.

Quot puellæ mulieres, adolescentes, viri maturæ ætatis, senes, plebeii, nobiles, humiles, potentes (cum cæcus amor nullius conditionis aut ordinis hominum rationem habeat) hac tyrannica crudeliq; e seruitute, cum animo, tum corpore contorquentur, omni quiete spoliantur, prostratum habent edendi bibendique appetitum palleſcunt, emaciantur, contabescunt, ac præ deliquiis ac virium prostratione quasi morbi alicuius grauitate oppressi, perpetuo decumbere cogantur. In horum curam si accersantur Medici, ii ex pulsu frequentiore, vrinarum rubore, perpetuisq; vigiliis, & animi anxietate aliisq; signis cõmemoratis, statim iudicabunt morbum vel cachexiam esse, aut lentam aliquã ægritudinem, symptomatibus, prædictis consentaneam: hinc hæc vel illa remedia præscribent, sanguinis missionem imperabunt, benignam aliquã purgationem aut vehementiorem præcipient: vsum lactis suo tempore, & dulcia balnea administrabunt: nec omittent revulsiones, deriuationes; sectiones venæ saphenæ in puellis suos menses nondum emittentibus, aut iam supressos habentibus; condita cordiaca ac obstructiones reserantia, nec non optimam viuendi rationem præscribent. Sed frustra hæc omnia, cum spiritualis morbus corporeis auxiliis non iuuetur. Hic Medici scientia, industria, experientiaq; requiritur; hic certa cognitio causarum morbi desideratur.

Summa Hippocratis prudentia ac solertia.

Id ipsum sua ætate venerandus ille Medicorum Coryphæus Hippocrates prudentissimè ac solertissimè assecutus est, cuius scientia ac fama per totam Græciam diffusa Perdiccæ Macedonum Regi inprimis innotuit: à quo Chronico & graui morbo detento tandem in auxilium euocatus est. Is vero cum ad Regem, vna cum Euriphonte socio natu maiore perveniſſet, & morbi regii naturam accuratè esset rimatus, certissimis signis deprehendit, morbum esse spiritualẽ, non corporeum, eumq; ex perturbatio-

turbatione aliqua animi foueri. Ex debili enim & languido eius pulsu, ad aspectum cuiusdam Philæ patris concubinæ sese prodeunte, quam amore occulto deperibat Perdiccas, cuius tamen non audebat flammam aut indicium aperte, radicem morbi, quo sensim indies conficiebatur, agnouit, agnitaque pari industria curationem adhibuit Hippocrates: is quidem Philæ affectus causam explicauit, monuitque, vt Regem seruaret, suauibus Perdiccæ oculis, & familiaribus colloquiis adblandiretur, & animum illius recrearet: ex quo factum est, vt pristinæ mox valetudini sit restitutus. *Suran. in vita Perdiccæ.*

Aliud subsequitur exemplum priori haud dissimile Antiochi Stratonicis amatoris, qui quod improbis facibus arderet, impium pectoris vulnus ita contegebat præ dissimulatione, vt pater Seleucus mærore prostratus, de solo vnici filii obitu cogitaret. Hanc tamen desperationis nebulam Erasistratus Medicus sua discussit prouidentia. Cum enim iuxta Antiochum sederet, & eum ad Stratonicis ingressum & regressum varios animi & corporis motus subire animaduerteret, morbum illico deprehendit, & patri exposuit, qui charissimam sibi coniugem filio cedere non dubitauit. Magna certe fuit illustrium horum Medicorum in curandis istis principibus solertia & ingenium, licet turpissimo morbo turpissimum quoque remedium, scortationem nimirum & incestum in medicamentum præscriberent. Verum Ethnicorum Medicorum fuerunt hæc præsidia, quæ à Christianis prorsus reiicienda sunt, aliaque æquiora eiusmodi malis citra maiestatis diuinæ offendiculum perueſtiganda ac administranda sunt. Quæ quidem abunde suppetunt, tamque salutaria opportunaque huic malo, vt ægri potius, quã Medici culpa, curationem perturbet. *Erasistrati prudentia Plutarch. in vita Demetrii.*

Primum autem vniuersaleque remedium, quod in hac affectione, aliisque id genus morbis præferendum est, & præscribendum, auxilium est diuinum à Deo tanquam supremo Medico exorandum: cuius potentiæ, gratiæ, & benedictioni, quiuis Medicus, seque suaque remedia committere debet, à quo vires suas mutuetur. Præterea facinoris indignitas apud eos, qui turpibus ac violentis affectibus rapiuntur, insaniaque mentis audacter exaggeranda & oculis subiicienda est, vt morbi periculum ad *Remedium optimum ad affectiones animi.*

mortem inclinantis apprehendant, ac iudicia Dei acerba in se reformident, cælesti beatitudine in æternum carituri. Atq; sic veri ac fidelis Medici fungitur officio ille, qui in grauibus eiusmodi morbis, periculosos ac infelices eorum exitus libera prædictione ægris exponit. Vnde sæpe accidit, vt ægre, periculi metu proposito, sibi melius consulant, Medici monitis ac præceptis alacrius obtemperent, felicemq; morbi euentum experiantur.

Huius vniuersalis remedii, plane diuini, pharmaca è cœlo nascuntur, soluſque Deus ea suggerit administratque, suaq; benedictione & gratia beat, si precibus ab eodem efflagitentur.

Particularia porro sunt alia remedia, quæ ex Medici scientia pendent, tanquam Dei in hoc negotio ad restituendos ægros ministri ac famulantis.

Inter alia priuata auxilia norma est viuendi, à qua in omni alio morbo etiam Medici suas curationes solent auspicari, vtpote quod supremum sit malorum remedium. Quæ vero omnium sit in hac affectionis violentia, congruentissima ac tutissima diæta, Pythagoricam vtique censeo, siue parcam & sobriam: aut eam, quæ à Lycurgo arcta & laudabilis Lacedæmoniis instituta est, quam sobrietatis scholam vulgo in Græcia vocabant. Imperandum est igitur illis in condimentum aut restauratiuum iusculum illius gentis nigrum, quo Reges ipsi, in gratissimi saporis ferculum, & tanquam delicatissimo vtebantur: sed non nisi fame prius, ex laboriosa exercitatione corporis obsonata, citra quam ingratissimus erat cibus, & plane nauseabundus, cuius rei testis est Dionysius Tyrannus.

Schola sobrietatis.
Iusculum nigrum Regum Spartanorum.

Optimum enim condimentum est fames. Aut præscribenda est illis vulgaris illa captiuorum, qui non sunt soluendo, diæta quæ pane & aqua parcissimis constat. De qua vt querantur, nullo iure fieri potest, cum vel hoc victus genere Imperator ille Cyrus, nullo modo ad id adactus, contentus degeret. Interrogatus enim semel à quodam ex suis domesticis, quid sibi in cænam parari vellet, nihil præter panem, inquit, mox enim ad fontem cænabimus.

Optimum condimentum.
Xenophon in cyropæd.

Hæc igitur viuendi ratio perparca & sobria, mirum in modum

dum huic perturbationi animi conducit. Sine Cerere enim & Baccho friget Venus, ad quam exercendam proni sunt, qui otio torpent, vnde illud,

Quæritur Aegisthus quare sit factus adulter
In promptu causa est, desidiosus erat.

Hæc, inquam, arcta abstinentia, (famis germana comes) quam amantibus imperamus, ex formulis remediorum Cratetis Thebani petita est. Eam enim illis indicebat, qui hoc morbi genere torquerentur. Tria quippe proponebat, vt potissima & suprema, in huius mali curationem: λιμὸν, χρόνον, βρόχον, famem, tempus, & laqueum. *Laertius lib. 6. c. 5.*

Nam cum luxus sit præcipuum amoris alimentum, huic medetur fames & abstinentia. Sin aliter, tempus omnia tollens, aut certe mitigans, illum leuat. Quæ si nihil prodessent Ethnici istius damnanda sententia supererat, laqueus, vt morbus extremo remedio finiretur. *Tria amoris remedia.*

Restat adhuc particulare quoddam & vltimum huiusce perturbationis remedium, vt eiusmodi ægri exemplis doceantur, quibus infelici aliorum exitu proposito, dedecus & mentis perturbationem vitare discant. Magnopere enim exempla aliorum nos mouent, vt merito dicatur à Poeta,

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Quod si hæc carent aculeis remedia, alia via suppetit, vt exponamus torsiones, dolores, putredinem, fætorem, luem veneream, cancros, vultum ac totum corpus virore suo depascentes, & id genus alia symptomata, quæ sine funere perpetuum funus indies minantur, ac cruciatus inauditos ipsa morte ferociores eiusmodi ægris pariunt.

Denique proponenda sunt eis horror, turpitudo, infamia, dedecus ex tam fætido nascentia affectu, nihilque præter miserandum ac calamitosum statum eiusmodi hominibus promittentia: quidquid sibi speciosum & delectabile singuli imaginentur.

Non alienum fuerit ab hoc proposito, duo præclara experimenta & curationes, in gratiam quorundam amore insano perditorum excogitata, hoc loco breuiter perstringere.

Hypatiæ exemplum.

Prius est Hypatiæ Heroina, quæ præter corporis insignem pulchritudinem tantis animi & ingenii dotibus ornabatur, vt eruditione ac doctrina præclara sui seculi ingenia superaret, publiceque docendo magnam famam consequeretur. Ea cum à quodam discipulo perdite adamaretur, eiusque cruciatus agnosceret, nolletque (ne in desperationem iuuenis incideret) acrius reluctari, & postulata acerbius repellere, excogitauit lene congruumque remedium, quo illum à suo fascino liberaret: Siquidem cum eum agnosceret alias prudentem, & rationi facile morem gerentem, hoc artificio vsa est, vt linteamina multa congesta, menstruis & sanie sordidata illi exhiberet: nec non sublata veste, pudenda tota sanguine madentia oculis eius subiiceret, quo turpitudinem ac fœditatem rei tantopere amatæ auersaretur suique ipsius puderet. Adiecit simul hæc verba: Istud quidem adamas Adolescens; nihil autem pulchrum. Hinc factum, vt præ pudore indecoræ demonstrationis ille erubuerit, flammasque remiserit, ac modestior deinceps factus fuerit.

Suidas.

Raimundi Lulli exemplum.

Posterius est Raimundi Lulli, qui cum adamaret elegantem mulierem, eiusque amoris fructum decerpere magna importunitate contenderet, diem habuisse ab ea dictum commemoratur, qua ipsam adiret. Accessit Lullius, cui illa cum sinistram mammam explicasset, & fœdissimum vlcus cancrosum palam exhibuisset, à quo propemodum tota pars illa depasta erat: hoc tam turpi & abominando spectaculo territus Lullus, præsens suæ insaniæ remedium expertus est. Hac enim ratione factum, vt impudicus illius amor, in castam amicitiam transierit, studiumque suum totum in curationem vlceris Christiana charitate ductus contulerit. Hinc occasionem captauit peregrinandi, cum magnis ac doctis viris versandi, ac Philosophiæ Chymicæ sedulam operam nauandi, vt medicinam vniuersalem inuestigaret, quam consecutus mulierem illam integræ valetudini restituit.

Tempus est, vt huic venereæ perturbationi finem imponamus, de cuius natura, origine & causis, cum internis tum externis, iisque, quæ ad curationem eiusdem pertinent, fuse satis disseruimus.

Verum

Verum antequam finem attingamus, monebimus, nos hanc effrænem libidinem iampridem ad viuum expressisse in Doricis nostris cantionibus, vbi veri sanctique amoris discrimen ab adulterino fœdoque ostendimus.

Expressi adhuc accuratius hunc ipsum amorem, imo furorem, primo magni speculi mundi à me editi libro, per hanc antithesin, quod Deus sit benignus, mansuetus & amoris plenus, vbi amorem Deo proprium & genuinum, qui vnus, verus & rectus est amor, à nostro segrego, qui nullo moderamine fertur, in obiectum concupiscentiæ, mutationum momenta & interualla, contrariosque motus ac discordes semper subiens, nulla certitudine ac constantia veræ charitatis nixus, cum vnum & idem in Deo sint amor, constantia amoris, & charitas, vt dilucide paucis versibus perscripsi. Nostri est igitur officii petere à Deo, vt vera ipsius charitatis erga nos cognitione imbuamur, dictoque amore ad ipsam totis animæ viribus feramur, vt Deum perinde amemus, prout ab illo vicissim diligimur. Quod potissimum est aduersus effrænem hanc affectionem remedium: Nunc de Ira.

Inter morales Philosophos, qui animæ affectiones descripserunt, non infimo loco Seneca & Plutarchus annumerantur. Qui quidem vterque videtur de industria recreasse ac laxasse animum in describenda & ad viuum efformanda ira, vt ex eius genuinis lineamentis hanc tam portentosam belluam omnes detestentur, quæ cornibus, dentibus, angulis, aspectu truculento, & immani ferocia, minax & terribilis est. *Ira.*

Nobis igitur illi animæ iram repræsentant, tanquam alteram Megæram furiosissimam, truculentissimam, audacissimam, crudelissimam, ac summe omnibus terribilem, radices in se & scaturigines seditionum omnium, turbarum ac tumultuum continentem, litium, bellorum, homicidiorum, excidiorum, euersionum, ac omnium malorum abyssum; tempestatem, diluuium, ignem, machinam, tonitru ac pestem, inundantem, submergentem, arentem, diruentem, fulminantem, inficientem, occidentem, ac omnia euertentem: homines, quos inuasit, ad omne sceleris genus præcipites agentem, è qua innumera alia stupendaque, tum in corpore, tum

spiritu contrahuntur. Denique scelerata illa eo vsque improbitatis & nefandæ malitiæ procedit contagio, vt non tantum illos in belluas & tigrides immanissimas, sed in dæmonas quodammodo transmutet.

Hic effecta tigridis istius siue calamitates, quas hæc furia in orbem immittit, non est nostri instituti sigillatim explicare, satis est quod in genere proprietates eius idque paucis & obiter attigerimus. Quæ tamen illa homini procreet incommoda, quod in illum ius & imperium habeat, quosque effectus progeneret, paulo latius explicabimus, vt inuestigatis causis, effectis, vt par est, medeamur, prout præcipuæ nostri officii partes postulant.

Atque vt in primis hanc tam effrenem & teterrimam belluam suis delineamentis, tam intus, quam in cute depingamus, irati incompositum incessum & actiones obseruemus. En quanto fastu, & quam truci ore superbaque corporis agitatione, modo huc, modo illuc voluitur, ac circumfertur, quam varie modo erubescit, modo pallescit: cubitis quicquid occurrit hinc inde propulsat atque disiicit! En vt à sua ipsius vmbra etiam exacuitur, quam ferre nequit placide: vt voce tremula: modo alta, modo depressa ad bilis agitatæ modum aut quietem intonat! En vt labia commordeat, pectus pugnis verberet, crines indignabundus vellicet, in quos citra rationem inuolat, instar canis in lapidem ruentis, quo ictus est! Si acrius ac propius ira percitum intueri voles, & os eius circumspicere, in quibus omnes iræ proprietates tanquam in speculo elucescunt, omnis perturbationum generis notas in illo sæuire videas: vt rubore & ferocia scintillet, vt ruffis maculis leopardi instar vbique scateat: vt igneis tedis micantes oculi truculentiam minentur, vt capilli colore bouini in Maurorum speciem arrigantur & crispentur. Denique in ea sæua perturbatione animi nihil non horrendum & monstrosum cernere licet. Ac forma illius, quam descripsimus, primis iræ motibus tantum congruit, videturque suauis ac benigna, si cum paroxysmo illius impetuque comparetur.

Tunc enim illa infernalis Megæra, vinculis solutis rabiem totam exerit, non vno flagello simplici contenta, sed cruenta tu-

tumentem vna, incensam tedam altera manu intentat, illius brachia reducta veste, nil nisi cædes & sanguinem minantur: apertum pectus fastuose explicat: auras ictibus quasi serio prælians diuerberat, modo huc, modo illuc circumagitur, quin & horrenda voce, ad arma & cædes, ad sanguinem & ignes furiis omnibus agitatur, ac ferro ignique se vastaturam omnia comminatur, vsque adeo insolens illa rabies, omnibus modis truculentam & atrocem belluam refert.

Zelus seu æmulatio omnes in officio continendi.

Altera est iræ species superiori prorsus opposita, quæ laudabilis ac iusta dici potest, ardentissima videlicet æmulatio, Zelus, aut feruens studium omnes in officio continendi, & in gyrum rationis reuocandi, qualis est acerba reprehensio & minæ, quibus pastores gregem suum territant, vt in officio erga Deum ipsum contineant, aut lapsum & deuium erigant, ac in rectam viam reducant.

Sic pater iusta commotione fertur in pertinacem filium, qui à vero tramite digreditur, dum peruicaciam eius castigat. Sic Dominus seruum, & præceptor discipulum stomachose increpant.

Hac ira Philosophus ille corripiebatur, qui cum in peccantem seruum excandesceret, moderamine & fræno suum furorem coercuit his verbis: Ni, inquit, iratus essem, multis plagis vapularet.

Est & tertia iræ species, quæ intermedia est, vera animi affectio, passioque, quæ simul cum spiritu corpus diuexat, & variis modis conturbat.

Ira duæ species.

Huius duæ traduntur species, quarum altera nihil putidi perferens, statim erumpit, & virus conceptum euomit, vtcunque in iis laudabilis, qui fætidas aquas corde includi & foueri diutius damnant.

Altera simulata est & ficta, quam longo tempore clam asseruari posse aiunt: interim tamen, quæ instar ignis cineribus sepulti se habet, quibus fouetur ac conseruatur sine vllo interitu, aut imminutione.

Etsi autem irarum hæ species inter se differre videantur, idq; subiecti ratione, vanum temperamentum subeuntis, vt in melancholi-

cholico alia sit iræ species, in phlegmatico & pituitoso alia, alia in bilioso temperamento: Harum tamen aliæ semper violentius animum perturbant, aliæ lenius, vt dictum est. Hæc voratilem ignem & Persicum repræsentat, illa occulti cancri clam & sensim rodentis speciem exhibet, cuius idcirco cura difficillima est.

Iræ vlciscendi instrumenta.

Hanc vtramque speciem priuatim tractandam suscepimus, vtpote quæ veræ animi affectiones & ægritudines sint, à quibus corporis nostri functiones lædunturac deprauantur, variaque morborum ac symptomatum genera procreantur, in quibus curandis apprime Medici opera desideratur, ac necessaria est. Duobus autem vtraque instrumentis vtitur, manu & lingua: Siquidem præterquam, quod animus desiderio nocendi exardescit, manus atrociter, non auras tantum diuerberant, sed quemlibet occurrentem feriunt, & propulsant, famam & nomen scriptis proscindunt, ac omne conuitiorum genus infesto calamo congerunt, vt aculeos iratæ pennæ vel remotissimi quique persentiant, & ferre cogantur.

Lingua vitium.

Lingua non minus periculosa & acerba, imo manu ipsa acerbior, omne veneni genus clam exerit, quod vix vitare quis possit, cum occulta sint vulnera, nec facile perspicua, à quibus cauere possit. Cuius ictus si minus aperte corpus feriunt, lethalia tamen vulnera animo infligunt, conuitiis, maledictis & horrendis execrationibus ipsum obruentes, vt iure parœmia inde nata sit, nocentius esse linguæ, quam lanceæ vulnus. Ea enim si conuitiando, detrectando ac maledicendo incumbat, tum præsertim, cum bilis efferuescit, tonantiorem vocem reddit, quam Colonienſis illius primarii & cathedralis templi organicæ fistulæ emittunt, follibus concitatæ, etsi ad earum sonum aures obsurdescant audientium. Morales Philosophi (inter alios Plutarchus & Seneca) satis superque docent exemplis, quam varia & infinita mala ex linguæ procacitate, & effræni licentia irati & furibundi hominis oriantur, sicut ex aduerso summam virtutem ad societatem hominum tuendam in silentio & taciturnitate collocant, vt scilicet longa sit aurium attentio, breuis linguæ responsio: sicque nihil vel pauca respondeantur.

Hæc igitur duo præcipua iræ instrumenta manus nempe & lingua,

lingua, nisi fræno & moderamine aliquo retineantur, iratum hominem & furibundum in grauissimos affectus & perturbationes præcipitem agunt, quæ si, vt par est, rite gubernentur, magno sunt homini auxilio & vsui: nec minus, quam reliqua corporis membra homini opportunissima & vtilissima Hinc tritus ille versus.

Nil melius lingua, lingua nil peius eadem est.

Abst igitur vt animum perturbatum sequamur, eique obsecundemus, cum in bene composito animo se lingua canendis Dei laudibus voueat, ad quas destinata est: Manus vero iis describendis, nec non piis omnibus operibus & charitati in proximum exercendis incumbat. *Manus & lingua vtilissima hominis instrumenta.*

Præter illa duo superiora instrumenta, quibus ira in acuendis suis effectis & producendis vtitur, ac sese patefacit, alia sunt eiusdem indicia eaque feruentes motus irati hominis certo præsagientia & aperte testantia. Siquidem eiusmodi homines iracundi multo fastu turgent, multa de se sibi pollicentur, & pauonum instar, cum mira oblectatione ac superbia sese circumspiciunt, sibi nimium blandiuntur & indulgent, præcipites, acuti & subtiles sibi videntur, parum tamen firmi, vt qui facile ad leuissimum verbum, vel toruum intuitum & inopinatum, stomachentur & bilem moueant, quibus omnia displicent & fastidium mouent, ad omnemque actionem & orationem exardescunt, illis ne quidem omnes Luculli coqui gratum ferculum condirent, neminem loquentem ferunt, etsi cum ratione ad deprehendentem aut contradicentem, sese solos celebrant, reliquis omnibus abiectis, ad quamlibet auram, aut nihili rem armantur, & querelas concitant. Eorumque animus vsque adeo delicatulus, leuis, sensilis, mobilis & omnium impatiens est, vt ex solo aliorum halitu offendantur, simileque prorsus arthriticorum fiunt, qui ante chirurgi manum admotam, iam de dolore conqueri & inclamare solent. Denique nullus non iracundus insculptas fronti trium charitatum loco gerunt, impatientiam, inconstantiam, & impietatem Dyscharides Eumenidas. Qui eiusmodi comitibus stipatus incedit, nihil non impium, crudele, truculentum admittit, omnique charitate spoliatur, cumque mansuetudo, pietas, cæteræque virtutes hominem lenem, *Iracundi hominis nota.*

benignum, constantem, lepidum ac μακροθύμον reddant, contrariæ bilis & iræ affectiones hisce virtutibus ex diametro opponuntur. Vt autem impietas, & crudelitas charitati aduersatur, sic impatientia & inconstantia suos motus habent admodum feroces, vt non minus omnibus iniuriæ sint ac contumelioſæ, quam superiores. Ex hac igitur furioſæ bilis commotione, & continuis fluctibus, animus & spiritus primum agitantur, totum corpus concutitur, sanguis aliique humores incalescunt & conturbantur, ac inprimis ipsa bilis inflammatur, quæ stomachosis omnibus & iracundis imperat. Cum enim tota sit sulphurea, reliquis omnibus citius incenditur: inde ardentes nascuntur febres, & tertianæ bilioſæ, inde pleuritides, omnesque aliæ inflammationes internæ ab eodem humore à suo temperamento excidente excitantur: inde varia porro procreantur mala, cum interna, tum externa, vt cholera, seu cæliacus aut iliacus morbus, qui tanquam sumpto antimonio per interiora & superiora expurgat, vt icterus croceo colore totum corpus inficiens, vt Erysipelas, ignes persici, serpigines, & nomica vlcera externas partes corporis instar lepræ depascentia.

Iræ incommoda quot & quanta.

Hæc idcirco in medium proferimus, vt conspicuum fiat, quanta & quam varia inde in corpus mala promanent, & morbis spiritualibus nascentia, qui vt plurimum ad mortem vsque ægros suos deducunt, quod in primis in hac furibunda affectione ex sequentibus exemplis videre licet.

Nerua Imperator.

Nerua Imperator valetudinarius ac ventriculi tanta debilitate laborans, vt crebro assumptum cibum euomeret, cum semel inquendam nomine Regulum excandesceret, tantum pectoris dolorem sustinuit, vt confestim febri exitiali, deploratáque correptus sit.

Valentinianus Imperator, Cuspimianus.

Idem Valentiniano Imperatori contigit, qui cum aduersus Sarmatas nonnunquam propter Illyriæ vastationem in prætorio sæuus intremeret, & vniuersæ genti excidium rigidus minaretur, sanguine irrumpente animam exhalauit.

V Venceslaus Bohemiæ Rex.

Simile quid de Wenceslao Bohemiæ Rege historiæ suppeditant, qui ira in pocillatorem suum percitus, cum interficere eum propriis manibus suis vellet, paralysi affectus concidit, & paucis

post

post diebus vita excessit. Quod vtiq; summe mirandum est, ab vna scilicet bilioſa commotione, cuius natura feruentissima est, paralysim posse generari, cuius efficientem ac materialem causam, ad frigidam pituitam Medicorum vulgus euocat; quæ quidem causa naturæ bilis prorsus contraria est. *Cromerus, lib. 18.*

Si superent stomachosi homines, & furibundi illi Aiaces, huiusmodi exempla semper sibi animo versanda, & oculis perpetuo intuenda proponerent, vt à tam infælici exitu, & effectis crudelissimæ perturbationis sibi metuerent atque cauerent.

Sed alia præsentiora ac opportuniora habemus remedia, quæ in huius affectionis præcautionem & curationem adferemus.

Atq; vt à curatione ordiamur, primo notandum est, nequaquam spernendum esse malum, at sedulo prompteq; medicandum.

Vbi igitur vel leuissima iræ commotio percipitur, quod ex pulsus eleuatione & leuibus quibusdam feruoribus, qui temperamentum excedere, & à naturali suo statu deflectere testantur, cognosci potest, confestim, iuxta illud Poetæ,

Principiis obsta, sero medicina paratur.

Eiusmodi ignis aqua continentiæ à ratione sublimata & elambicata extinguendus est. Ad id suppetit exemplum Socratis, qui simul ac in se primos bilis istius igniculos persentiret, ad remedium conuolabat, quoque illa magis ad violentiam & acerbitatem erumperet, tanto moderatiorem, dociliorem ac pacatiorem animum, corpus sedatius ac compositius exhibebat, quod ore, oculis, gestu corporis & omnibus tranquillæ animæ notis satis superque testabatur, vt nihil deforme in ipso conspiceretur. *Summa continentia Socratis.* *Plutarch. in tractatione de ira.*

At quæret aliquis, qui in iracunda affectione aut irato homine eiusmodi sedatiuum ac illud contemperans papauer reperiatur? Si in cordis, linguæ, manuumque hortis mature transplantetur, colatur, foueatur, & sedulo educetur.

Quomodo enim transplantatione & cultu cichorea natura amara hortulani artificio edulcescunt: ita si colamus & alamus in nobis hanc contemperantiam, hoc est, si docilitati, mansuetudini, moderationi assuescamus, naturam nostram

alioqui agreſtiorem & ferociorem cicurabimus, ac ita moderabimur, vt contrarias facultates ac vires concilietacquiratque.

Vt hanc moderationem & temperantiam conſuetudineſi bi compararet Socrates, idque in omnibus affectionibus, quæ homini moleſtæ eſſe ſolent, cum acriori ſiti premebatur, non ſtatim ſe aquis ingurgitabat, ſed è puteo ipſi ſibi lente hauriebat, quas ſuperoram putei morari ac acquieſcere diu ſinebat, ne auidius quam decebat, biberet, qua ratione frænabat deſiderium, vt immoderatis cupiditatibus eluctandis ac domandis aſſueſceret, naturam dociliorem ſibi comparant, ſibique tandem imperant, conſuetudo enim (vt communi fertur prouerbio) altera eſt natura. Atq; hoc remedium ad prophylacticen huius affectionis partem pertinet & ſpectat. Hæc eadem moderatio & abſtinentia tanta cura à Platone exculta fuit, tantaſque ac firmas in eo radices egit, vt nulla iniuria, conuitiis, crudelitate, quibus à Dionyſio Tyranno olim laceſſebatur, à ſtatu rationis vnquam dimotus fuerit, aut in excandeſcentiam, iramve quantumuis leuem eruperit. Hæc eadem virtus in eodem ipſo Philoſopho confirmatur, ac teſtimonio Plutarchi declaratur. Qui de illo fidem facit in tractatu, cur diuina iuſtitia ſcelerum pœnas differat. Cum enim ipſe Plato ſemel ſeruum in culpa & graui flagitio deprehendiſſet, illico commotus & ira percitus baculum arripuit, quaſi ſeruum eo cæſurus, ſed ipſo tamen momento ſeſe continuit, nec vllum eius puniendi dedit indicium. Id cum quidam eius amicus demiraretur, qui cuncta peruiderat, & ſciſcitaretur cur baculum apprehendiſſet? Reſpondit Plato, ad iram propriam coercendam, quę extra rationis limites euagabatur, id eſſe à ſe factum.

Moderationis exẽplum in Platone.

Eadem manſuetudo diuturna conſuetudine à nobis comparata, certiſſimum nobis præbet in huiuſce perturbationis præcautionem, auxilium, prout experientia veteres illi Philoſophi didicerunt: & certam nobis huius rei fidem fecerunt, ſuo exemplo docentes, quosvis iracundos iiſdem aut ſimilibus in curationem ſui mali vti poſſe præſidiis. Trita eſt vulgariſque illa Medicorum ſententia, extremis morbis, extrema eſſe adhibenda remedia. Huic igitur morbo inter alios grauiſſimo, iræ nempe & furioſo affectui, extremum

tremum hoc oppono, nouum tamen ac præsens remedium, Patientiam videlicet, quæ sit illius affectionis specifica theriacalis aqua, quæque à tam lethifero veneno mortales eripiat liberetque. *Iræ remedium patientia.*

Eadem patientia cordis nostri probitatem ac integritatem aperte testatur, monetamque nostram nequaquam esse adulterinam indicat, dum circa immunitionem aut immutationẽ sui tot istius passionis, eaq; violentissima, sustinet incendia, nosq; auro in fornacibus excocto similes reddit, quo quod pluribus ignibus probatur, eo purius, nitidius ac coruscantius emicat, naturamque suam magis ac magis retinet. Sic patientia nostra, dum variis exercetur malorum procellis, constantior & robustior redditur aduersus huius perturbationis feroces motus, palmamq; victoriæ magna cum gloria ex conflictu reportat. Siquidem palmæ ipsi plane respondet, quæ quo magis premitur, eo fortius attollitur, aut tympanum imitamur, quod fortioribus baculi ictibus percussum resonantius auditur.

Sed huius porro patientiæ ab Ethnicis ipsis excultæ elegantes effectus conspiciamus.

Aristippus Dionysii tyranni vitia semel increpans, illum in tantum bilis feruorem compulit, vt boni illius Philosophi faciem conspuere non vereretur, qui hac vera patientia instructus & probe munitus tantum abest, vt in iram proruperit, vt contra iniuriam sibi illatam ioco exceperit his verbis: Si piscatores, inquit, vt piscium lum irretiant, facile imbres aquarum perferunt, molestum mihi esse non debet, si in piscando rhombo parum humecter. *Mansuetudinis exemplum in Aristippo.* *Laertius lib. 2. in vita Aristippi.*

At ne eadem virtus aliis denegetur, & solis Philosophis asseruetur, qui omni vindictæ telo carebant, fuerunt & magni Principes non pauci, qui Philosophos imitati sunt, nec mediocri modestia & patientia armati fuerunt. In his prælucet Antigonus, qui cum tempore hyberno castra transtulisset in locum, vbi non esset rerum necessariarum copia, atque hac de causa milites quidam in Regem maledicta congererent, ignari ipsum esse in proximo, virga tentorii vela diduxit. Flebitis, inquit, ni longius semoti de me mala loquamini. Quid hac facetia clementius, aut quid hac clementia facetius. Simulabat se non indignari, quod male de ipso loquerentur, sed quod tam vicini, vt exaudiri possent ab eo, cui maledicebant. *Modestia Antigoni. Plutarch.*

Idem Rex cum nocte quadam quosdam è militibus suis audisset omnia mala ipsi imprecantes, à quo in iter præceps & inexplicabile lutum inducti fuissent; accessit ad eos, qui maxime laborabant, eosque inscios, à quo adiuuarentur, explicuisset: Nunc, inquit, maledicite Antigono; cuius vitio in has miserias incidistis, sed ei bene optate, qui vos ex ea voragine eduxit.

Cæl. lib. 21. c. 28.

Hanc ille solam vltionem repetiit ab interioribus, quos extremis poterat merito suppliciis afficere, vnde magna eius eluceſcit patientia, clementia, ac μακροθυμία, magnitudoque animi.

Quid porro de tam insigni patientiæ & clementiæ virtute commemorabimus, qua Philosophus Macedonum Rex fortiter aduersus multas grauissimas iniurias, conuitia & calumnias præualuisse dicitur, quas mirum in modum patienter ac constanter pertulit, variis in locis & temporibus, vt historiæ ipsæ testantur. Luculentum huiusce veritatis testimonium fortassis requirimus? Peloponnenses, qui multa magnaq; beneficia à Rege Macedonum Philippo acceperant, nihilominus dicteriis illum in Olympicis ludis prosciderant, & acriter in suis tragœdiis confoderant. Philippus re cognita, cum à quodam ex suis aulicis ad pœnas exigendas incitaretur, hoc consilium reiecit, & hæc verba addidit, Si tam prauo homines isti sunt ingenio, vt eos irrideant, qui de ipsis bene merentur, quid tum fit, si quid mali ab iisdem accipiant? Sic Rex patientissimus ac clementissimus prudens iniit consilium, cæteroſque docuit maledicos non esse prouocandos, ne forte magis maledicant.

Plutarch. in Apophtheg.

Philippi Regis Macedonum clementia.

At quis non mirabitur simile eiusdem Regis responsum datum cuidam è suis aulicis Smicytho, Nicanorem vtique de Regia maiestate detrahentem ac calumniantem accusanti: Nicanor, inquit, Rex, non habetur inter Macedoniæ pessimos: Expendendum est igitur, num mea sit culpa, nec ne: Expendit Philippus negotium & animaduertit illum summa obrui inopia, spretumque ac obliuioni traditum, licet egregiam in bellis ante nauasset operam: iussit ergo ad eum splendidum munus comportari. Vnde nactus occasionem Nicanor, mutata sententia, Regis laudes vbique suis præconiis celebrauit. Hanc repentinam prædicationem idem Smicythus cum

cum ad Regem detuliſſet, hoc alterum reſponſum clementiſſimum accepit: Nunquid vides, (inquit Rex) in nobis eſſe ſitum vt bene aut male audiamus? Quo ſatis dicto declarauit, Regum & primatum beneficiis omnes homines ad benedicendum de ipſis obligari, & contra iniuriis ad detrahendum prouocari.

Simile quid legimus de huiuſdem Regis erga Arcadem clementia, qui de illo vbique detrahebat, quem cum Rex ſemel excepiſſet clementius, & blandis verbis eum compellaſſet, additis ſimul exquiſitis muneribus, Arcadem habuit ſuarum laudum per totam Græciam promptiſſimum & ſtudioſiſſimum præconem. Qua in re Rex & patientiam inſignem, & admirandam clementiam omnibus patefecit, ſimulque peſſimos Arcadis mores hoc artificio correxit, qui ſcelere ſuo mortem promeruerat. Hac patientia & clementia doctiorem ſe Medicum præſtitit, & ſalubriorem iis, qui capitis pœna hominem mulctandum, & de medio tollendum cenſuerant. *Plutarch. in tractat. de ira.*

Cæteris tamen præſtat illud, quod de eodem Rege apud Antiquos legitur, quo ſingularem ſuam in Democharem declarauit manſuetudinem, qui ob nimiam linguæ procacitatem cognominabatur Therſites. Is cum ex numero legatorum ab Athenienſibus, ad Philippum miſſorum eſſet, ipſique iam dimittendi à Rege audirent, ſi quid poſſet in Reipubl. Athenienſis gratiam, ſe ſtudioſe facturum, ſtatim inſulſo reſponſo, & nimiũ audaci ac temerario Regis verba excepit Demochares. Tu, inquit, Rex rem ciuitati noſtræ gratiſſimam feceris, ſi teipſum ſuſpendio præfocaris. Quod tam indignum & atrox reſponſum peſſime audiit apud cæteros legatos, qui non ſine graui murmure ac indignatione hanc contumeliam Regi factam pertulerunt. Hos tamen blandiſſime, & citra vllam commotionem Rex compellans: Nunciate, inquit, Athenienſibus, multo ſuperbiores videri, qui ob animi impotentiam eiuſmodi dicteriis & ſarcaſmis non abſtinent, quam eos, qui impune dici permittant, ac inſolentiam talem facile concoquant.

Tam illuſtribus Philippi Regis exemplis adiicietur Pericles qui cum per integrum diem ab improbo & impudente quodam calumniaretur, vſque adeo conuitiis laceſſeretur, vt ne in aperto qui- *Exemplum Patientiæ in Pericle. Plutarch.*

quidem foro vbi Pericles de rebus seriis & Rempublic. spectantibus tractabat, iniurias & calumnias aduersus eum remitteret, sed publice in eum sine fronte debaccharetur, id tamen citra omnem bilem patientissime & constantissime tulit. Deinde vero cum impurus ille & sceleratus conuitiator ipsum Periclem, sub vesperam continuis calumniis domum vsque comitaretur & deduceret, Pericles lares ingressus iussit, nocte ingruente, tædam accendi, & à seruo detrectatorem tuto ad suos reduci, tantum hic abest, vt stomachosus in illum proruperit.

Quanta hæc sit & patientia & moderatio animi, omnibus notum est. Ab historiographis Pericles tanquam clementiæ, tẽperantiæ & moderationis speculum proponitur, quod vel in ipso extremo vitæ halitu testatus est. Cum enim tunc temporis, qui ad illum accedebant amici, omnes egregia illius facta sigillatim enarrarent ac celebrarent. Obseruastis, inquit ille, totum vitæ meæ curriculum, & probe examinastis: At quod præcipuum & laudabile de quo glorior, hoc est, quod nemo atratus de me vnquam expostularit. Quibus verbis innuebat, neminem à se vnquam interfectum, cæsum vel aliquo modo læsum quem atrati amici defleuerint, quamdiu Reipubl. Athenienſis gubernacula sit moderatus: Proindeque nulla vnquam bile commotũ, in aliquem inuolasse, sed patientiam, moderationem & clementiam semper exercuisse, quæ magnum vtique Principem decent & exornant.

Has si Ethnici tam studiose virtutes excoluerunt: Nos, qui Christianorum nomen profitemur, si illorum vestigia non sequamur, & ab illis superari patiamur, quantum dedecus & ignominiam merebimur, quos deceat longe maiore in perferendis calamitatibus constantia, & in iniuriis vindicandis clementia, tanquam θεοδιδάκτους præ illis ἀθεογνωμόνεσι esse instructos atque munitos? at cum secus faciamus, in eoque gloriæ nostræ caput positum falso censeamus, vt nullam impune feramus iniuriam, vel ipsa voce tenus illatam, per cædesque mutuas credamus honorem nostrum conseruari, qualem Christianismum iactabimus, qui Ethnicarum virtutum gloria superetur.

Valerius Maximus. Plura in hanc rem à me proferentur exempla, ni præstantiores quippe

quippe historici memoriæ prodidissent, quanta Artaxerxes, Pisistratus, Leontychidas, & alii Principes in frænanda & coercenda aduersus iniurias sibi illatas ira, virtute præstiterunt. Quibus omnibus Christiana authoritate confirmatis, iterum atque iterum moueor, vt in posterum omnes malevolorum & inuidorum voces, in me oblatrantium, floccifaciam, cum præsertim illorum semper iudicauerim contemnendam maledicentiam, quod non à iudicio, sed ab animi morbo, inuidia nempe virtutis semper inimica proficiscatur. *lib. 5. c. 1. Brusonius, lib. 1. c. 16. Plutarch. in tract. de ira. Erasmus. in Apophth.*

Vltimum sequitur iræ remedium, cuius authorem & præceptorẽ laudo Athenodorũ, quod idcirco à me profertur in medium, ne quid indictum in curationem tam exitialis affectus desideretur. *Athenodori consilium Imperatori datum.*

Hoc præscripsit Philosophus ille Imperatori Augusto, cum ab eo esset discessurus ob ætatis & senii grauitatem, ad feliciter & sapienter imperii gubernacula moderanda. Tale autem fuit illud, ne quid cum ira & animi acerbitate vnquam gereret: In quam tamen si quacunque graui occasione incideret, caueret quicquam præcipere, quin prius numerum viginti quatuor literarum Græcarum digitis attente subduxisset, innuens meditanda esse otioso, nec præcipiti momento decernenda, quæ plus temeritatis, quam sapientiæ in Imperatore arguant.

Atque hoc remedium non ad latentes illas iras, inuidias & clandestina odia spectat: At biliosis & feruentibus furoribus opportunum est, qui bombardici pulueris instar vno momento incandescunt, & violentissimo impetu feriunt. Siquidem hoc temporis interuallo, quod alphabeticarum literarum enumeratio interponit, vt ad mentem redeatur, feruores eiusmodi iræ momentanei retineri ac coerceri possunt. Rationi enim conceditur tempus, quo omnia prudenter moderetur, & aqua clementiæ & temperantiæ tanquam specifico auxilio flammas illas & incensos motus extinguat atque cohibeat: Nunc de gaudio.

Quod Latini gaudium vocant, Græci χαρὰν quasi χέασ ῥέων quod hilaritate cor diffluat & dilatatis meatibus Spiritus effundat ac expiret, vnde repentina oritur sæpe numero exanimatio. Hoc quidem gaudium vel internum est nullis notis extrinsecus se prodens, *Gaudium.* *Differentia gaudii.*

& dicitur tacitum & occultum : vel externum, quod risu aut benevolo ac hilari vultu grataque ac iucunda congratulatione, testimonia de se profert.

Causa gaudii.

Nascitur autem gaudium diuersis ex causis. Aut ex commoditate & vtilitate, quæ nobis contigit, aut ex ea, quam futuram speramus, quæ proprie χαρὰ & gaudium dicitur, aut ex ea felicitate exoritur, qua fruuntur, vel quam morantur, qui nobis sunt amici quæ quidem ἐπιχαιρεκακία dicitur, id est gaudium ex rebus aliorum secundis, prout alia gaudii species est, quæ nascitur in nobis ex infaustis inimicorum successibus & infortuniis, atque hæc ἐπιχαιρεκακίας apud Græcos nomen habet.

Huius gaudii apud Suetonium leguntur affectus, quo populus Romanus audita Tiberii Neronis aliorumq; Imperatorũ morte, perfusus est, quorum tyrannidem diuturnam expertus fuerat.

Gaudium ex morte Tyrannorum.

Apud eundem scribitur, quanto gaudio senatus Romanus ex Imperatoris Domitiani cæde affectus fuerit, cuius hæc sunt verba : Senatus, inquit, adeo lætatus est, vt repleta statim curia, non temperaret, quin mortuum contumeliosissime atq; acerbissimo acclamationum genere laceraret, &c.

Quin & Cuspinianus admirandum huius speciei gaudii affectum per totam Italiam circumiacentesq; regiones diffusum describit, post interfectum in Sicilia Constantem secundum Imperatorem : Adeo extulerunt, inquit, animos lætitia, vt Italiæ Exarchus & copiarum Duces in publico gaudii, nec minimum tristitiæ signũ ostendere ausi sunt, vsq; adeo istius Imperatoris odium capitale omnibus insederat, ob spoliatam Romam, & tributum ab Italia tota exactum.

Chrysippus ob nimium gaudium mortuus est.

Huiusmodi autem affectio adeo interdum exuberat, vt vno momento hominem perimat. Cor enim violenta & subitanea dilatatione à gaudio explicatum, omnes spiritus repente exhalat, & effundit, calorumq; natiuum efflat, vnde subsequitur mors. Sic Chrysippus ridendo mortuus est, dum asinum vescentem ficubus conspiceret.

Celius. lib. 1. c. 8.

Zeuxis quoq, insignis ille pictor, qui nullam non industriam, ingenium ac artificium ad perfecte depingendam Helenæ pulchri-

tudi-

tudinem, appulerat, cum vetulæ cuiusdam deformitatem suo artificio perfecte delineasset, eamq; attente intueretur, vsq; adeo in effusum prorupisse risum legitur ob expressam γεροφικῶς anus deformitatem ac turpitudinem, vt animam ipsam inter ridendũ efflauerit.

Prioribus alia quædam subiungemus exempla eorum, qui, ꝙ prospera vsi fuerint fortuna, amicosq; habuerint & agnatos felices atque florentes, gaudio soluti è vita emigrauerint.

Sophocles insignis ille Poeta tragicus, qui toties palmam ex tragœdiis victor reportarat ex vltima sua tragœdia denuo relata victoria tanta animorum ab omnibus congratulatione ac applausu exceptus est, vt nimia lætitia diffusus spiritum momento emiserit. *Sophocles. Diodorus. Valer. Max.*

Philippides Athenienſis Comicus iam ætate prouectus, cum in Poetarum certamine præter spem vicisset, coronaq; potitus fuisset, præ nimio gaudio anima deficiens repente mortuus est. *Caelius lib. 3. c. 15.*

Eodem mortis genere, ex insolenti lætitia conflatæ, vno momento spiritibus dissiparis, quidam Anetus diem obiit extremum.

Insignem porro historiam subiiciemus de parente quodam nimia lætitia correpto, ob honores inopinatos liberis præstitos, in quorum amplexibus animam expirauit. Parenti illi nomen erat, Rhodius Diagoras, qui tres filios iuuenes habuit, bonæ omnes indolis & frugi, atq; inter alios eiusdem secũ artis facile primus. Vnus illorum pugillatum exercuit: alter Pancratiastes: tertius veroluctator. Hos eadem olympiade vidit simul triumphantes, & corona insignitos. Cum autem illi patris capiti coronas imponerent, quas adepti fuerant, & suauissime amplecterentur, præ nimio gaudio commotus pater in spectantibus singulis inter manus filiorum animam exhalauit. Eandem narrat historiam Cicero Tuscul. Vetuntamen duorum tantum filiorum coronis præcinctorum mentionem facit. Hæc proponimus exempla, vt innotescat, quantis viribus eiusmodi affectiones polleant, & ad nocendum potentes sint, cum terminos excedunt, quæ alioqui, si modum seruent, sanitati maxime conducunt: Siquidem Iouiales omnes complexiones, vt loquuntur, quales sunt lætæ & hilares inter reliquas, summe sunt salutares, alioqui vsq; adeo corpori humano exitiosæ, vt vita ipsum tandem, idq; momento spolient.

Hinc igitur monemur, vt eiusmodi affectionum alieni simus, omniaque ita temperate & moderate à Dei manibus excipiamus, vt in neutram partem excurramus, sed medium seruare perpetuo studeamus, iuxta illud:

Medium tenuere beati.

Ex his etiam à nobis propositis exemplis Medicus hunc fructum priuatim referet, vt inprimis caueat, ne nuncium quod ægris vehementius gaudium inducat, repente deferatur, sed vt singula, quæ ad hoc faciunt sigillatim & momentis distribuantur, vt motibus illius affectionis, etsi hilaris, paulatim tangatur, nec vno impetu abripiatur & soluatur. Præcipiti enim & immoderato gaudio, vt exemplis adhuc pluribus, ni breues esse vellemus, doceretur, plerosque repente concidisse & exanimatos fuisse, certo certius est: Nunc de Timore.

Timor. Inter alias animi perturbationes sæpius timor nos adoritur, aliasque affectiones vt plurimum tanquam vmbra corpus comitatur. Etenim auarum sequitur comes ille perpetuus, à quo semper egestas ac pauperies reformidatur. Ambitioni adiungitur, quæ probra & vituperia metuit. Quin & amor eo stipatur, qui nocte dieq; à re amata repulsam pati veretur, perturbatio sane cæteris pertinacior, qua vix vllus carere possit, aut eam à se auertere. Imo vero reliquis affectionibus prior: Aliæ siquidem malæ aut noxiæ esse nó possunt, nisi quatenus perstat earum causa, qua sublata, tollitur effectus. At timor citra vllam causam coniunctam sæpe nasci potest, vt qui non tantum præsentia reformidet, sed etiam futura, imo quæ nunquam forte euentura sunt, cum tremore præsagiat. Malum igitur hoc, quod opinione sola mali sæpe subit speciem, nos perpetuo lacessit, ac omni quiete non tantum nos priuat, sed vsque adeo perterret, vt nobis mentem & rationem eripiat, sensus omnes nostros implicet ac confundat, lethargicosque ac prorsus stupidos & immobiles reddat. Quinetiam metus vel minimus omni prorsus virtute & robore cor nostrum spoliat, tantoque ipsum constringit frigore, vt omnes febriles horrores ac rigores facile superet. Hinc sensim nascuntur terrores vani, vel incautus etiam ille metus, qui animos percellit, vt verissimum sit Poetæ dictum:

Vnde timor.

Pedibus timor addidit alas: Tan-

Tantaq; fit animi ex ea imaginatione perturbatio, vt ab hostibus nos sæpe opprimi, alioqui lõge dissitis aut nullis, falso nobis persuadeamus: Hinc terror ille, qui dicitur, Panicus, quo perculsus est aliquando Brennus Gallorum in Græciam traiiciendorũ ductor & Imperator. Tota hæc historia de artificio, conatuq;, quo in cõseruando suo Delphico tẽplo vsus est Dæmon impius aduersus hostiles Brenni copias, & de origine & causis ingentis illius terroris, habetur apud Iustinum sub finem 24. libri. Quin & Pausanias diserte de iisdem terroribus Panicis mentionem facit lib. 10. quibus nonnunquam & equi & homines subito, nulla apparente causa, cõsternantur & profligantur. *Terror Panicus.*

Scriptum reliquit Sigebertus, quomodo anno 900. per leporem capta sit Roma. Cum enim Arnulphi Imperatoris, à Pontifice Formoso propter seditionem ciuium euocati, milites lepusculum versus vrbem fugientem insectarentur cum clamore, Romani timore exanimati sese de muro deiecerunt, & hostibus per vastos aceruos murum ascendendi locum dederunt. *Roma per leporem capta.*

Ex quibus apparet, hos Panicos terrores fieri nulla vrgente causa, omnium prope animis vno momento consternatis. At magis particulares sunt timores, in quos facile nonnulli solent incidere, qui varias ob causas oriuntur, sæpius occultas, & quarũ nulla haberi potest cognitio. Sunt enim quidam, qui vel solo audito hostis strenuissimi nomine repente expaueſcunt, quemadmodum Iohannis Huniadis ducis apud Turcas fortissimi nomen formidabile omnibus vsq; adeo fuit, & terrificum, vt nutrices ad comprimendos infantulorum vagitus Huniadem adesse confingerent. Multos ego vidi pueros, iudicio adhuc carentes, laruatũ hominem aut nigredine infectum citra terrorem oculis sustinere nõ potuisse: imo vt coercerentur eorum eiulatus, qui verberibus compesci non poterant, audito solo horridi cuiusdam aut squallidi hominis nomine, & simulata illius appellatione, statim obmutuisse & clamores continuisse, vsq; adeo naturali imaginatione citra rationem terrores eiusmodi ab illis concipiebantur. At non solis infantibus hoc terroris genus accidit, & pueris, verum etiam magnis & præstantibus viris, nec non ipsis Philosophis Stoicis, qui inter alios temperantiæ, continentiæ, pa-

tientiæ,aliisq; id genus virtutibus incumbentibus,se ab hac perturbatione animi destitutos asserere non potuerunt. Omnibus enim cuiuscunq;ordinis,sexus, ætatis,hominibus,est adeo et communis hæc perturbatio, vt nemo se ab ea liberare possit , ne quidem constantissimi, fortissimi ac sapientissimi quique.

Plutarch. Cassandri timor Maximus vnde.

Huius rei exemplum nobis suppeditatur in vita Alexandri, in qua refertur, Cassandrum Antipatri filium,ob insidiarum suspicionem aliquando ab Alexandro male exceptum , & post Alexandri mortem in Regem Macedoniæ,totiusq; Græciæ creatum,cũ semel Delphis inambularet , & inter alias statuas simulachrum Alexandri inspiceret,tanto terrore perculsum fuisse,vt subito toto corpore contremuerit , & ad illius imaginis conspectum æstuans ægre se collegerit. Huiusmodi pauor, siue terror,non tantum accidit ex conspectu aut recordatione eorum,qui nobis infesti sunt, quos ob iniurias nobis illatas vltionem meditari suspicemur , at diuersas alias ob causas aliunde etiam irascitur. Neque enim leones, tigrides,aliaq; id genus animalia ferocia ob solum metum mortis reformidantur , etsi iustum suppeditent terroris argumentum. Nec serpentes etiam, buffones , araneæ idcirco timentur, quod venenis suis nos possint perimere, at naturæ sunt quædam & peculiares hominum proprietates, quæ ἀλλοπαθίαι dicuntur , quibus hoc vel illud citra apertam causam odimus & metuimus, etsi ab eo nihil incõmodi pati possimus. Atq; huiusmodi naturales affectiones nullam curationem sui admittunt. Memini magni cuiusdam Principis, qui me inter domesticos vsus est Medico adhuc iuuene,cuius summa erat animi fortitudo & aduersus hostes in procinctu inuicta ferocia , qui tam facile aspectu aut sensu alicuius muris in cubiculo degentis perterrebatur, vt se ipsum vix continere posset.

Memini etiam Anglum quẽdam nobilem à me cõuiuio aliquando exceptum cũ multis aliis nobilibus viris , quem videre licuit in medio prandio corpus modo huc , modo illuc agitare ac torquere, modo pallescere , modo sudores emittere , ita vt ab omnibus crederetur accumbentibus graui aliquo malo confluictari,nisi ab aliquo ex conuiuis nobilissimo viro , apud quem ille Anglus agebat, nobis narratum fuisset ,necessario in cubiculo felem adesse , cuius præsentiam simul atq; nobilis ille Anglus vel oculis, vel sensu tantum

tum perciperet, his animi motibus & perturbationibus angeretur, Cuius rei ratio alio referre non potest, quam ad Antipathias naturales, quibus mures natura feles reformidant, & oues lupos. Simile quid dici potest de occulta Antipathia, qua nonnulli homines oderunt certa quædam animalia tum syluestria, tum domestica. Hæc affectio seu perturbatio longe vlterius progreditur, siquidem alii aquas & naufragia reformidant, qui ὑδροφόβοι vocantur, alii audito tonitru mirum in modum percelluntur, qualis fuit Caligula Imperator, quem scribunt fuisse natura pertimidum, vsq; adeo, vt vel mediocri audito tonitru, formidine quateretur, & subterraneas latebras amenti similis percontaretur. *Caligula Imperator.* Noui strenuos & bellicosos milites ac duces, qui ad aspectum phlebotomię deficiebant animo, licet illi in prælio enses hostium cruore audacter inficerent, nec vlla mortis formidine tenerentur. Istud quidem timoris genus aduentitium est, & occultis quibusdam causis implicatum, aliud vero insitum & naturale, a quo vix, at ne vix quidem, homo seipsum potest temperare. Atq; id est, quod Zeno respondebat apud Laertium cuidam interroganti, cur canem sibi allatrantem timuisset? Perdifficile est, inquit, prorsus hominem exuere. Quibus verbis licet inferre, hominem nunquam esse tam fortem, quin aliquando ostendat se hominem esse, & affectibus obnoxium.

De Aristippe referunt etiam historiæ, dum naui veheretur, ob exortam subito vehementem tempestatem, quæ naufragium minaretur, timore expalluisse, quod miles quidam animaduertens ridendo dixit, illum parum Philosophice se gessisse, cum ipse nihil metueret, cui Aristippus respondit: Non eadem causa tibi atque mihi fuit metuendi: Tu pro anima nebulonis sollicitus non fuisti: Ego autem pro anima Philosophi, ex quibus intelligi potest, phantasia quidem male Stoicos Philosophos moueri potuisse tanquam homines, συνκατάθεσιν non addidisse. *Gellius lib. 19. c. 2.* *Elegans responsum Aristippi.*

Certissimum quidem est, nonnullos reperiri vsq; adeo forti, constanti ac parato animo, vt nulla ratione eiusmodi perturbationibus vincantur ac consternantur, etiamsi ex improuiso ipsis occurrant. At rara est talis constantia, & paucis familiaris: non enim omnes Fabricii sunt. Fabricius enim cum legatus esset, à Romanis *Plutarch. in vita Pyrrhi.*

manis missus ad Pyrrhum Epyrotarum Regem, tentatus est ab illo, numquid de constantia & animi fortitudine, cuius insignem apud omnes reportabat gloriam, remitteret, & ad tentationem illius cum iussisset Rex inter tapetes celari Elephantē, qui Fabricio illac transeunti immaniter arruderet, ac incautū perterreret, nullo modo terribilis illius animalis boatu atq; inopino perculsus est, imo vero cū illud de industria factum suspicaretur, sic Pyrrhum cōpellauit: Neq; aurum tuum ô Rex me heri, neq; Elephas tuus hodie perterrefecit. Atq; hæc exempla sunt notatu digniſſima, magnæq; virtutis & efficaciæ, ex quib. liquet, tanta constantia præditos occurrisse aliquando homines, & adhuc posse occurrere, vt nullo terrore correpti varias huiusmodi animi perturbationes citra molestiam perferant.

Insignis Fabricii constantia.

Restat tandem de timoribus quotidianis nulli non familiaribus, iisq; inter alios grauioribus differere, nempe de iis, qui ex ægritudinibus, & corporis animiq; affectionibus concipiuntur, vbi apertissime innotescit, hanc animi perturbationem omnium esse calidissimā & peruersissimam, cuius astutia sæpius decipimur ac incauti opprimimur. Etenim per timorem sæpe accidit, vt etsi cornucopia rerum nobis affluat, integraq; valetudine fruamur, vt tamen inopiam rerum & sanitatis iacturam temere reformidemus. Quid autē hoc est aliud, quam venturis miseriis, iisq; incertis torqueri, quiete nostra, qua recreari debemus, cum opportune occurrit, spoliari, & ante tempus diuexari? Nec id solum ab hac conflatur affectione, quin imo tyrannica ista perturbatio malum, quod bonum reuera dici meretur, nobis obiicit metuendū, bonumq; aliena mali specie laruatum nobis fugiendum repræsentat. Huius generis specimen in tribulationibus videre licet, quas velis remisq; omnes diffugiunt, & auersantur, cum tamen illæ sint nobis inprimis salutares, & ianuā beatitudinis aperiant. Etenim, vt docet Apostolus, per multas tribulationes introire necesse est in regnum cælorum. Siquidem eæ nos ad Deum cognoscendum, timendum & orandum excitant, nostrisque naturæ corruptionem oculis subiiciunt, ac mortem ex peccato ortam perpetuo commonefaciunt.

Morbus ex timore.

Quæ vtilitas ex morbis.

Si Ethnici pridem, eo nomine deplorandi, quod Deum non nouerunt, eiusmodi meditationibus, calamitatum temporibus, animū exercuerint, quid de Christianis cognitione Dei imbutis colligendum

dum & inferendum est? Nonne illos debere pudere Antigoni, qui ex grauissima ægritudine sanitati restitutus, Hodie, inquit, didici (compellans quendam ex domesticis) ex morbo meo, me esse mortalem. Antea enim cum integra & firma sanitate vterer, omnique luxu ac delitiis diffluerem, tanquam potentissimus Rex, de morte futura nunquam cogitaui. Sic ille ex morbo momentaneam esse vitam hominis eamque vno halitu, quo fouetur, finiri, fateri adductus est, ita vt nec vlla potione Medica, vix ad breue tempus valeat retinere. Atq; hinc elucescit, quantum boni potius, quam mali ex huiusmodi affectionibus oriatur, quæ idcirco magis optandæ, quam metuendæ sint, etsi falso malæ ab ignaris iudicentur. Eædem præterea calamitates, ac morbi, veri Antidoti aduersus metum vices subeunt, metum, inquam, vel ipsius mortis, cuius amorem potius nobis, quam timorem conciliant. Mors siquidem nos omnibus miseriis, ærumnis ac cruciatibus liberat, à quibus magis distorquemur, quam ab ipso supremo fato, quod malorum omnium vltima linea est ac remedium. Qui horrenda quadam epilepsia inuaditur, qui epulando & delitiis ac voluptatibus indulgendo, nihil minus, quam subitum exitium metuens repēte fulmine apoplectico ictus concidit, aut (si animam non exhalet) vel membris omnibus, aut media corporis parte percellitur, quid is in reliquo vitæ cursu omnibus corporis functionibus priuatus expetat cum voluptate quadam? Imo qui non ista eum invitent ad mortem potius efflagitandam, tanquam omnium malorum portum certissimum, aut meditandum, quam vana sit & caduca vita humana, vt eam in bonorum numerum nequaquam recenseat, sed meliorem quærat, adquam illa nos introducit.

Antigonus per morbum sapere didicit.

Antidotus aduersus metum.

Quos pleuritis acriter & sine intermissione lancinat, quorumque pectus magna angustia premitur; qui colicis, nephriticis & arthriticis nocte dieque doloribus conflictantur, mortemque in auxilium sæpius inuocant, nunquid iure subsidium illud implorant, quod è tantis malis eos eripiat? Nunquid illi, qui ex miserrimo & calamitosissimo hoc mundo egressum optant, laudatis votis commendabuntur, præsertim cum in beata vita perpetuam quietem expectent, eamque certe sibi polliceantur.

Sed cum certissimo Dei decreto ratum & fixum sit, vt necessario sit monendum, & naturæ tributum persoluendum, proindeq; deserendæ huius mundi, quæ putantur, delitiæ, vt alacriores ad exitum paremur, Deus optimus melli delitiarum fellis nonnihil intermiscet admodum acris amariq; quo nos ab illis ablactet, ne semper iis immoremur, instarq; nutricis amaris rebus mammillam oblinentis erga nos se gerit, quæ alumnum suum à lacte seuocat, vt firmiori & cōstantiori cibo assuescat: Sic Deus mundanis delitiis mærores intermiscet, vt ad certiorem tranquillioremq; vitam, in qua nihil stomachum perturbet, nec animum moueat, nos prouocet & adducat. Atq; huc spectant morbi & ægritudines tū corporis, tum animi, vt suauiorem regni cęlestis sedem meditemur, ad quam euecti beate ac feliciter in æternum quiescamus. Sed hæc videntur esse animæ, non corporis remedia. Nos vero, qui corporum etiam ægrorum curam suscepimus, vt finem huic perturbationi imponamus, annectamus auxilia, quæ corpori ipsi satisfaciunt, quemadmodum & in aliis morbis eidem succurrere consueuimus.

Elegans simile.

Officium veri Medici.

Veri igitur Medici officium sit, ægrum solari, eidemq; bonam futuræ suæ pristinæ valetudinis spem concitare; ac periculum si quod ineesset vitæ dissimulare. Interea tamen etsi deploratissimus sit morbus, ipsimet ægrotanti sua solertia cognitus, bonis tamen verbis à Medico recreandus est, nec non ope Medicinæ, in salutem hominū creatæ, vt multa sibi bona polliceatur, hortandus est: Ipse Deus in optimum & beneuolū Medicum ac potentissimum proponendus, qui ex morte ipsa, vel exanimes possit reuocare, eum esse, qui ex sepulchris mortuos eruat, in eum totam spem & fiduciam esse reponendam, nec Medicorum prædictionibus immorandum, vt quæ sæpius fallaces & incertæ sint, multos in grauissimis morbis à Medicis fuisse derelictos, & morti adiudicatos, qui singulari tamen Dei benignitate restituti sint. Deniq; non prius de vita esse desperandum, quam spirandi finis accesserit. Atq; hæc, quæ ægris opportune spes iniicitur, magni est momenti, & insigne pharmacū, quod nō minus morbis omnibus opitulatur, quam metus è contra lethali suo veneno omnibus est exitio: Nunc de tristitia.

Descriptio Tristitiæ.

Tristitia, vt ab illius descriptione accuratū sumatur exordium, nihil

nihil aliud esse deprehenditur præter mærorem ac languorem quédam ex apprehensione alicuius mali præsentis, aut certe proxime ingruentis, metu contractum. Qui quidem metus animo conceptus cor confestim exagitat, mentem obnubilat, omnes animales facultates perturbat, omnibus sensibus, tam externis, quam internis ruinam minatur præsentissimam, ac demum (vt paucis multa complectar) adeo nostras vitiat & inficit actiones, vt illius malignitate vis imaginaria de suo statu deturbetur, cerebrum debilitetur, & æger mirum in modum discrucietur. Quicunq; huiusmodi symptomatis afficitur, hunc sæpe numero licet videre omnis prorsus quietis expertem, dies ac noctes insomnes transigentem, lentis gressibus incedentem, obstipo capite humum transfigentem, circa sepulchra & deserta loca errantem, vberes lachrymas ex oculis emittentem, aures cuilibet passim consolationi occludentem, nilq; nisi suspiria ore effundentem: Manibus is pectus liuidum pertundit, lucem refugit, & latebras quæritat remotiores, seseq; ab humano secernens consortio, sola gaudet solitudine, cũ vultu sereno fronteq; prius exporrecta vigeret, nunc iisdem liuet & corrugatur: Si habitu corporis præstabat antea validissimo, tabescit sensim atque liquescit.

Hæc porro iniqua animi passio vsq; adeo ægrum fatigat, & in illum sæuit, vt rubigine ingenium illius conficiat, aciem mentis & vires obtundat, è forti meticulosum, è viuido somniculosum, èq; diligenti torpidum & segnem prorsus reddat. Deniq; vt stomachus male affectus & nauseabundus in probum chylum cibos iniectos minus potest transmutare, sic confecti mæstitia facultatum animalium nullam probe norunt exerere functionem, nullum ministeriũ. Quin imo si aliquando per incuriam accidat, vt gliscenti huiusce morbo non occurratur, mens sæpius de sua naturali sede & imperio dimouetur, nunc homo stupidus, & velut saxea quædam Niobe redditur, nunc furore maniaq; corripitur. Atq; hæc sint, quæ de natura & effectis morbi istius pernicioſi dici possunt, cuius innumeræ sese offerunt differentiæ à diuersa imaginationum congerie petitæ, prout sequentibus exemplis clarius illucescet. *Duplex tristitia vera animum & adulterina.*

Isthæc rursus affectio diuiditur in veram & naturalem cuius internæ sunt causæ, & in adulterinam, cuius externæ

sunt radices, quæq; à naturali & vera toto, quod aiunt, cælo distinguitur, cũ ista nil aliud censeri debeat, quã mera inducta perturbatio, verus animi languor, & germano Tristitia vocabulo, cuius id est propriũ & peculiare, vt locis incultis immoretur æger, seq; ab hominũ luce & oculis mærendi lugendiq; gratia ipse subducat. Hoc tristitiæ genere vexatum Bellerophontem accipimus, de quo Poeta.

Qui solus miser in campis errabat Alæis,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Infiniti propemodum homines hac olim fuere ægritudine pessundati, prout suo loco opportune à nobis demonstrabitur.

Altera tristitiæ species hanc reuera nuncupationem sortiri nõ debet, quod sit adulterina, & præcedenti minus consentanea, quapropter luctus potius ab emunctioribus nuncupatur.

Luctus.

Verum luctus ille dolorem nequaquam naturalem sentit, imo totus est fictitius, pigmentis obductus, ceremoniis ritibusq; circundatus, qui certe palam & in propatulo ingens videtur, genuinam quandam mæroris naturalis speciem repræsentans, attamen qui longe à corde & intimis abest dissidetq; præcordiis.

Huiusmodi laruatus dolor diuersis temporibus, & vsq; adeo variis modis assumptus fuit ab Ethnicis & vsurpatus, vt inde facile liceat colligere vanum illius spectrum & simulachrum.

Ægyptii, auctore Diodoro & Herodoto, ad exequias defunctorum suorum, præsertim Regum atq; Principum, celebres quasdam adhibuerunt, diuturnasq; ceremonias. Vniuersus populus certis quibusdam distinctus centuriis, viris & mulieribus intermixtis, vnum in locum ad planctum & lamentationem cogebatur, vestibus discissis, progrediebatur, facie cæno simoq; deturpata, syndoneq; subtus mammas, tum mulieres, tum viri cincti, bis in die nouantes luctum circũ ambulabant, atq; cum cantu & clangore Regis virtutes numerabant, cibis animantium coctisq; ac vino, omnique mensæ apparatu, per septuaginta duos dies abstinebant, non lauaeris, nõ vnguentis, nõ stratis lectis, non venereis vtebantur, sed tanquam defuncto patre aut filio, per eos dies grauiter lugebant.

Luctus Græcorum, Romanorum, aliorumque.

Græci Romaniq; veteres suum à Chaldæis & Ægyptiis planctum in obsequiis videntur mutuati, quẽ ritib. pene innumeris, tẽporis progressu, iisq; absurdis, & à ratione penitus alienis adauxerũt.

Sit

Si enim apud Græcos Rex quispiam, aut Imperator diem obiisset, extremũ funus solemni pompa & apparatu regio deferebatur, captiuiq; & milites circa rogũ digladiabantur, oues bouesq; mactabantur, vtq; in omnem formam luctus concederetur, equi virique tondebantur, propugnacula è mænibus diruebantur, aræ subuertebantur, lares conuitiis traducebantur, igniſq; extinguebatur.

Romani à græca superstitione nonnullas huius generis ceremonias in hanc rem deduxerunt, & alias quam plurimas superinduxerunt. Posteaquam enim defunctum deploraſſent, & in rogum deportaſſent, supremum eidem Salue & Vale, tanquam nunquam visuri, impendebant, posteaque ilicet omnes clamabant, qua voce missum populum faciebant. Huius supremi Vale Virg. meminit.

——Salue æternum mihi maxime Palla,
Æternumque Vale.

Et de Polydoro. *Virg. 3. Aeneid.*

——Animamque sepulchro
Credimus, & magna supremum voce ciemus.

Ad hæc, quæ modo retulimus, rursus accedit, quod certis quibusdam personis, ære conductis, ad lugendos mortuos vterentur, quæ modo ingentes gemitus ore edebant, modo vero nænias funebres alta voce resonabant, & aliquando ad maiorem pompam, organa musica & lituos pro varia virorum dignitate asciscebant: ferri enim mortuos olim solitos ad tubam, indicat Virg. in Æneid.

——It clamor cælo, clangorque tubarum.

Et Persius Poeta Satyricus:

Hic tuba, candelæ, tandemque beatulus alto
Compositus lecto.

Alexander lib. 3. c. 7. & Cælius lib. 16. lection. Antiq. harum mulierculariarum ad condendos mortuos emptitiarũ, meminerunt, easque Carinas & Præficas appellari tradiderunt, eo quod luctui præesſent, quæq; cantu flebili carmineque funebri mortuos in funerib. lamentarentur, vitamque & præclara eorũ gesta non sine cõmiseratione celebrarent, nec non, qui facta dictaque repræsentarent, adhibebant. *Carinæ & Præficæ.*

Insuper receptior in luctu indumenti species, & ab omnibus *Vestimenta in luctu qualia.*

pene gentibus celebrata coloris fuit candidiatq; pullati. Quem ritum hodiernus adhuc viduarum luctus non tantum in regni exteris, sed etiam nostro obseruat, in quo Reginæ post obitum Regum coniugum suorum candido velamine circumteguntur, vnde fit, vt albæ vestis gratia Reginæ candidæ toto viduitatis curriculo vocentur. Quod si quis altius causam voluerit inuestigare, cur hæc duo colorum genera in luctibus publicis fuerint introducta, nihil moror, videtur tamen hæc notio communis, & à natura parente menti humanæ insita, ita quidem, vt albedo animi à corporis ergastulo soluti splendorem denotet, nigredo vero nota sit corporeæ corruptionis.

Cur Reginæ candidæ vocentur.

En fucos, en pigmenta, en falsa huiusce tristitiæ lineamenta. Hinc carinas & præficas vidisses, inde mancipia, & huiusmodi plebis fæces, mercede conductas, vt publicum luctum ad eos deplorandos assumerent, quos nunquam, vel de solo nomine cognouissent, vt lachrymas, inquam, pretio extorquerent, ipso citius aspectu deficientes. Adde planctus, vlulatus, comarum direptiones & capillorum, immolationem victimarum, & alia huius farinæ commenta exteriora, ad fingendam tristitiam exoticam atq; spuriam, quæ sola nititur aura populari, quæq; sola opinione moreq; communi, talis doloris ingenioso artifice, aut potius ridiculo, sustentatur.

Quocirca mirum videri non debet, si tam vana consuetudo à cunctis fere populis minus fuerit approbata. Thraces quippe Sapientiæ titulum ea præsertim de causa sibi merito conciliarunt, quod infantum suorum natiuitatem luctibus, funus vero gaudio plausibusq; prosequerentur, inde nimirum genus humanum edocentes, cum nascimur, nos vitam ingredi ærumnosam, miserrimam, & infinitis vexationibus obnoxiam, à qua cum decedimus, tot & tantis periculis extricamur, vt huius beneficii ratione, nemo non lætitia perfundi debeat, & summe delectari.

Solin. cap. 17. Val. Max. libr. 2. c. 7. de inst. ant.

Thraces cur sapientes habiti.

Inter septem Græciæ sapientes non infimus Solon hos luctus commentitios à communi vsu plane censebat amandandos, vt in illius vita Plutarchus commemorat, qui lacerationes plangentium, cæteraque ploratum excitantia, & eiularum in alienorum funeribus sustulit.

Solon luctus abusu reprehendit.

Ex

Ex superioribus tamen hoc nequaquam inferri velim, non licere scilicet luctum facere, nec condolere in obitu parentum nostrorum, affinium & amicorum, nec dolorem aliquem ex absentia eorum testari. Aliter enim ferinam naturam proderemus, & quasi sub caucasea rupe à feris educati videremur. Hac quippe de causa sapiens ille, de quo nuper, Solon funeris luctum à suis expetiit, vt Elogium illius aperte apud Ciceronem in Catone Maiore testatur. *Solon verum vsũ luctus laudat.*

Ne mihi Illugubris veniat mors, sed mihi charis
Mærorem potius adferat & gemitus.

Quod si in hanc rem sacrarum facit paginarum auctoritatem ascisce re, plurimis sane locis constabit, luctum & lachrymas in mortuorum postremum honorem atque gratiam religiosissime ab omni prorsus hominum memoria approbatas.

Cum filii sui Ioseph dilectissimi vestem Patriarcha Iacob conspexisset, sanguine delibutam, illumq; à fera deuoratũ credidisset, scissis vestimentis & succinctis Syndone lateribus, filium luxit, diu consolationem omnem respuens, quin imo adeo grauis & vehemens fuit illius afflictio, vt in inferum vsq; ad natum suum deflendum cupierit descendere. *Luctus Iacobi Patriarchæ. Gen. 37.*

Dauid non siccis oculis sed feruidioribus lachrymis filii sui Absolon mortem lamentatus est. *Dauid.*

Magnus olim planctus totam occupauit Iudæam in obitu Regis Iosiæ, in cuius luctum Ieremias Propheta næniam conscripsit, omnesq; cantores in luctu Iosiæ vno concentu eam in næniis canere, vt tanti Regis & memoria & mentio foueretur, iussi sunt. *2. Paralyp. cap. 33.*

Vniuersus Iudæorum populus magnis gemitibus Iudæ Machabæi mortem legitur hisce verbis prosecutus: Quomodo cecidit potens, qui saluum faciebat Israel. *1. Mach. 9.*

Posteaquam D. Stephanus lapidibus obrutus est, primusque suo sanguine martyrii semitam aperuisset, quidam Christianæ pietatis assertores illius corpus curandum à Iudæis impetrarunt, & magnum planctum (inquiunt diuina monumenta) super eum fecerunt. *1. Actor.*

Hisce & similibus exemplis innotescit, non omnium luctuum genera

genera damnare. At quædam decenter Christianis etiam esse concessa, quod confirmauit suo exemplo Christus, Lazari obitum gemitu prosequens, ea tamen lege, vt verus sit planctus, vt moderatus, vt à fuco penitus absit, vt certis quibusdam cancellis contineatur, nec vllam mœrentibus inferat perniciem, Israelitis in funere corpora lacerare & sinciput decaluare nefas erat, quod infidelium luctus esset, resurrectionem ignorantium. Vt luctum moderatum meis assero suffragiis, sic etiam pias Christianorum exequias meipsum comprobare profiteor, tanquam veræ pietatis indices, & scripturæ Sacræ consentaneas.

Deut.14.

Sepultura Patribus olim honorifica.

Abrahamo non mediocri fuit curæ, vt corpus coniugis suæ Saræ honorifico tumulo mandaretur.

Pari sollicitudine Isaac & Ismael patrem suum Abrahamum, corporis vinculis exolutum, curauerunt, cuius corpus in duplici cauerna agri sepelierunt, quam ab Ephrone Hettæo viuus emerat.

Iacob Patriarcha qui diem suum in Ægypto clausit, extremum filiis suis id muneris demandauit, vt in terra Canaan sepeliretur, in sepulchro patrum suorum. Nec quid dissimile paulo post præstitit Ioseph illius filius eadem in regione viuis excedens, suos quippe iureiurando astrinxit, vt cum ipsis eorumque posteris Deus subveniisset, & ex Ægypto eduxisset, ossa sua illinc deportarent.

Reg.2. cap. 21.

Dauid non parum etiam fuit sollicitus exequiarum Regis Saul, Ionathæ, & aliorum eiusdem Principis filiorum, in terram enim Palæstinorum & Galaaditarum huiusce muneris obeundi gratia ingressus est.

Tobias.

Tobias iamiam spiritum Deo redditurus, vnicum præceptoris id filio imperium reliquit, vt se mortuum sepeliret honorifice, matrem honoraret, memor dolorum, quos eius causa pertulisset, eamque vita functam in eodem sepulchro honeste sepeliret.

Præterea in scriptis vetustissimorum authorum ex historiis Ecclesiasticis cernere licet, quantopere exequiæ à Christianis commendatæ fuerint, & accurate celebratæ. Moderatione igitur, cum naturali affectu temperata, ritus iste non nisi laudabilis, & magna gloria dignus habendus est. Id nos doctos esse voluit magnum illud Ecclesiæ ornamentum B. Chrysost. hom. 16. vbi sic scriptum reliquit: Honorem mortuorum non esse fletum, non eiulatum, sed hym-

hymnos & psalmos, & optimam vitam: perditum, si in funere vniuersam etiam habuerit ciuitatem, nihil tamen inde lucraturum. *Honor mortuorũ qualis esse debeat.*

Hæc est genuina inter sanctum, verum, legitimumq; planctum, necnon inter falsum, fictum & illegitimum differentia. Ad institutam ergo de vera tristitia disputationem, à qua nimium forte digressi sumus, iterum redeamus. Huic enim præsertim enucleandæ magis nobis est incumbendum, cum sit mera & ex naturæ fontibus deducta perturbatio, quæq; talis dignoscitur pluribus signis & indiciis exacte à Celso Medicorum Latinorum Antesignano explicatis lib. de re medica c. 7. Suis eam satis coloribus antea expressimus & lineamentis, præcipue autem pertinacis istius mali notæ sunt, cõtinua, quæ affectos sollicitudo metusq; comitatur, & omnis penitus quietis carentia, vultus illis subest liuidus, facies consternata, oculi concaui, errabundi, caliginosi, semper cogitabundi, illi sunt nunquam non ex pectore suspicioſi, & locorum desertorum cultores, omnia suspecta habentes. Pulsum habent instar tabescentium vermiculatum, lienem turgidum, ventrem variis subinde flatibus distentum & crepitantem, stomachum humoribus acidis & vitriolatis redundantem, fameq; sæpius canina eos diuexari videas. Præter ea quod ait Ætius tetra. 3. ser. 2. c. 17. nigra lotia excernunt, aliquãdo autem & per interualla ipsorum corpora torpescunt: stercora vero calchanti colorem referunt, atq; aluus his vt plurimũ exsiccatur. Quod si demum caput habeant siccum, fuliginosum, modicumque, id pro certo ratum statuas, huiusmodi homines omnino in hanc atram & malignam procliues esse affectionem.

Quod ad causas attinet, exteriores illæ sunt, aut certe interiores, illæ à variis petuntur doloribus & ærumnis, quibus non vna stirps aut origo vna est. Parentes quippe filiorum anguntur interitu, filii parentum occasu discruciantur, fœminæ cõiugum, coniuges fœminarum suarum fato vexantur, amiciq; vicissim suorum necessariorum orbitate afflictantur. Alios tangit bonorum iactura, angit honorum dispendium, aliis demum tale quid incommodum, malaq; sors Fortunæ tristitiæ ansas suggerit & occasiones. His adde vsũ ciborum crassæ melancholicæque substantiæ, qui sanguinem procreant hac infectum contagione: Zizaniorum præterea semen, *Causa tristitiæ.*

quod pluribus in locis reperitur inter frumenta & hordeaceas fruges adolescens; ni fiat in panis & Zythorum proculdubio generat non parum pernitiosos, mentemq; perturbantes ac edentem inebriantes. Causæ externæ, quæq; in ipsis nostris residen corporibus, humores sunt atrabilarii, vel sanguis melancholicus adustus, qui vel in cerebro minus calido & sicco continetur, vel per omnes venas, totiusque corporis molem dispergitur: aut certe in hypochondriis, splene & mesenterio delitescit, è quo fumi & nigræ eleuantur exhalationes, quæ tenebras menti offundunt, cerebrumq; obnubilant, & tenebris simile reddunt. Haud aliter enim atri illi fumi mentem afficere videntur, quam nocturnæ tenebræ animos hominum in iis versantium terrentes & perturbantes. Hinc ratio cæcutit, & id genus nubibus circumsepta luce sua priuatur, totaq; passim in suis discursibus hallucinatur & errat.

Secundum igitur diuersam harum explicationum qualitatem, à diuerso sanguinis ortam temperamento, diuersi surgunt fumi, fuligines ac vapores multiplices occurrunt, vnde tristitiæ siue melancholicæ diuersæ species progrediuntur, quæ facultatem lædunt, præsertim imaginatricem, eamq; præ cæteris vitiant atq; corrumpũt. Ex hac humorũ mutatione corruptelaq; quæ in melancholicis affectib. percipitur, oriuntur absurdæ multæ & inopinatæ imaginationes & phantasiæ, quibus nulla alia causa subest, præter fumos istos diuersos atrasq; fuligines ex supradicto humore procedentes.

Diuersæ tristitiæ melancholicæ species.

Quosdam invenias, inquit Galenus, qui seputent figlinum vas, quamobrem cõtactum hominum & omnino propinquitatem expauescunt, ne eo modo comminuantur decurtenturue.

3. De locis affectis.

E primoribus quidam se vitreum opinabatur, quocirca amicis supplicabat ne ad se propius accederent, cum tamen cæteris in rebus perspicaci frueretur ingenio maturoque. Sunt quos perpetuo timor percellat, ne mundum fulciens Atlas seruansq; lacescat, isque feratur in præceps & omnes vna pereant ruina. Proinde fugam semper meditantur, vt, (si fieri posset) sese extra mundana claustra proripiant. Alii in nouam speciem transformatos se existimant, vnde alii cuculorum, alii gallorum, aut aliorum animalium voces gestusque imitantur. Alii vates se augurantes, de rebus futuris sibi multa

Caelius l. 17. cap. 2. Aut. Lect.

multa pollicentur, nonnulli potentes se putant, qualis Hippocomus ille, de quo Muretus, qui se Pontificem summum imaginabatur, certisq; hebdomadæ diebus Venetiis in domo heri sui, hac de causa consistorium Cardinalium in charta depictorum, quos alloqueretur statuebat.

Alii se capite, nonnulli cruribus, brachiisq; truncatos putant. Aetius refert, quendam in id erroris prolapsum, vt se capite minutum crederet, idq; passim lamentaretur, donec pileo ingentis ponderis ferreo, illius vertici superaddito, ab hac phantasia dimoueretur. Adolescens quidam nasum suum adeo increuisse sibi persuaserat, vt vix è loco in locum transmearet, ne forte alicubi impingeret. Alii quamuis mortem pertimescant, hanc tamen exoptant, & aliquando sibi consciscunt, vt nimis multis claret exemplis. Alii sunt, qui se fame confici putant, seque propterea continuis escis ingurgitant. Nonnulli cibum recusant, nihil vitæ superesse existimantes.

Trallianus scribit, se mulierem vidisse, quæ se à serpente pertinaciter exedi asseueraret, hanc autem Pharmacis vomitoriis, & supposito in peluim æneam clanculum serpente curauisse.

Demophon Alexandri Magni Oeconomus se ad æstum Solis infrigidari, & in opacis nemorum vmbris æstuare credebat.

Ardron Argiuus ad feruentissimam Lybiæ eremum ad frigus captandum decurrebat.

Multi inter dormiendum deambulant, sicut & alii plurimi, qui ad os etiam puteorum dormientes spatiantur; Vnde forsan tritum illud prouerbium, Deum singulari sua prouidentia & stultis & pueris pariter consulere, eosque à periculis, quæ incurrunt, vindicare.

Sunt præterea, qui se à latronibus continuo putant circũueniri & spoliari: alii vero, qui à lictoribus se colligari, & mox in carcerem coniiciendos credunt.

Alii se viuos à terra absorberi & deglutiri iam tremuli exclamant, alii aliis imaginationibus, prout vitæ fert institutum, perturbantur.

Denique alii aut contentionibus, aut studiis, aut precationi-

bus, aliisue institutis, quibus addicti fuerunt, toti occupati sunt, vsque vigilantibus hoc accidit, quod sanis sæpe dormientibus contingere solet.

Hæ sunt innumeræ, & incredibiles pene phantasiæ & deliria, in quæ tetra hæc animi perturbatio syderatos semel flatu suo ægros præcipites agit atq; deducit, quæ sæpius etiam tantam exercet tyrannidem, vt non tantum spiritus obsidendi & cruciandi vires habeat, omnibus iis modis, quo modo diximus, sed corpus etiam tot insultibus impetit, vt plane ipsum obruat, & prorsus suis functionibus ineptum reddat ac inutile. Quin & tantam interdum ferociam exercet, vt mortem eius acceleret & præcipitet.

Huius rei certissimam nobis facit fidem Octauiæ Sororis Imperatoris Augusti historia, quæ vsque adeo tristitia, mœrore & dolore ex morte filii sui Marcelli, maximæ spei Principis oppressa est, vt omnem consanguineorum suorum & agnatorum respuerit accessum, quod nullas ab illis adhortationes aut consolationes vellet admittere, ad illorũ suaues voces aures obstruens, quin potius omnium conspectum fugiens latebras seorsim quæritaret, vt mœrori solitaria liberius indulgeret, & nati mortem abunde citra impedimentum defleret, quem toto reliquæ vitæ curriculo pergemuit, tantisq; postea & languoribus & mœroribus, ac animi angustiis conflictata est, vt millies moriendo mori non posset.

Seneca tract. de consol.

Mors subitanea ex nimia tristitia.

At ostendamus quamplurimos etiam ex eiusmodi liberorum iacturis, quas constanter ferre non potuerunt, non nisi morte solatium sibi comparare potuisse, vsque adeo vrgens & tenax est ista animi perturbatio.

Paul. in act.

Adrastus cum exercitum à Thebarum expugnatione domum reduceret, audito Megæræ de morte filii sui Agyalei nuntio, extremo repente mœrore correptus exanimis concidit, ac sepulchro illic conditus est.

Eduardus tertius Anglorum Rex, amisso Eduardo filio suo, Principe iam illustrissimo, & multis virtutibus clarissimo, maioraq; adhuc in posterum de se promittente, ex grauissimo animi dolore luctuq; exanimatus est.

Polyd. lib. 19.

At quot videre est exanimatas coniuges, ex maritorum mor-

morte audita, quarum luctus non nisi morte finiri potuerunt. Ex earum numero habentur Iulia C. Iulii Cæsaris filia, Pompeii vxor, item Imperatrix Irene, Imperatoris Philippi vxor, quæ audito de morte mariti grauissimo nuntio mærore percita, grauida intempestiuum fœtum exclusit, & paulo post obiit. *Cuspinian. in Philipp.*

Hæc portentosa vtiq; & implacabilis animi perturbatio non tantum mulieres adoritur, ac fortissimorum etiam virorum Regumq; ipsorum corda, non inuadit modo, sed edomat etiam, qualis fuit Rex Antigonus Epiphanes, qui licet strenuissimus, fortissimus ac potentissimus, tanta tamen animi tristitia obrutus est, vt viab hoste repulsus, ignominiosam hanc fugam ferre non potuerit. Is enim & hac ignominia suffusus & audita Lysiæ fuga, à Iudæis hostibus profligati, adeo dolorem ingeminauit, vt coactus suis amicis fateri se prorsus animo esse consternatum, tantoq; mœrore obrutum, vt prorsus langueret ac concideret viribus animi, vnde propediem interitum sibi extremum præsagiuit, qui & paulo post secutus est.

Cuspinianus narrat, Iustinum minorem vsque adeo graui exclade apud Persas accepta, mœrore correptum, vt rationem & iudicium prorsus amiserit, demensque tandem in lethalem phrenesin inciderit.

Simili vitæ exitu Vrsatus quidam Iustinianus, naualis belli Venetiorum Dux, vsus est, ob infortunium quoddam & detrementum, quod inopinato accepit in bello.

Fuerunt, qui elato ac sublimi animo prædi ti, cum ad optatum finem consilia sua perducere non possent, tanto mœrore aut indignatione id circo lacessiti fuerunt, vt vno momento mortem oppetierint. *Exempla tristitiæ alia.*

Philetas Cous insignis quidam Criticus, cum sophisma quoddam soluere non posset, præ mœrore contabuit. *Giral. 1. tom. hist. Ponti.*

Quid non etiam de magno illo Philosophorum Principe Aristotele Stagirita scribitur. Is cum in Chalcidem appulisset, & in Eurippi freto crebras euntis & redeuntis maris fluctuum reciprocationes admiraretur, quæ die nocteq; septies iterabantur, cum huius rei altius animo agitatæ & peruestigatæ rationem assequi non

posset, tantum inde mærorem concepit, vt in eum prolapsus sit morbum, à quo nunquam conualuerit.

L. 29. c. 8. Cælius progreditur vlterius narrat enim, tanta illum indignatione ac desperatione agitatum fuisse, vt se in mare præcipitem dederit. Inde natum prouerbium: Quoniam Aristoteles non cepit Eurippum, Eurippus cepit Aristotelem.

Hinc videre licet ab hac ferissima bellua nemini, cuiuscunq; generis sit & sortis, parci, ab eodemque non animum tantum variis modis obsideri, sed corpus etiam eo vsq; adigi, vt sæpissime sibi mortem vltro consciscat.

Nostræ igitur sunt partes, tam graui perturbationi succurrere, ac singularia quæque laudabiliaque remedia in medium adferre, quæ ferociſſimum illud malum cohibeant & eneruent.

Quemadmodum autem varias horum morborum differentias attulimus, eorumque diuersissimas causas ostendimus, sic varia in curam remediorum genera postulari, certissimum est.

Curatio igitur primo in generalem & particularem diuidetur. Generales omnibus mærorum siue genuinorum & exquisitorum siue spuriorum speciebus & differentiis adaptabitur.

Curatio generalis tristitiæ. Præcipua autem huius narrationis vniuersalis remedia ex duobus fontibus haurientur, nempe ex plausibilibus ac fidem etiam facientibus, quæ vagum alioqui iudicium & inconstantem animum sistant & roborent tristis ac melancholici hominis, quæque certissimis documentis auertant & leniant eiusmodi perturbationem.

Alter fons remediorum est, qui variis redundat & scaturit exemplis, quæ eiusmodi tristitia affectorum oculis subiicienda sunt, vt in temperatum ac firmiorem statum animus eorum perturbatus reuocetur: Siquidem iis exemplis doceri potest, quanta commoda ex eiusmodi curis, feliciter id genus morbis exhibitis orta sint.

Cum enim animus huiusmodi malis præcipue ac priuatim torqueatur, ad eum præcipue etiam, ac priuatim restituendum, tota no-

tá noſtra ferri debet intentio ac ſedulitas. Iuxta porro malorum varietatem, variæ etiam rationes ac diuerſa exempla accommodanda ſunt, ſingulaq; ad ſingulas cauſas reuocanda. Sublata enim cauſa, facile tollitur effectus.

Diuiſimus autem horum morborum cauſas in externas & internas. Etſi autem Medicus in ægritudinibus corporeis ex cauſis internis nullam curationis intentionem mutuetur, niſi quatenus eæ ſunt præſentes, vt vult Galenus methodi quarto: non ita res habet de animi morbis. Etenim eiuſmodi cauſæ licet abſentes aut iam pridem adventitiæ ſint, ſemper tamen ſeſe animo tanquam præſentes exhibent, quarum idcirco perpetua habenda eſt ratio.

Octauia, de qua ſupra diximus, triſti huiuſmodi perturbatione, ab externa cauſa, ex morte nempe filii obſeſſa nunquam ea triſtitia expediri potuit, quin ſibi perpetuo morbi cauſam, etſi abſentem, oculis ſubiiceret: Ita vt ad vitæ vſque exitum perpetuo cauſæ ſui mæroris intenta, mærens ac deflens filii ſui funera, perſtiterit. *Octauia.*

Sed excipiet aliquis, cum Octauia tanti Imperatoris ſoror, nulla ratione Romæ, vbi celeberrimi ac doctiſſimi totius orbis viri tum degebant, nullum auxilium percipere potuerit, quorſum igitur huic morbo nunc præſcribantur remedia? At non ſequitur, ſi quibuſdam non proſint ſemper remedia, quin aliis auxilio non ſint futura.

Vt enim omnes corporei morbi non omnium ergo ſemper curationem admittunt, ſic & ſpirituales ægritudines, non vbique perſanantur.

Liuia eiuſdem Imperatoris Auguſti vxor, eodem tempore, eaſdem ob cauſas, & ipſa ſimili perturbatione tentata, ex morte Druſi filii ſui, Imperii ſucceſſoris futuri, ſalutaribus remediis, ac ſumme animum ſolantibus, quibus eam adhortatus eſt Philoſophus Arius, ſic reuocata eſt, vt tandem patienter ac conſtanter, ſapienterq; filii obitum tulerit, ſicque lethali illa ægritudine liberata fuerit. *Liuia ob filii mortem nimis luctuoſa per Arium Philoſophum reſtituitur.*

Marcia

Marcia ex filii morte quanta tristitia.

Marcia ad mortem vsq; eadem ægritudine ex iactura filiissui Metelli, eximiæ spei nobilis, omniq; virtutum genere clarissimi, cōflictata tandem & ipsa ad mentem reuocata est, ac sapientissimis magni Senecæ exhortationib. ac consolationibus sanitati restituta.

Mutuanda igitur sunt nobis à magnis illis & præclaris viris remedia, quibus in curam huiusmodi malorum ex similibus causis procreatorum vsi sunt, quorum formulas quasdam hic præscribemus summatim, quas quiuis latius diffundere poterit, certa industria & methodo, prout singulis viderit expedire.

Vera animi afflicti solamina.

Prima remedii formula fuerit, communem totius generis humani conditionem oculis subiicere, quæ quidem huiusmodi est, vt omnia orta occidant, & aucta senescant, ita vt homines, cuiuscunq; sortis sint, vix nati ad interitum properent. Docendum præterea fuerit, à Deo præscriptos esse nobis vitæ nostræ limites, quos pertrāsire non liceat, ipsumq; nosse, quid nobis expediat, atque omnia ab eo in salutem nostram deriuari, ita vt vitæ nostræ fila regat, quæ producit, prout nobis expediat, vel corripit, prout è re nostra esse cognouerit, adhæc sapientissime omnia ab eo gubernari, nec quicquam citra eius voluntatem contingere, cui nos subiici æquum sit, omniaq; ab illo pendere, qui nobis sit pater, de cuius beneuolentia dubitare filiis suis sit nefas, alioqui frustra illius imperio refragemur, qui nos homunciones parum moretur & quos halitu solo possit in nihilum prorsus redigere. Cum igitur necessario nobis sit moriendum, vitæ tamen nostræ exitus incerta sit hora, quæ vel accelerat vel differtur, prout beneplacitum diuinæ fert voluntatis. quorsum tot tristitiæ, mærores & continui fletus, cum nihil de sententia Dei immutare valeant, cum vitæ terminus hac ratione produci nequeat, cum mors à morsu suo ne latum quidem vnguem vanis illis luctibus recedat? Quid mortalibus & mortuis prosint nostri planctus, nisi vt nobis ipsis mortem conscisca mus, nedum vt alios in vitam reuocemus. Cum porro multis fletibus desiderentur, qui ex his mundi miseriis ac calamitatibus egressi, in fœlicem portum, tranquillum, ac ab omnibus procellis mundanis liberum, tuto recepti sunt, & vita æterna, loco caducæ fruuntur? quorsum animæ immortali inuideatur, si ex ergastulo corporis, quo captiua inclu-

includitur, perpetuo ad libertatem anhelet? & cœlum summis votis adeat, vnde duxit originem, ibique proprium domicilium quærat.

Sed quis excipiat, notissimam esse omnibus generalem moriendi legem, attamen inopinas eiusmodi mortes non posse non defleri, florentisque ætatis, ac summæ spei iuuenes, immaturo obitu sublatos, non posse etiam non desiderari ac lugeri. Illi respondetur, voluntate Dei rerum omnium legem stabiliri, magnique delirii ac insaniæ esse, si quis, cuiuscunque ordinis, ætatis & sexus fuerit, stulte crediderit vitam prærogatiua quadam ad extremam vsque senectam deberi.

Quod cum Imperatorum, Regum & Principum liberi, nullo iure priuato, arrogare sibi audeant, vt scilicet vitam vltra Dei voluntatem producant, sed in cunabulis etiam ipsis coganturanimam exhalare, quid alii gregarii homines ausint sibi promittere? Hinc canebat Poeta: Mors æquo pede pulsat pauperum tabernas, Regumque turres.

Sed quæ lugendi autsese mærore conficiendi ob defunctos, siue breui, siue diu, inter nos commorati fuerint, iusta sese offert occasio? Si enim omnibus vitiis inquinati fuerint, aut nullius in Republ. humana vsus, quorsum isti lugeantur, quos iam pridem ex hominum consortio sublatos oportuerit & vtile fuerit? si gloria & virtutibus claruerint, quare glorioſum exitum illis inuideamus, cum forte si diutius in hac vita permansissent, næuis gloriam suam aspergere, & fæditate huius vitæ, quæ plena est iordibus, famam (vt proclines sunt homines ad vitium) magno dedecore conspurcare potuerint? Nunquid satius fama celebres, & gloria præclaros occidere, cum in huiusmodi exitu immortalem apud homines vitam sibi comparent, æternaque gloria in cælis fruantur.

Quot rationum sunt momenta, tot sunt tuta remedia præparandæ constantiæ ad perferendam tristitiam idonea, quæ ex eiusmodi causa quam diximus genita est. Vt autem eam prorsus euellamus & extirpemus, exemplis id præstandum est à nobis commemoratis, eorum aut illarum, quæ strenue aut constanter, magnaque

cum admiratione & fortitudine animi, eiusmodi perturbationes perpessæ sint, indeque sibi immortalem gloriam, perpetuumq; nomen pepererunt.

His enim ratione præditi homines facile mouebuntur, & ad sanam mentem reuocabuntur. At si qui tanta obruantur tristitia, ex liberorum morte, quibus opera sit impendenda, vt eos à tanta perturbatione dimoueamus, primo loco Dauidis exemplum eorum oculis fuerit subiiciendum, qui filium suum ex Betsabea conceptum videns in extremis vitæ angustiis versantem, quem ex eo ipso morbo moriturum à Propheta Nathan audiuerat, toto morbi filii tempore in ieiuniis & precibus perstitit, sese in puluere voluens, & perpetuis lachrymis ac planctibus coram Deo, noctesque dieſque sese excrucians, quem iusta ira percitum satis sciebat, eo consilio vt irati Dei forte animum placaret. At defuncto septimo die filio, resurrexit à luctu, corpus inunxit, atrata vestimenta in regia permutauit, cibumque tandem sumpsit.

Dauidis aliorumque tristitia exempla.

Quod mirati domestici, huiusque rei causæ intelligendi cupidi, quod à luctu destitisset, quem mors auxisse debuerat, exposuit Dauid, dum vita adhuc infans frueretur, se ingemuisse sesque ieiunio & precibus à Deo summe contendisse, vt si fieri posset, vitæ infantis misereretur, eique parceret, quod cum secus acciderit, mortemque obierit infans, nullis ieiuniis nec precibus Deum amplius esse sollicitandum, vt qui secus de illo iam statuisset: Deinde sermonem suum concludens addit, se tandem ad filium iturum, at nunquam filium ad patrem reuersurum.

His paucis verbis tota remediorum à me propositorum essentia enucleatur, quæ inter consolatoria primæ classis auxilia pluribus verbis supra attuli: Qui Deum timent, certissimum tutissimumque præsidium luctibus suis comperient, si ad tanti Regis, tamque fidelis Dei serui illustre propositum sese componant.

His si Ethnicorum exempla adiiciamus, qui virtute quadam naturali, & Philosophia humana edocti, constantiam hanc adepti sunt, & sese omni consolationum genere, in pertubationibus suis recrearunt, citra vllam Dei cognitionem, quam pudibundum

dum nobis fuerit, & ignominiosum, si nos, qui Christianum nomen profitemur, & aliam longe firmiorem ex cœlesti schola hausimus, ab illis nos vinci patientia & constantia patiamur.

Constantia & patientia Anaxagoræ

Anaxagoras aliquando, inter amicos familiariter de natura & proprietate rerum differens, insusurratam auribus ab amico filii mortem accepit, quo tristi nuncio statim commotus, & momentum interpellata oratione, paulo post cursum narrationis suæ repetiit, eumque constanter secutus est, hoc tantum nuncianti respondens: Sciebam, inquit, me genuisse mortalem. Haud secus Rochardus Poliænidæ filius audito de obitu filii sui nuntio mærorem dissimulans respondit. Olim sciebam, illi esse moriendum.

Valer. Max. lib. 5. c. 10.

Pericles inter Athenienses illustris Princeps, intra quatriduum duobus adolescentibus filiis, ornatis multis virtutibus præclaris, orbatus his ipsis diebus, & vultu pristinum habitum retinente, & oratione nulla ex parte infractiore concionatus est.

Plut. in vita Fabii, Aemilii, Caton. Val. libr. 5. c. 19. 10.

Si Romanorum exemplis in remedia vti velimus, quis non in id genus perturbationibus admirandam Quinti Fabii, Puluilli, Horatii, Pauli, Æmilii & Catonis Censoris, vt apud Plutarchum, Valer. Max. Pontanum, & alios authores videre licet, constantiam non suspiciat? Quorum virtute nulli non affecti permouebuntur, & ad mentem reuocabuntur.

L. 4. c. 10. M. Bibulus.

In conclusionem huius de constantia & patientia Romanorum orationis addam, quod Valerius Maximus scribit de M. quodam Bibulo, magnæ authoritatis viro, ac multis præclaris ac honorificis muniis decorato, qui quo tempore in Syria moras ducebat, filios duos, eximiis virtutibus insignes, crudeli & immani cæde à quibusdam militibus Gabianis sublatos amisit. Quos Regina Cleopatra tantum scelus exosa corripi iussit, colligatosq; homicidas propere ad Bibulū transmisit, qui p facinoris immanitate dignas de illis pœnas sumeret. At ille oblato beneficio, q nullū maius lugenti tribui potuerat, dolorē moderationi cedere coegit, carnificesq; sanguinis sui intactos è vestigio ad Cleopatrā reduci iussit,

dicendo, protestatem huius vindictæ non suam sed senatus esse debere.

Atque hæc sunt tam præclara tantorum virorum exempla, quæ exhiberi possunt hominibus hoc morbi genere affectis ex filiorum suorum iactura. Quæ quidem vera sunt Antidota, discutiendis huiusmodi doloribus idonea: Exempla, inquit, tum ex sacris literis, tum ex profanis historiis deprompta.

Exempla quarundã mulierum.

Atque hæc viris virilia exempla in consolationem proponenda sunt. Si quæ vero mulieres id genus perturbationibus tententur, habebunt & ipsa documenta, ab exemplis illustrium mulierum, & magna constantia in aduersis rebus præditarum, petita, quarum aliæ Christianæ fuerunt, grauissima potius martyria perpessæ constantissime, quam quid indignum nomine Christiano perpetrarent. Quin & liberos ad atroces cruciatus constantissime perferendos adhortatæ sunt potius, quam vt eorum obitum crudelissimis supplicijs comitatum plangerent & impatientissime lugerent. His nemo non Christianus moueri possit, præsertim si perpendat, nihil non sibi à Deo immissum, omniaque ex Dei voluntate fieri, cui reluctari sit nefas.

Inter ea vero, quæ ex Ecclesiasticis historiis peti possunt, opportune citari possent exempla Blandinæ, Sophiæ & Felicitatæ, quæ incredibili constantia ac animi fortitudine liberos suos ad grauissima martyria comitatæ sunt, & infinitis doloribus excruciari patientissime viderunt. Inter has sanctas vtique mulieres

Felicitata.

Felicitata, vidua Romana, quæ inter primos Christum amplexa fuerat, eiusque cognitione temporibus Imperatoris Antonini & Seueri totam suam familiam cum septem liberis, quos peperat, imbuerat, magna constantia intuita eorundem liberorum crudelissima martyria, quorum sortem, tantum abest, vt defleret, vt contra variis iisque grauissimis adhortationibus, non sine magna animi fortitudine excitaret, & compelleret, vt ad vltimum vsque vitæ exitum in fide, quam profitebantur, strenue perstarent, his verbis eos compellans: Filii charissimi, in fide & confessione persistite: Vos iam spectat Christus, cum sanctis suis, pugnate pro animabus

mabus vestris, & fideles vos exhibete Christo. Quos cum singulos ordine fortiter mori spectasset, illa & ipsa forti animo post martyrium subiit, proprio sanguine consignans eruditionem, quam de Christo liberis tradiderat, & quæ animo suo Dei gratia penitissime infixerat.

Atque hæc sunt quæ Gregorius in eius laudem scriptis mandauit: Felicitata credendo extitit ancilla Christi, prædicando vero mater Christi facta est: prædicando peperit filios Deo, quos carne pepererat mundo: Filios suos carnem esse nouerat, sine dolore morientes videre non poterat, sed erat vis amoris interior, quæ carnis amorem superabat, &c.

Præter hæc sanctissima exempla, ex historiis profanis alia mutuari possumus, quibus admirandæ constantiæ virtutes nobis innotescunt, mulierum etiam complurium, in morte liberorum suorum, quæque tuta remedia & salutaria exhibebant, si attento animo recolentur, & in vsum reuocabuntur apud mulieres, alioſque homines, qui id genus perturbationibus conflictati fuerint.

Primo ordine matronarum Laconicarum virtutes recensebimus in genere, quæ statim post conflictus pro Republica susceptos de more accurrebant, audituri num filii sui generose vicissent, aut fortiter occubuissent, quos cum fortiter id fecisse intellexissent, magna animi alacritate vulnera, quibus interfecti fuerant, circumspiciebant. Quæ si aduersa patebant, in persequendis hostibus inflicta esse congratulabantur, magnoque sepulchri honore euehebant. At si ea auersa fuissent, cum testimonium fugæ exhiberent, pudore & ignominia suffusæ, cum magna indignatione domum reuertebantur, indignaque sepulchri honore cadauera iacere feris & auibus prædam permittebant. *Virtutes Laconicarum mulierum.*

Fuerunt & priuatæ quædam mulieres, quæ in huiusmodi aduersis rebus magnæ suæ constantiæ testimonia, eaque non vulgaria exhibuerunt. His exemplis refertæ sunt historiæ.

Fulgosius mentionem facit cuiusdam Laconicæ mulieris quinque filios habentis, qui omnes in conflictum pro patria alacri- *L. 5. c. 10. sua histor.*
ter descenderant.

Illa vrbem egressa & scisciata ex quodam qui status esset prælii? respondit talem fuisse, qui omnes eius liberos sustulerit, & solo prostrauerit. Malo, inquit, tuo fato, hoc à te non petii, sed vt patriæ res se habeat, rogaui.

Cum autem alter iterasset, quod ad Rempubl. attineret, rem bene habere, addidit & illa pulcherrima hæc verba magna animi constantia plena, nec muliebre quid redolentia: Lugeant ergo miseræ, ego victrice patria beatam me existimo.

Plutarchus in Lacon. apoph. & Diodorus libr. suo 12. præclaram aliam & summe admirandam historiam describunt de Archileonide Brasidæ illius generosi ac strenui Spartanorum Ducis matre, qui cum sæpe fortitudinis animi & inuictæ strenuitatis specimen pro patriæ libertate edidisset, tandem signis collatis cum Cleone Athenienſium Duce, ad Amphipolim fortissime ante omnes pugnans, interstratos hostium aceruos sanguinem profudit, interfecto pariter altera ex parte Cleone inter dimicandum. Huius tamen crudelis conflictus, cum nuntius Lacædemona peruenisset mortis etiam Brasidæ fidem faciens: Audito nuntio mater inter omnia scisciata est, nũ Brasidas glorioſe & fortiter dimicans occubuisset, quæ cum resciuisset, nullum illi in certamine virtute parem fuisse, nullumque magis strenue in hostes irruisse: Hallucinamini, inquit, viri, video non satis vos cognitos esse Lacedæmonios. Vir quidam erat bonus filius meus, verax & strenuus, sed qui plerosque alios longe se virtute præstantiores habuerit antea & reliquerit conciues. His verbis passim per vrbem diuulgatis Ephori publicis honoribus ac laudibus ornatum Archileonidem, cui patriæ laudes & maiestas publica filii sui gloria chariores extitissent. Quis vel extrema tristitia languens, his tam eximiis & illustribus exemplis non permoueatur, & recreetur?

A Spartanis ad Romanos transeamus. Vt enim Roma iam nobis peperit illustrium virorum insignia exempla, qui tam constanter huiusmodi animi affectiones pertulerunt, non minus celeberrimarum mulierum in hoc virtutis genere indiguit, quæ sese generosas ac fortes in huiusmodi perturbationibus ferendis ac edomandis exhibuerunt.

Testis

Testis est inter Christianas Melania quædam Romana, è nobili oriunda familia & Marcelli Consulis vxor, cuius meminit D. Hieronymus in epist. ad Paulam, super obitum Blesillæ. Atque hæc quidem Melania, postquam eodem tempore & maritum & duos filios amisisset, strenue & constanter hanc iacturam ferens, devoluta in p: dzs, exclamans ad Deum, hæc dixit: Expeditius tibi seruitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti. *Melaniæ constantia.*

Inter Ethnicas Liuia quædam fuit (cuius iam mentionem fecimus) fuit & Rutilia, Ania, Cornelia Scipionis filia ac Gracchorum mater, quæ omnes in filiorum iactura eximia constantiæ ac patientiæ exempla, summaque admiratione digna in omnem hominum memoriam propagarunt.

Sed in Colophonem tam illustrium exemplorum liceat hoc admirabile Amatricianæ, gregariæ mulieris addere, quæ cum audiisset filium suum, qui ad supplicium trahebatur, animo concidere, accurrit ipsa ad eum, hortans vt temperaret à lachrymis, nec mortem formidaret, ac sursum cor & caput attolleret, vbi cœlum & solem intueretur. *Notabile Amatricianæ exemplum.*

Cui dicta materna audienti addit illa, An, inquit, ignoras fili confestim te in arces illas emigraturum? Ac vix vnius momenti dolorem perpetuam tibi quietem & voluptatem pariturum.

Quis tanta tristitia, tam atra bile inter Christianos vexatus, ob amissos liberos propinquiores aut fidelissimos amicos, his exemplis non moueatur, aut recreetur, quibus tantam animi constantiam ac generositatem, in perferendis rebus aduersis vel apud ipsos Ethnicos extitisse, perspiciet? Quis, inquam, Christianorum non tantum illos imitari, imo constantia ac fortitudine animi non conetur superare, præsertim cum certum habeat (quod incognitum fuit Ethnicis) resurrecturos esse mortuos, mortique expenso tributo, Dei filios vita beata in perpetuum esse potituros.

Si nascatur tristitia ex fortunarum iactura aut simili casu, remedia, quibus ratio vti debet, hæc sunt, vt scilicet doceatur, *Quomodo tristitia sit arcenda.*

tur, ob rem nihili & nullius momenti dolorem concipi: Siquidem & bona hæc externa & mundana gloria, si in sese attente spectentur, titiuillitio sunt viliora, etsi ab hominibus iniquis æstimatoribus magni fiant, qui in hac sententia plurimum hallucinantur, præsertim cum satis notum sit, hanc æstimationem esse prorsus naturæ contrariam, quæ paucis sit contenta, nec quicquam superfluum ambiat.

Intueamur ipsa hominis rudimenta, cum is in lucem editur, solo lacte contentus fouetur & recreatur, commodeque hoc vno vesci potest etiam toto vitæ cursu cum pane & aqua, quæ quidem regula à natura præscribitur.

At inexplebili appetitui & famelico abdomini, multa alia præter naturam desiderantur, cum huiusmodi homines naturæ legem violantes, caninam famem sibi ipsi vltro contrahant, quæ nunquam expleri possit, at quo magis vorat, eo minus exsaturetur. Sic qui bonis & fortunis inhiant, nunquam tot opes sibi accumulare possunt, quibus acquiescant, sed aceruos aceruis nulla nec corporis intermissione & quiete adhibita, cumulant & superimponunt. Atque id genus homines cum nunquam sibi satisfaciant, in paupertate, quam fugere cupiunt, perpetua versantur, nec fælicem vnquam vitam degunt, etsi totum etiam mundum possederint: siquidem in eo bonorum felicitas posita est, vt quisque sua sorte sit contentus.

Felix qui sua sorte contentus.

Præterea qui bonum illud dici potest, quod vno momento potest excidere & elabi? Deinde quam stultum & vesanum illud est, diuitem iacturam bonorum suorum facientem mærore idcirco confici & tristitia conflictari, qui cum nihil è suis bonis perdiderit? Omnia enim mundi bona sic à Deo nobis concredita sunt, vt quando iubeat eorum reddere rationem & restituere, nusquam liceat detrectare.

Frustra igitur lugeat aut desperabundus indignetur, si cõmissi & depositi rationem Deus expostulet. Hæc sunt vtique remedia, quæ animi Medicus iis proponere debet, qui huiusmodi perturbationibus ex bonorum & honorum iactura conflictari solent.

In

In documenta proponentur eorum exempla, qui ad summum felicitatis humanæ fastigium euecti, in calamitatum & miseriarum abyssos tandem deuoluti & præcipites acti sunt, vt his documentis addiscant, quam vanus & inconstans sit rerum humanarum status, nihilq; in hoc mundo stabile, vnde nos permoueri aut mæroribus confici oporteat.

Cræsus Lydorum Rex inter potentissimos sui temporis Principes relatus, eo nomine à Solone correptus est, quod suam beatitudinem in diuitiis & opibus constitueret: Illud enim certo certius summus ille Philosophus sibi persuadebat, nullum inter mortales hominem existere, qui ante obitum felix nuncuparetur: Hæc tamen verba male apud Cræsum audierunt, propter quæ Solonem tanto est odio prosecutus, vt suo regno eiiceret, & exulare cogeret, tanquam stultum hominem & omni iudicio carentem. At tandem Cræsus à Cyro Persarum Rege captus in bello, quod aduersus iniquius ac audacius, quam par erat, susceperat, tunc se hominem agnouit, cumque se busto proximum cremandum videret, tum exclamauit, ô Solon, Solon, saluberrimi Solonis consilii, licet paulo serius, recordatus. Cyrus Cræso longe prudentior, & res humanas attentius peruidens, cum Solonis hanc vocem ex Cræso audiisset, Cræsum ab incendio liberauit, & apud se toto vitæ tempore honorificentissime habuit, instabilitatis & inconstantiæ rerum mundanarum memor. *Quomodo Cræsus euaserit supplicium.*

Per me deinceps id genus ægris, nempe grauiore tristitia ob bonorum iacturam sese cruciantibus, opportune obiicitur Polycratis exemplum ab Herodoto descriptum: Is Samiorum fuit Tyrannus, qui toto vitæ tempore non tantum Fortunæ alumnus dici poterat, at ipsemet Fortunæ pullus, ab ea conceptus & editus, vsque adeo mundana omnia ex voto succedebant & arridebant. Attamen cum mortem obiret infamem, probrosam & calamitosam, quantæ infelicitati tandem fuerit mancipatus, cui bonorum omnium suorum auxilio non potuit eripi, satis superq; patefecit.

Licet enim innumeris opibus scateret, illæ tamen non impedierunt, quin ab Oronte Persarum Satrapa, captus patibulo misere & & ignominiosissime suffigeretur. *Miserabilis interitus Polycratis.*

M. Crassi exemplum. In vltimum exemplum afferemus M. Crassum, qui ex inope diues factus, imo inter Romanos omnium opulentissimus, qui non vereretur iactare sibi neminem videri diuitem, qui per annum integri exercitus impensas non sustineret, miserandum tamen fatum immensis suis diuitiis non auertit, quin misere à Surene Parthorum Duce caperetur, captus bonorum omnium iacturam pateretur, quin imo à victoribus trucidaretur, & trucidati caput truncatum & amputata dextra ad Hyrodem Armeniæ Regem in trophæum mitterentur.

Hæc & similia exempla eorum oculis subiicienda sunt, qui huiusmodi lethalibus ægritudinibus correpti sunt, ob amissos liberos, naufragia bonorum, honorum imminutionē, & aliquid aliud simile. Sic enim eorum frustra agitatus spiritus, ob res nihili, quæ vel potentissimis huius mundi Principibus illuduntur, reuocabitur & in sedem suam postliminio restituetur.

In vltimum huius malorum curandorum scopum reuulsio est spiritus à tristibus cogitationibus facienda, quæ præstabitur, si iucunda omnia, grata & voluptuosa ægro exhibeantur, quod vtique remedium aptissimum est maximeq; necessarium omni mærori & tristitiæ tam ab externis, quam internis causis ortæ.

Vere igitur Medici in huiusmodi malorum curam vocati officium fuerit, obiecta grata ac animum recreantia, omnibusque modis spiritus exhilarantia proponere, siue verbis facetis & delectantibus id fiat, siue Musica vocali aut instrumentorum harmonia, concentibusque summe mentem reficientibus, quæ spiritus & animum omni delectationum genere pascunt & erigunt: ista enim in huiusmodi ægritudinibus summe conducunt, vnde sic canebat Meander:

Sermo enim est tristitiæ remedium solus,
Tristitiam enim benevolus scit mederi sermo;
Sermo Medicus est, quæ est in animo, passionis:
Animi ægrotantis est medicina sermo.

Præter orationem, quæ non mediocri cuiuis est solatio, diximus & harmoniam Musicam, expressamq; fidibus vocem, suis numeris adaptatis, & varietate rythmorum aures ac animum summe oblectan-

ctantem, huiusmodi morbis non parum succurrere. Cum enim simile simili plurimum afficiatur, animusq; noster ex Pythagoræ sententia sit natura quædam ex harmonia & numeris constans, non modicum certe illis recreatur & iuuatur in suis perturbationibus. Etenim in vocali Musica atq; organica tam exacta est numerorum, rythmorum hæc proportionum concordia, (vt Plutarchus, Boetius, Glareanus, compluresq; recentiores Musici testantur, & scriptis suis docuerunt) vt nihil sit, quod magis animam permoueat & recreet, nihil, quod per externas auras suauiter diuerberatas magis illam afficiat atq, oblectet, quam concentus, & exactæ proportiones, quas cum ingenti voluptate concipit, prout reipsa facile comprobatur. Sit aliquis quippe, qui quatuor aut quinque vocum eleganter temperatarum harmoniam ac melos auribus hauriat, præcipue si à vocibus optime selectis, canoris & suauibus, vt in hac aula Regia videre licet, proficiscatur, is proculdubio mecum fateatur necesse est, nihil vnquam elegantius aut suauius audiri posse, nec re vlla magis animos hominum promoueri ac recreari, cum vel ipsa anima propemodum à corpore præ nimia dulcedine abstrahatur, abripique videatur. Idipsum in choreis emuncti iudicii quilibet homo perspiciet, in quibus mens delectatione rapta, tripudiare potius, quam corpus aduertitur. Neque enim corpus ad modulos mouetur, quin ab ipsa anima agitetur, vt elegantibus motibus huc & illuc impellatur. Accedat hoc superioribus miraculum, & quod vel ipsos infantes ratione carentes, in gremiis suarum nutricum ad suaues eiusmodi cantus, & instrumentorum musicorum harmoniam, suapte natura moueri, suosque eiulatus videas compescere. At nunquid ipsimet rustici vel agrestiores homines, prorsus rudes ac terreni, recreantur eiusmodi instrumentorum suauitate? Quid de belluis & pecudibus dicemus, nunquid constat hac melodia omnes passim moueri, sed præcipue auiculas, quæ ad huiusmodi cantus partes suas præstare & ipsæ velint, cantibusq; suis melodiam istam imitari, aut etiam superare conentur? Quod satis inter alias philomelæ aut luscinias, Cerini ac acanthides testantur, quæ quo magis intonat harmonia, eo spiritus intensiores edunt, vel media etiam nocte, vt victoriam tantæ suauitatis ac melodiæ reportare

Quanta vis Musica.

obnixe contendant. Hinc factum, vt Poetæ, nec citra rationem, confinxerint, ab Orpheo illo Thracico suauiter lyra modulante arbores & rupes pellectas, & de suis motas sedibus, arbores radicitus erutas, quæ tandem melos sequerentur, belluas vel ferociſſimas cicuratas, & ad actum lyræ abreptas atq; leniſſimas redditas. Quæ vtique Poetarum fictio aliud nihil voluit, quam admirandos Harmoniæ Muſicæ effectus repræſentare.

Orpheus Thracicus.

Sed omiſſis fabulis ad rem ipſam veniamus, oſtendamuſque, quanta ſit potentia huiuſmodi rythmorum & concętuum in morbis animi leniendis. Ac primum Saulem Iſraelitarum Regem intueamur, qui quotieſcunq; humore quodam melancholico & furioſo ſpiritu agitabatur, ſola Dauidis lyra demulceri & recreari poterat.

Saul Rex Iſraelitarũ Lyra Dauidis à melancholia reſtitutus.

Quin & ictis Tarentulæ venenoſæ morſu miram melodiæ & concentuum virtutem animaduertimus. Etſi enim varia pro varietate humorum in homine gignantur ſymptomata, omnia tamen, cuiuſcunque ſint generis inſtrumentorum ſono, & Muſicæ harmonia reſtitui ſolent. Scaliger 185. ſuarum exercitationum aduerſus Cardanum: & Matthiol. 57. cap. 2. libr. Dioſcoridis, mira de ea prædicant. De ea ipſa admiranda concentuum poteſtate ipſe diſſerui 4. lib. meorum poematum, quæ magnum mundi ſpeculum inſcribuntur.

Muſica harmonia curat Tarentulæ morſum.

Atque hæc ſunt, quæ Melancholiæ & triſtitiæ remedia exhiberi poſſunt poſtrema, ab externa cauſa ſuſcitatis, quin & harmonia Muſica aliis quoque mœroribus, ex atro humore & melancholico in nobis dominante procreatis, aptabuntur, & opportune ſuccurrent. De cuius humoris curatione nunc nobis dicendum, prout alter ille humor varie ſuis exhalationibus ſpiritus noſtros afficit, ex diuerſo temperamento, quo quiſque prædituſ eſt, vnde varii producũtur effectus, quales ſunt ſtultæ cogitationes, & variæ phantaſiæ impreſſiones, quibus cerebrum multis modis perturbatur. Siue enim morſus Tarentulæ, alios ad riſum compellat facetum, iuxta hominis temperamentum, ſiue ex melancholico humore triſtitiam & luctum ictis progignat, ſiue ferociam, ſiue ſtupiditatem, ſiue mobilitatem, ſiue garrulitatem, ſiue furorem, aut quid aliud ſimile

Varij Melancholiæ affectus.

simile ex eodem temperamento suscitet, quemadmodum ex ebrietatis effectis in vino repletis varia vinorum symptomata, progignuntur, diuersasque hominis ebrietate correpti iuxta suum singuli temperamentum, proprietates, gestus aut gesticulationes edunt, vt alii inde garruli & faceti, alii lugentes, alii ridentes, alii saltitantes, alii stupidi, alii cogitabundi, alii dormiturientes, alii perpetuo vigiles, alii tripudiantes, alii furibundi conspiciantur; Sic in iis qui à Tarentula feriuntur, res habet; quæ tamen omnia symptomata, vt diximus, harmonico concentu compesci solent, iuxta tamen humoris melancholici ægrum possidentis, proprietatem.

Iam vero præter melodias, vt accurate Medicus succurrat, perpendendum est, ex quo genere melancholiæ malum oriatur, vt aptum humori peccanti remedium adhibeat.

Etenim alter ille humor, cum sit præcipua & potissima huiusmodi ægritudinum causa, danda est opera, vt præparantibus ac purgantibus medicamentis, iisque melanagogis aptis & specificis excludatur, cui rei oportune adhibebũtur syrupus de pomis fragrantibus, violaceus de bugloſſa, de epithymo, de cotoneis, de fumaria, vt sint præparantia remedia, eaque vulgaria, quibus succedant, quæ sequuntur, remedia, lapis Lazuli, hellebori arte spagyrica præparati, vt decet, quæ nõ postremum virtutis locum occupant inter purgantia vegetabilia. Hisce remediis exhibitis, ad reuulsiones & deriuationes transeundum, quibus addantur postea, quæ leniunt, & tristitias demulcent, quæ huiusmodi humore pascuntur.

Sed nec tempus, nec locus, nec nostra fert intentio, vt specificæ alia plura remedia hic attexamus, siue interna, siue externa, quæ tum ex vegetabilium, tum ex metallorum familia, infinita erui possunt. Ea enim abunde nostra Basilica chymica suppeditabit, & suggeret etiam alia diætica, seu optima viuendi ratio. Quin & Chirurgia, sanguinis missione, & hæmorrhoidum apertione, aliisque manuum operationibus, suas partes explebit.

Cæterum cum imaginatrix vis in huiusmodi morbis potissimum deprauetur & lædatur, ad eam totum nostræ curationis scopum dirigamus oportet, vt scilicet à falsis suis & illusoriis conceptionibus auertatur, impressionibusque phanaticis liberetur. Quæ

in re non parua desideratur Medici solertis industria. Diximus supra, tres aut quatuor phantasticæ imaginationis ægritudines nonnullis accidisse hominibus, quæ vt mox dicemus, sagaci Medici artificio curatæ sunt, qualis fuit istius hominis deprauata imaginatio, qui nasum se credebat habere vrnæ magnitudinis instar, quem diximus lusoria illa impressione fuisse liberatum à Medico, accommodato illius naso bubulo hepate, ex quo magna frusta rescindebantur, nouacula inuersa naso admota, vt aliquid doloris naso inferretur, qui testaretur excessum illum exscindi, frustis hepatis vndique sanguinem profundentibus, quo tota facies cruentata est, vt hinc sibi nasum restitutum æger crediderit, & falsis stultisque suis imaginationibus fuerit hac ratione explicatus.

Historia de quodam qui nasum se credebat habere vrnæ magnitudinis instar.

Similis fuit ei ille, qui certo credebat se in ventriculo à serpente torqueri, cuius curatio fuit, vt impositio polubro serpente viuo, & vomitorio ægro medicamento ingesto, facile ille persuasus fuerit, hunc serpentem vomitu ex stomacho expulisse, atq; sic se suo morbo expeditum crediderit.

Alius credebat se in ventriculo à serpente torqueri.

Sic in aliis id genus morbis, vbi falsis stultisque imaginationibus illuduntur ægri, magna dexteritate & solertia eorum curationi incumbendum est.

BASILICÆ MEDICÆ
LIBRI TERTII
Pars Secunda.
De secundo Instrumento Therapeutices.

CAPVT I.
De φαρμακευτικῇ in genere.

HActenus diximus de primo Instrumento Therapeutices, quod tractauit sex Res non naturales: Secundum Instrumentum est φαρμακευτικὴ, quæ tractat de Medicamentorum Materia atque Methodo. *φαρμακευτικὴ*

In genere autem Pharmaceutica Instrumẽta illa sunt, quæ morbo occurrunt Remediis, qualia sunt omnia illa, quæ corpus nostrum alterare possunt: Horum alia sunt simplicia, alia composita. *Remedia duplicia: simplicia & composita.*

Simplicia sunt, quæ videlicet à sola natura suppeditantur, & petuntur vel à vegetalibus, vel ab animalibus, vel à Mineralibus: *Simplicia à vegetalibus.*
à vegetalibus sumuntur vel corpora integra, vel partes, vt sunt radices, ligna, medullæ, cortices, folia, summitates, flores, semina, fructus, succi, gummi, resinæ, liquores, olea, &c.

Ab animalibus, sumuntur etiam, vel corpora integra, 1. Partes, videlicet sunt, cornua, medullæ, caro, &c. *Simplicia ab animalibus.*
3. Quæ in iis generantur, vt lac & oua. 4. Opera, vt sunt mel & cera. 5. Excrementa, vt fel, vrina, stercus.

A Mineralibus sumuntur: Horum alia dicuntur ita proprie, alia improprie: Proprie vt sulphur, antimonium, vitriolum ac metalla, qualia 7. Plumbum, stannum, ferrum, aurum, cuprum, argentum viuum, item argentum. Improprie, vt 1. Terræ, quales lemnia, sigilla- *Simplicia à mineralibus.*

sigillatæ, bolus, &c. 2. Lapides, ii vel pretiosi, vel minus pretiosi. 3. Salia. 4. Succi in terra concreti.

Composita medicamenta.

Composita remedia dicuntur, quando ab arte plures naturales res in vnius medicamenti formam commiscentur. In quibus considerantur compositionis causæ, ratio ac modus.

In remediis considerãda differentiæ ac facultates.

In medicamentis præterea considerantur eorum differentiæ ac facultates: Differentiæ 1. ab aliis rebus, vt vel alimento, quod corpus nostrum tantum auget, vel instaurat, vel reficit: Vel veneno, quæ corpus non solum alterant, sed & corrumpunt. 2. Inter se, ita alimenta dicuntur esse medicamenta vel actu, aut potentia: Actu, quæ vim suã actu quasi absoluto & præsenti obtinent. Vt ignis qui actu calefacit, item aqua & glacies quæ actu refrigerant. Potentia, quorum vis primo contactu non percipitur, sed quasi sopita delitescit, nec actu sese exerit, donec à calore nostro aliquo modo immutetur.

Facultates: Harum aliæ sunt 1. vel ratione suarum qualitatum. 2. vel ratione effectuum.

Facultates manifestæ.

1. Suarum qualitatum, harum aliæ sunt manifestæ, aliæ occultæ.

Facultates primæ.

Manifestæ sunt, quæ videlicet nostros sensus afficiunt: quarum aliæ sunt primæ, secundæ vel tertiæ, ab aliis & quartæ. Primæ sunt,

Facultates secundæ.

quæ videlicet habent vim calefaciendi, refrigerandi, humectandi

Facultates tertiæ.

& siccandi. Secundæ, quæ possunt exempli gratia, emollire, indurare, condensare, rarefacere, resoluere, attenuare, incrassare, attrahere, repellere, &c. Tertiæ quæ possunt mouere, vel vrinas, menses aut vomitum, vel carnem generare, aut calculos frangere, &c.

Facultates occultæ sunt in gradu cum quartis vt videre est in sequentibus.

Occultæ facultates: Harum tria sunt genera, vel enim humorem certum peculiari facultate euacuant: vel cum membro aliquo peculiarem cognationem habent, vnde alia medicamenta dicuntur, cephalica, cardiaca, hepatica, &c. vel resistunt venenis.

Medicamentorum facultates in sex classi. Classis 1.

2. Facultates aliæ sunt ratione effectuum, quos in medicina edunt, vnde ad sex potissimum classes referri posse videntur omnium medicamentorum facultates. Ita complectitur classis prima omnia medicamenta quæ ἀλλοίωσιν spectant nouæque qualitatis inductionem, quo referuntur efficacia qualitatibus primis ac secundis.

cundis. Primis, calefacientia; refrigerantia, humectantia & siccantia. Secundis, vt emollientia, indurantia, laxantia, rarefacientia, condensantia, stipantia, obstruentia, adstringentia, aperientia, attenuantia, incrassantia, implentia, detergentia, anodina, narcotica sonum inducentia.

Secunda classis, quæ vi motum conciliando valent, vt attrahentia, repellentia. 2.

Tertia classis, quæ in alicuius generatione consistunt, vt maturantia, pus generantia, carnem generantia, glutinantia, cicatricem inducentia, lac & semen generantia. 3.

Quarta classis, quæ corrumpunt vt corrodentia, putrefacientia, crustam inducentia, adurentia, lac & semen corrumpentia. 4.

Quinta classis, quæ in rei ablatione consistunt, vt lenientia, purgantia, vomitoria, vrinam & menses cientia, secundinam expellentia, fœtum mortuum extrahentia, calculum frangentia & expellentia, errhina, sternutatoria, apophlegmatizonta, expurgantia, pyrotica, bechica, vermes necantia & expellentia, &c. 5.

Sexta classis, medicamenta venenis resistentia & Alexipharmaca, &c. 6. De his in genere sufficienter dictum sit, sed cum de materia medicamentorum sat clare agatur in Basilica nostra Chymica, hic eam pluribus describendum omittimus & mentem nostram dirigimus in medendi methodum, quę etiam requiritur in hac parte pharmaceutica.

CAPVT II.

De methodo medendi & indicationibus.

MEdicinæ subiectum scimus esse corpus humanum, quatenus sanabile: Sanitas vero scopus, à qua functionum omnium integritas. Hinc corpus fruitur sanitate, vel illæsam conseruando: vel ne in totum à causis morbificis supprimatur, præseruando: Vel amissam sanitatem recuperando curandove. Hinc trinum exsistit medicinæ munus, conseruare, præseruare ac curare: Item *Medicinæ Munus triplex.*

& tres medicinæ operatricis partes. (medicina enim authore Gal. lib. de const. artis, in numero artium factiuarum est, quæ aliquid faciunt, & ex parte vitiatum corrigunt) conseruatrix, præseruatrix & curatrix.

1. *Conseruatrix.* Munus conseruatricis proprie est sanitatem in eodem statu tueri ac conseruare, aut parua minus sensibilia vitia, contracta à causis necessariis externis vel internis corrigere. Deinde qui curam suscipit tuendæ sanitatis gratia, tres hos scopos obseruet necessarium est: 1. vtid, quod continuo à corporis substantia dissoluitur salubri diæta restituat. 2. Vt excrementa expellere sciat. Tertius ne animal præpropere seneſcat, prohibeat.

2. *Præseruatrix.* Hinc munus præseruatricis est, si in horum vsu manifestus error cõmittatur, grauioraq; vitia morbis proxima, nascantur aut causæ existant, quæ morbos fouent & augent, verũ præseruatio sanis proprie non debetur, sed ægris aut neutris, idque diuerso modo; Conseruamus enim sana non parata ægrotare; præseruamus neutra corpora, siue sana parata ægrotare, & ægra dum morbi sunt in fieri, & à causa fouentur.

3. *Curatrix.* Munus curatricis est morbum tantummodo respicere, & quantum morbi genitum est proprie tollere.

Officium & munus proprium Medici est, naturæ inseruire, eam scire, causas, differentias ac signa omnium eorum, quę secundum & præter naturam humano corpori insunt probe à se inuicem dignoscere ac cognoscere. Peculiare vero eius officium est, sanos conseruare, conualescentes reficere, senes fouere, causas morborum præcauere, ægros à morbis liberare, symptomataque omnia mitigare, &c.

Harum operationum causa efficiens est natura & ars: Instrumenta vero per quæ operationes absoluuntur, sunt similia naturæ & contraria morbo: Modus agendi est cito, tuto ac iucunde.

Modus agendi.

Materia instrumentorum triplex.

Materia illorum instrumentorum est triplex: Diæta, pharmacia, & chyrurgia. Via & modus inueniendi materias auxiliorum duplex est: Ratio siue methodus per indicationes: Et experientia à sensuum euidentibus.

Metho-

Methodus medendi, est vera ac Homogenea cognitio rerum salubrium, per legitimam rationem & ordinem, perque intentiones & indicationes ad sanitatem conseruandam & amissam recuperandam procedendi: Sub hac continetur methodus curatiua, quæ ratio est perfecta & ordo inueniendi certa cuique morbo remedia ad restituendam sanitatem amissam: & hæc non sine mediis, verum etiam per suas intentiones atque indicationes. *Methodus medendi.*

Scopi curatiui sunt intentiones, quas Medici in agendo proponunt siue cum ad agendum se accingunt, vt sanitatem assequantur. *Scopi curatiui sex.*

1. est, quid sit agendum, an alterandum, an euacuandum, an vero reficiendum, &c.

2. Quibus remediis, an refrigerantibus, excalefacientibus, bilem euacuantibus aut similibus, item an solidis, an liquidis.

3. Quantum agendum, an multum, an parum, ac qua mensura vel gradu.

4. Quomodo agendum an sensim, vel confertim, an continenter, vel per vices.

5. Quo tempore potissimum, an statim in initio, an in augmento vel in statu.

6. Quo ordine, scilicet quid primo, secundo, quid tertio, & quæ cum aliis, quæ sine aliis. Cui additur locus & via agendi.

Indicatio est insinuatio agendi, siue ratio dirigendi actionem, seiuncta ab experientia, sumpta à natura rei siue contemplatione scopi. *Indicatio.*

In indicatione considerantur duo: Indicans & indicatum.

Indicans nihil aliud est, quam quiddam in corpore secundum aut præter naturam obseruatum & designatum. *Indicans.*

Indicatum est illud ipsum iuuans, siue id quod indicanti congruit aut consequens agendum gratia sanitatis restaurandæ. *Indicatum.*

Sunt autem tres primæ indicationes, curatiua, præseruatiua, & curatiua: Sic etiam tria indicantia, vt morbus, morbi causa & facultas. *Indicationes tres.* *Indicantia 3.*

Indicantia etiam à nonnullis coindicantia dicuntur, quæ nõ per se, sed per aliud indicant; Quæ vero impediunt, quod à primo indi- *Indicantia.*

Contra-indicantia. cante suggeritur, ea vel contra indicantia & correpugnantia dici solent, contra indicans autem est, quod per se primo impedit: correpugnans vero quod secundario: Veluti cacochymia euacuationem indicat, coindicant vires robustæ, consuetudo, &c. contraindicant vires debiles, correpugnant ætas, sexus, tempus anni, &c. quæ vires fractas demonstrant. Similiter facultas victum indicat, coindicat ætas, temperamentum, quæ quantæ vires sunt declarant. Contraindicat morbi vehementia, correpugnant symptomata consequentia.

Indicatio curatiua. Indicatio curatiua, teste Gal. 9. Meth. cap. 15. est ipsa contrarietas, quæ à morbo sumitur, sanitati enim morbus contrarius est.

In indicatione 7. sunt consideranda. In hac septem veniunt consideranda, 1. Indicans, seu morbus, qui ostendit quid & quibus agendum in curatione. 2. Indicantia quantitatem agendi in curatione. 3. Indicantia modũ agendi 4. Tempus. 5. Locum & vias per quas. 6. Formam remedii. 7. Ordinem agendi: A parte affecta peculiariter 5. Indicationes sumuntur, nimirum à partis temperamento. 2. Ab actione partis. 3. A figura partis. 4. A situ. 5. A sensu partis. Deinde etiam sumuntur indicationes à rebus naturalibus & non naturalibus. Deinde habenda etiam est ratio indicationum curatiuarum, quæ sunt in singulis morbis: 1. In similaribus. 2. In morbis organicis. 3. In solutione continui. Quibus & accedit ordo, seruandus in curatione, vbi cõplicati sunt affectus. Et denique affectus vrgens: qui triplex: Aut magnitudine propriæ suæ essentiæ: Aut ratione facultatis totum corpus gubernantis: Aut ratione partis ipsiusq; functionis læsæ eadem affectio.

A parte affecta 5. indicationes.

Ordo curationis.

Indicatio præseruatiua vnde. Indicatio præseruatiua sumitur 1. A causa interna siue antecedente. 2. A substantia materiæ peccantis. 3. A qualitate humoris peccantis. 4. A quantitate humoris redundantis. 5. A motu humoris peccantis. Ex motu specialiter quadruplex indicatur remedium; vt sunt 1. Reuellentia: cuius instrumenta sunt, Phlebotomia, cucurbitulæ, frictiones validæ oppositæ partis, vincula dolorifica, lotiones calidæ, clysteres validi, vesicatoria & similia.

Ex motu quadruplex remedium.

Reuellētia.

Intercipiētia medicamenta. 2. Medicamenta intercipientia: quæ vias claudunt & impediunt, ne humor in partem affectam feratur, vnde defensiua vocantur & intermedio spatio adhibentur.

3. Deri-

3. Deriuantia, quæ trahunt humores à parte affecta ad vicinas: vt apophlegmatismus trahit à cerebro per palatum, errhina operantur per nares, &c. *Deriuantia medicamenta.*

4. Reprimentia, quæ à parte affecta humorē tantum repellunt, talia adstringentia sunt, quæ admota partibus affectis, duplicem vsum præstant, nam robur partibus illis afferunt, ne nimis prompte affluxum humorum in se recipiant, deinde contenta in partibus nondum plane impacta exprimunt. *Reprimentia medicamenta. Adstringentium duplex vsus.*

His annotanda succedunt tempus reuellentium ac deriuantium, &c. Item indicatio à quiete & situ humoris peccantis: Deinde tempus euacuationis, quantitas & modus, & denique quando symptomata indicant. Nonnunquam enim ipsa symptomata rationem habent causæ, nimirum vehemens dolor, vigiliæ, animi deliquia, &c. quatenus vires prosternunt vehementerque vrgent: Sed hæc ratio curandi extraordinaria est: Ordinata vero ratio postulat, vt primum causas communissimas tollamus. *Symptomatum ratio.*

Deinde proximas ordine: tandem ipsum morbum; sublato morbo desinunt symptomata & redit sanitas. Complicantur etiam interdum morbi inter se cum suis causis, nonnunquam morbus cum symptomate vehementissime vrgente, &c. *Complicatio morborum.*

Morbus & causa morbifica eadem indicant & consentiunt etiam remedia: in quibus delectus esse debet, pro ratione morbi, causæ morbificæ & natura ægri; Nam extremis morbis, extrema debentur remedia, ast vbi tempus permittit, nullumque periculum in mora, malo etiam non vehementer vrgente, lente festinandum tutoque remediis minus violentis vtendum, habita semper ratione virium; quarum maxima dignitas est. Nam ipsa vita constat ex virium custodia.

Indicatio conseruatiua seu vitalis quinque desiderat 1. Formam. 2. Quantitatem. 3. Qualitatem. 4. Modum, & 5. Tempus. Forma victus sumitur pro ipsius alimenti ad nutriendum seu vires reficiendas efficacia, quæ æqualis, maior ac minor est, quam vires postulant, & quam id, quod de substantia corporis deperditum est: Vnde victus ratio triplex statuitur, vna exacte plena, quando substantiæ corporis & virium plus apponitur, quam deperditum est; *Indicatio conseruatiua 5. desiderat.*

alia simpliciter plena, vbi tantum apponitur, & substantia virium diminuitur; Tenuis vero diuiditur in simpliciter tenuem, & tenuissimum. Subsistunt autem vires in partibus viuentibus, & reste Galen. 11. methodi triplici substantia complentur, spirituosa, carnosa & spermatica solidave. Quælibet harum sui custodiam indicat pro sua substantia, quantitate, & qualitate.

Quantitas victus. Quantitas victus proprie sumitur pro copia maiori aut minori alimenti sub quacunque victus forma; æstimanda autem erit ea quantitas, prout virtus magis minusque indiget, & morbus permittit, vel prohibet. Hippocrat. 1. Aph. 10. Norma victus in ægris est extremus vigor morbi, quo tempore tenuissimo victu vtendum erit in comparatione ad alia tempora. Morbi autem alii acuti, alii longi. Deinde acutorum variæ sunt differentiæ, in omnibus tantum exhibendum quantum opus erit, vt æger ad statum morbi deueniat.

Qualitas victus. Qualitas victus morbo & causæ morbificæ contraria esse debet, sed temperamento, ætati, consuetudini similis: Vnde Hipp. 1. Aph. Febricitanti victus humidus conuenit; Item pueris & qui tali victu consueuerunt. Vbi vero morbus cum temperamento, ætate & consuetudine pugnat, morbo occurrendum, & aliquid ætati; Naturæ & consuetudini tribuendum.

Modus cibandi. Modus cibandi, an sæpe vel raro, an multum vel parum, indicatur ex ipsa indigentiæ & virium magnitudine, habita ratione morbi, nam vbi magna vtilis alimenti indigentia est, & vires debiles sunt, parum sæpeque nutriendum, sin corpus vtili succo abundat, parum raroque contrarium faciendum, vbi vires robustæ sunt cum humorum defectu: Vbi vero redundat vitiosorum humorum copia, iis alimentis vtendum, quæ & vires reficiunt & humores contemperant. Verum in his omnibus aliquid dandum est ætati, regioni, consuetudini & tempori anni.

Tempus cibandi. Tempus cibandi ægrum, est ea hora, qua cibum facilime sustinere potest, aut hora consueta sanitatis; facilime sustinet cibum, quando à morbo minus grauatur. Proinde in intermittentibus aptissimum est cibis declinatio, aut quod longissime recedit à paroxysmorum incursu. In continuis vero hora minoris afflictionis, nisi

tis, nisi vires vehementissime vrgeant, nam in accessionibus cibum præbere noxium est.

CAPVT III.

De differentia medicamentorum & alimentorum, eorumque facultatibus.

MEdicamentum & nutrimentum in relatione quadam ad corpus animatum dicuntur, sed modo & ratione diuersa. Nutrimentum enim dicitur, quatenus in substantiam corporis animati conuertitur, id est, nutrit & auget. Pharmacum vero quatenus à statu non naturali immutat: siue quatenus corpus curatur. Communiter tamen vocabulo φαρμάκου apud græcos, & medicamenti apud latinos non solum morborum remedia, sed etiam venena, & pigmenta continentur. *Nutrimentum.* *Pharmacum.*

Medicamenta proprie vocantur quæ insita vi corpus humanum alterant, sed non corrumpunt. *Medicamentum proprie.*

Venena vero quæ sua natura & alterant & corrumpunt. Alimenta, quæ à corpore nostro alterantur, & in substantiam corporis conuertuntur, siue perfecte ei assimilantur. *Venenum.* *Alimentū.*

Alimenta sunt duplicia: Alia quæ corpori nostro assimilantur, & dum concoquuntur nulla manifesta qualitate corpus alterant, hæc absolute alimenta vocantur. *Alimenta duplicia.*

Alia quæ manifeste agunt, & patiuntur aliquid, sed temporis spatio vincuntur & perfecte assimilantur: quæ absolute nec medicamenta nec alimenta vocantur, sed alimenta medicamentosa, aut medicamenta alimentosa.

Venena etiam sunt duplicia: Alia, quæ nulla substantiæ suæ parte mutata, corpus humanum caloremque natiuum vincunt, atque ad eum fere modum mutant, quo ipsum cibos, veluti venenum viperæ & scorpionis, aconitum, &c. Hæc tota sua natura deleteria vocantur, & alimentis propriissime dictis maxime opponuntur. *Venena duplicia.* *Deleteria.*

Alia sunt, quæ à calore nostro initium mutationis accipiunt; deinde

deinde in multifarias mutationes vertuntur, quibus corrumpi nostram naturam contingit. Hæc non tota substantia, sed quantitate dicuntur δηλητήρια, quia assumpta parua quantitate aut conferentibus mixta sæpe prosunt: Vnde nunc medicamenta, nunc venena dicuntur. In horum numero sunt stupefacientia quale est opium, item & electiue purgantia, qualia Helleborus, elaterium, &c.

Stupefacientia.

In medicamentis efficacia agendi facultati, vt causæ proximæ semper debetur: Et in quolibet medicamento tot sunt facultates, quot diuersæ actionum causæ: Cum facultas medicamenti proprie sit causa proxima actionum.

Facultas medicamenti per se considerata.

Facultas per se considerata qualitas est, consequens Essentiam rei: quatenus vero ad actionem refertur, causa quædam effectrix vocatur, qua mediante agit in determinatum corpus. Insunt autem qualitates aliæ actu, aliæ potentia: Actu quando idipsum quod esse dicitur, nunc aut actu absoluto est, vt ignis actu calidus, glacies frigida est: Nam quod actu dicitur esse, id præsens & perfectum est.

Qualitates ex actu.

Qualitates ex potentia.

Potentia, quando idipsum quod esse dicitur, nondum est, sed potest euadere, si exhibeatur vel corpori nostro admoueatur, leuiter immutatum à nostro calore: Ita piper dicitur calidum, & lactuca frigida, licet actu talia non sint. A Medico considerantur facultates cuiusque medicamenti non absolute, vt in sua natura medicamentum est, sed ad hominem comparatum, & prout in hominem, non in aliud agere potest.

Facultas per accidẽs.

Facultas etiam alia per se est, alia per accidens: Quæ per se alterant, vi propria, immediatè sine alterius alicuius interuentu id agunt: Quæ per accidens, non sua vi, immediatè, sed alterius tantum effectus interuentu.

Ex effectibus 4. medicamentorum facultates.

Ex effectibus 4. facultates Medicamentorum deprehenduntur: quarum aliæ Temperamentum, aliæ Formam substantialem Medicamenti consequuntur. Quæ autem à Temperamento promanant, quia operationum causæ euidentes sunt, qualitates aut facultates manifestæ vocantur: quæ vero à forma substantiali, qualitates occultæ, aut à tota substantia. Illæ ex effectuum ordine & differentia, vt à temperamento promanant, triplices esse deprehenduntur:

tur: nimirum, secundæ & tertiæ. Verum de his facultatibus, non vna est omnium Medicorum opinio, quare eius ambiguitatem hic omittimus & studiosum ad reliquos Medicos de his inferentibus remittimus.

Medicamentum porro duplex est, temperatum & intemperatum: Temperatum vocamus quod vel assumptum, vel admotum corpori humano temperato, calorem, aut naturalem eius humiditatem, nec auget nec minuit, ac proinde quo ad sensum qualitatibus similibus præditum est. *Medicamentum duplex: Temperatum.*

Intemperatum vocamus quod assumptum, vel admotum corpori humano temperato, calorem aut humiditatem eius auget vel minuit. *Intemperatum.*

Quod auget caliditatem corporis temperati, calidum, hoc minuit frigidum; quod auget humiditatem, humidum, quod minuit siccum medicamentum vocatur. Hinc medicamentum intemperatum est quadruplex, itidemque hinc quatuor primæ facultates: scilicet caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas. *Medicamentum intemperatum quadruplex.*

Ex effectibus & recessu à temperato, 4. ordines siue gradus singulis medicamentorum facultatibus Medici assignant: 1. gradus vocatur primus recessus à temperato, vbi obscure aut non nimis manifeste medicamentum corpus temperatum alterat. 2. gradus, est secundus recessus, quando manifeste quidem, sed citra noxam agit. 3. gradus est tertius recessus, quando vehementer, non citra noxam aliquam corpus, temperatum immutat. 4. gradus est summus recessus, quando vehementissime & grauissima cum noxa corpus alterat vel corrumpit. *Gradus medicamẽtorum 4.*

In quolibet gradu Medici tres faciunt mansiones & partes: videlicet principium, medium, & finem.

Modus etiam substantiæ medicamenti triplex est: vt tenuis, crassus & mediocris: Medicamenta tenuis essentiæ ac substantiæ sunt, quæ celeriter in partes tenues soluuntur, siue prompte facileque sese in corpus nostrum & humores inserunt & insinuant. Crassæ substantiæ vero contra, quæ substantiam corporis aut humorum non penetrant, sed hærent & subsistunt. Mediocres, quæ medio modo se habent. *In gradibus considerandæ. 3. Principium, Medium, Finis.*

Qualitates secundæ. Secundæ qualitates communiter dicuntur, quæ à primis promanant, & actiones primarum consequuntur. Consequuntur autem primas tactiles in mixtis, triplices qualitates: quarum aliæ passiuæ dici merentur, quia certa potentia aut impotentia tantum definiuntur, quibus intelliguntur subiecta iis prædita apta vel inepta esse, vt aliquid patiantur, non agant: qualia sunt, quæ ab Aristot. 4. Meteor. cap. 8. & 9. enumerantur: scilicet τηκτὸν, ἄτηκτον, μαλακτὸν, ἀμάλακτον πηκτὸν, ἄπηκτον χυτὸν, ἄχυτον, τμητὸν, ἄτμητον, κμυστὸν, ἄκμυστον, &c. Secundo consequuntur primas tactiles qualitates, præter colores, odores, sapores, cæteræ tactiles qualitates, vt durities, mollities; Tenuitas, crassitudo; tensio, laxitas; asperitas, leuitas; visciditas, friabilitas, item raritas, densitas; plenitudo, vacuitas, &c.

Qualitates passiuæ.

Tertio consequuntur primas, quæ viribus primarum agunt, & actiuæ dicuntur, ac potentia actiua definiuntur: quia subiectum iis præditum aptum est, vt certo & determinato modo in aliud agat: nimirum vt subiectum habile à suo statu in contrarium alteret. Status autem illi sunt qualitates, quas vocauimus: durities, mollities; raritas, &c.

Tertiæ qualitates Tertiæ qualitates, quæ determinatum membrum, aut materiam respiciunt; particulares facultates aut qualitates interdum vocantur, & mediæ quodammodo naturæ videntur, inter facultates secundas & quartas à tota substantia. Nam vt Auerrh. testatur, magna ex parte dependent à forma substantiali: Vnde Fernelius aliiq; plures tres tantummodo medicamẽtorum facultates constituunt, & has vel ad secundas, vel ad occultas referunt. Hæ facultates duplices sunt: Aliæ enim respiciunt contenta, aliæ ipsas partes continentes. Quæ respiciunt contenta, sunt lac, vel semen excitantia, & comprimentia: Menses aut vrinas mouentia & sistentia; calculos minuentia, &c.

Deinde quæ determinatas partes respiciunt, à partibus illis denominantur: Vnde alia medicamenta cephalica dicuntur, quia manifesta qualitate cerebro prosunt, alia cardiaca, quia cordi, alia hepatica, splenetica, bechica, &c.

Medicamentorum facultates Medicamentorum porro facultates secundæ in specie sunt intendens & relaxans: Tensio partis fit vel exsiccatione, à calore humido

humido depascente; vel concretione, à frigore congelante, aut partes tenues exprimente: vel repletione, ex humore influente; aliquando ex humorum consugatione. *secunda in specie.*

Intendens triplex est: 1. est exsiccans, 2. congelans, 3. replens. *Intendens triplex.*

Relaxans quod intendenti opponitur etiam triplex est: 1. Humectans. 2. Calefaciens. 3. Euacuans. Propriissime relaxantia dicuntur, quæ rarefaciunt, & attenuant, vt quæ diaphoretica communiter vocantur. Diaphoretica autem appellantur, quæcunque humores in halitus dissoluunt, vel contenta corporis per cutem dissipant; nobis sunt sudorifera. *Relaxans triplex.* *Diaphoretica.*

Cum autem omne Diaphoreticum rarefaciat & discutiat: Hinc rarefacientia dicuntur quæ crassum solidumque, tenue ac porosum reddunt. Horum omnium similis efficacia non est: Nam alia leuiora sunt, emollientibus vicina aut similia, quæ poros cutis rarefaciunt, tenues humores digerunt, crassos tantum concoquunt, vnde simpliciter rarefacientia dicuntur, vt camomilla, melilotus, parietaria, &c. Modice rarefacientia & quæ his vicina sunt emollientia, quia contemperando cutem que relaxando causam doloris mitigant, Anodyna propriissime dicuntur, communiter vero Anodyna sunt, quæcunque dolorem tollunt. *Anodynæ.*

Hic tollitur tribus modis 1. Anodynis proprie dictis siue paregoricis, quæ nostro calori similia sunt, causam doloris demulcent, concoquunt & æquabilem reddunt, tenuitate partium rarefaciunt porosque aperiunt vt melilotus, camomilla, &c.

2. Tollitur dolor iis omnibus, quæ causam doloris tollunt: veluti si causa sit ab intemperie calida frigidis: si à frigiditate calidis: si à materia, euacuantibus, &c.

Narcoticæ.

3. Omnibus iis, quæ sensum partibus adimunt, nimirum Narcoticis proprie dictis, quæ sua natura vehementissime refrigerant & torporem inducunt, vt opium, mandragora, hyosciamus, &c. *Simpliciter Diaphoreticæ sunt Attenuantia & discutientia.*

Sunt etiam alia laxantia fortiora attrahentibus vicina, sed debiliora, quæ rarefacta cute crassos humores attenuant, & in halitus dissoluunt, vt per se facile dissipentur & discutiantur: Vnde attenuantia & discutientia, aliquando simpliciter Diaphoretica nuncu-

Condensantia. nuncupantur, vt origanum, pulegium, ruta, laurus sem. calida, &c.
Incrassantia. Rarefacientibus condensantia, & incrassantia attenuantibus opponuntur, & spiracula cutis humoresque cogunt & incrassant, frigida crassarumque partium erunt, & modice adstringentia, qualia sunt plantago, myrthus, rosa & similia. Huc referuntur vehementer frigida, papauer, mandragora, &c. Nam si quis modice iis vtatur, condensant, incrassant; si liberalius, stupefaciunt; si liberalissime, mortem inducunt.

Attrahentia. Attenuantibus vicina ἑπισπαστικὰ siue ἑλκτικὰ latinis attrahentia, quæ foris imposita, humores aut vapores ex alto in summa corporis transferunt & discutiunt. Varia autem attrahentium Materia: Alia
Attrahentia occultæ qualitatis. enim occulta qualitatẽ materiæ aut similitudine attrahunt, vt cancer fluuialis tritus & impositus, tela attrahit, scorpius suum venenum &c. Alia manifesta qualitate scilicet calore vel insito vt sinapi,
Attrahentia manifestæ qualitatis. vel adscititio aut contracto ex putredine vt fermentum, fimus columbinus, anserinus &c. Quæ manifesta qualitate attrahunt euidenter calida, tenuium partium, & sicca sunt: quæ calida sunt non supra secundum gradum, leuiter attrahunt: quæ tertio gradu calida valide attrahunt & discutiunt; quæ quarto gradu calida validissime attrahunt. Sub attrahentibus etiam numerantur dropaces,
Repellentia. sinapismi, phænigmi, &c.

Ex his apparent, ἀποπεμπτικὰ, id est repellentia, quæ non ad se foras, sed à se ad interiora, siue à loco cui admouentur, humores mouent & reprimunt, frigida esse crassarumque partium. Verum de repellentibus Medici dissentiunt: Alii enim sub reprimentibus comprehendunt omnia adstringentia: Alii non solum adstringentia, sed etiam oblinentia, incrassantia, oppilantia; contra plurimi sub adstringentibus reprimentia ponunt, & alia adstringentia repellere, alia non repellere volunt; Eius differentiam & distinctionem pete ex authoribus ipsis, sic verior tibi sententia constabit.

Corroborantia. Quæ minus valide adstringunt, vt rosæ, cotonia, santala, &c. viscera partesque firmant & corroborant. Verum sunt & nonnulla
Partes firmantia. repellentia tenuis substantiæ, quæ minus adstringunt quam repellunt, & alte penetrant vt camphora, &c.

Στυπτικὸν proprie siue adstringens medicamentum secundum Auerrh.

uerrh. idem est quod Galeno στυπτικὸν scilicet quod orificia venarum adstringit: Qua significatione facultas στυπτικὴ & ἀναστομωτικὴ opponuntur, ac vis συστατικὴ à styptica distinguitur. Hinc ἀναστομωτικὸν dicitur, quod orificia vasorum recludit, ἐνφρακτικὸν. quod materiam mentibus impactam siue infarctam extergit & euacuat. Tres autem gradus Auerrh. operationum in anastomaticis statuit: 1. humores abstergendi. 2. aperiendi. 3. orificia dilatandi.

Ἀναστομωτικὸν.

Ἐνφρακτικὸν.

Ῥυπτικὸν extergens, & ἐνφρακτικὸν deobstruës, interdum pro eodem sumuntur, differunt tamen potissimum duobus modis: 1. Quod ῥυπτικὸν superficiem corporis & externos meatus expurgat: (vt in vlceribus) ἐνφρακτικὸν vero internas cauitates. 2. Quod extergens calidius est & magis tenuium partium, quam obstruens. Ad ἐνφρακτικὸν reducitur λεπτυντικὸν extenuans & τμητικὸν incidens: Vt enim vasa infarctu liberes, requiritur vt crassa extenuentur, lenta & viscida incidantur & dissecentur. Ἐνφρακτικὸν communiter vocari solet, quod materiam extenuat, incidit & simul meatus expurgat. Extenuantium autem & incidentium similis materia est, magna ex parte calida, sicca: Interdum frigida ac tenuium partium, &c. Deobstruentibus cognata sunt, quæ per os aut aluum manifesta qualitate euacuant: Euacuant autem per aluum alia specifica forma, nimirum catarctica proprie dicta: Alia manifesta qualitate.

Detergentia.

Deobstruentia.

Euacuantia alia specifica forma, alia manifesta qualitate.

Manifesta qualitate per aluum quæ euacuant, ἑκτικὰ siue lenientia communiter dicuntur: Non autem sunt vnius naturæ: 4. enim modis euacuare putantur, vnde ἑκτικὰ quadruplicia dicuntur, nimirum, lubricantia, abluentia, detergentia & comprimentia. Lubricantia sunt, quæ vias ductusque inæquales læuigant, vt humores adhærere nequeant; inæqualitas enim siue asperitas viarum motum impedit, læuitas vero æquales & patentes reddit, vt humores sine impedimento defluant: Lubricantibus abluentia & detergentia contraria sunt: Hæc enim non oblinendo, sed sordes diluendo vias complanant & læuigant: Vtroque etiam modo fit læuigatio, à contrariis vero exasperatio. Ast sub detergentibus abluentia plerumque continentur.

Hypactica quadruplicia.

Lubricantia.

Abluētia.

Abluens proprie dicitur, quod superficiem partium expurgat. Detergens vero, quod altius penetrãs, & tenuiores meatus subiens, sor-

Detergentia.

Comprimentia.

sordes educit. Tandem comprimentia non per se immediate aluum expurgant, sed dum vasa contrahunt, vt humor contentus exprimatur: Itaque improprie aut ex accidente leniunt.

Emplastica. Abstergentibus opposita sunt emplastica, quæ tenuitate sua meatus infarciunt, tenuioresq; humores incrassant, sed manifeste non adstringunt: aliud enim est meatus oblinere & obstruere, aliud adstringere & coarctare.

Emplasticorum materia duplex. Emplasticorum duplex est materia: Vna plane terrea & sicca, sine euidenti frigore & calore: Altera lenta & viscosa penitus, mista ex terreis & aqueis, aliquando etiam ex aereis.

Absorbentia. Absorbentia sunt quæ valida exsiccandi extenuandique vi humores frigidos impactos, & tumores œdematosos & aquosos, aliquando scirrhosos, sed præmissis emollientibus & attenuantibus absumunt. Hæc valide discutientibus sunt vicina, sed magis exsiccantia, adeo vt materiam magis depascant & absorbeant quam dissoluant, cuius generis sunt salia, sulphurea, &c.

Suppuratoria. Suppuratorium ὀκπυητικὸν emplastico simile est, eique cognatum πεπαστικὸν: Nam vtraq; & ὀκπύησις & πεπασμὸς est quædam πέπανσις, id est maturatio, concoctio, sed vitiati humores in conuenientiorem naturæ statum deductio. Est autem suppuratio, humoris corrupti extra venas, in pus conuersio: πεπασμὸς vero, est humorum qualitate nocentium, intra venas potissimum, non in pus, sed in benigniorem naturã conuersio: Vtrumq; naturæ opus instrumento caloris. Ex temperamentorum magna varietate, accidit aliquando vt idem respectu vnius sit suppuratorium, quod alterius sit discutiens, expurgans aut sarcoticum: vt ficus, Rad. altheæ, liliorum, therebint. & similia.

Sarcotica. Hinc proprie σαρκωτικὸν dicitur quod vtrisque facultatibus præditum est, scilicet exsiccat simul & deterget, sed blande sine morsu. Eiusmodi varia sunt pro natura corporis & partium affectarum: siccioribus enim & durioribus corporibus sicciora conueniunt; humidioribus minus sicca. Sarcotica imbecilliora, vlcus reddunt sordidum, vehementiora exasperant, fluxionesque irritant.

Pirotica sequuntur, quæ vehementissime calefaciunt: sub his comprehenduntur φοινιγμοὶ, καυτηριητικὰ, ἐσχαρωτικὰ, & σηπτικὰ: Nonnulli addunt

addunt rubrificantia, vt dropaces acres, & sinapismos. πυρωλικὰ omnia summe calida sunt & igneæ substantiæ, licet modo materiæ differant, vnde discrepantes effectus. πυρωλικὰ.

Rubrificantia sunt, quæ suo ardore humores attrahunt, & cutim rubore inficiunt, necessario non vellicant, nec exedunt, sunt tenuium partium, attrahentibus similima veluti sinapismi, &c.

Phœnigmi, siue vesicatoria proprie dicta, humores proliciũt suo ardore, & supremam cutis partem exulcerant, siue pustulas & vesicas mouẽt, minus tenuium sunt partiũ, sed rubrificantibus vicina. φοινιγμὸι Vesicatoria.

Sarcoticis etiam opposita sunt κατυγρεπικὰ quæ sensim colliquando carnem consumunt, siccitate cum partiũ tenuitate prædita sunt, vt tenuitate illa virtus exedendi cito dissipetur, priusquam longe penetrare queant, & superficiem exsiccando comprimendoque sensim carnem colliquent & absumant, cuius generis vitriolum, alumen, ærugo, &c. Κατυγρεπικὰ.

Supporatoriis opposita sunt σηπτικὰ quæ altius penetrant, quam phœnigmi, & carnem tenuiorem colliquant, insitumque calorem dissoluunt, superioribus acriora erunt crassioriſque substantiæ, sed non absolute crassæ, vt auripigmentum, arsenicalia, &c. quæ qualitate quoque occulta nostræ naturæ sunt contraria: Σηπτικά.

Ἐσχαρωτικὰ hinc insequuntur, quæ altissime penetrant ad ferri candentis similitudinem, cutim ita exerunt, vt crustas inducant, ac etiam dura callosaque corpora absumunt, & ea quibus inhærent, stipitis ritu infixa, excruciant, absolutæ sunt substantiæ, omniumque pyroticorum mordacissima, vt præcipitatus, calx viua, &c. quibus vtimur potissimum in cauteriis potentialibus. Ἐσχαρωτικά.

Hæ sunt differentiæ pyroticorum: ἐπιπλοτικὰ sunt, quæ repleti vlceris summam carnẽ deficcant & indurant, in callũ siue cicatricem cuti similimam: Nam cutis est quasi in callum indurata caro, eique similis cicatrix. Eiusmodi medicamenta necessario sicca sunt, substantiæ crassæ, vt plurimum via adstringente prædita, siue euidente calore & frigore, ac etiam sine morsu, vt humores tenues in superficie absumant ipsamq; contrahant, siue condensent, veluti, hæmatites, tutia, cerussa, &c. Ἐπιπλοτικά.

Inter ἐπιπλοτικὰ numerantur multa. 1. quæ sine euidenti adstrictione deficcãt, vt c. cerui vstũ, corallia, &c. 2. quæ cũ morsu deficcant, & du-

& durioribus corporibus tantum cõueniunt, vt alumen, æs vstum, 3. quæ cathereticis quoque annumerantur.

Glutinantia. Ἐπιγλωττικὰ, συγκωτικὰ & ἐμπλαστικὰ intermediæ quodammodo naturæ esse videntur κολλητικὰ, id est, glutinantia quæ labia cruenti vulneris adducta vniunt, desiccant enim cum adstrictione, sine omni morsu & euidenti calore, ac substantiæ nonnihil crassæ terrenæque sunt, cum quadam tenacitate, qualis in consolida, sanicula, verbena, &c. apparet.

Hæc de secundis facultatibus, nunc ad tertias, initio facto à Diureticis. Διυρετικὰ proprie sunt medicamenta calida & sicca, quæ vim habent incidendi, serosa à sanguine separandi, & humores fundendi, atque in aquosam substantiam mutandi. Mouent autem aliquando medicamenta diuretica vehementer, aliquando mediocriter: Vehementer, quæ cum euidenti calore extenuant & detergunt vt semina calida: Moderate, quæ cum calore temperato vt 4. sem: frigida. Annumerantur etiam diureticis nonnulla, quæ vias vrinæ leniunt vt glyzirrhiza, althæa, &c. Deinde quæ feruorem in sanguine contemperant, sed ea minus proprie diuretica sunt. Quæ valide vrinas mouent, & simul renes ac vasa diuretica expurgant, calculos & arenas dissoluunt & expurgant.

Calculos dissoluentia.

Menses mouentia. Diureticis cognata sunt menses mouentia. Sistuntur menses ob tres causas 1. Ob imbecillitatem facultatis expultricis. 2. Ob vitium sanguinis, quia paucus, crassus, viscosus. 3. Propter obstructionem venarum in matrice, aut quia sanguis auertitur à matrice. Proprie autem quæ obstructiones matricis aperiunt, & abstergunt, & sanguinem ad vterum deducunt, menses mouentia dicuntur: Minus proprie, quæ facultatem expultricem roborant, aut vitia sanguinis emendant.

3. Causæ cur menses sistantur.

Lac & semen promouentia. Quæ menses mouent; similitudinem cum iis habere videntur, quæ lac & semen promouent. Differunt tamen: nam lac & semen mouentia minus sicca sunt, nec vehementer calida, vt menses mouentia: Deinde non carent aliqua humiditate; qualis vis est in anetho & fœniculo viridi ad lac gignendum; in eruca ad semen excitandum. Aliud est lac & semen gignere, aliud prouocare, & materiam ad mammas vel testes deriuare.

Βηχικὰ

Βηχικὰ sunt, quæ contenta in pectore & pulmonibus apta reddunt, vt tussi facile expurgari queant, duplicia sunt, quemadmodum humores: Bechica enim alia extenuant & incidunt, sed sine vehementi calore, vt Hyssopus: Alia contemperant, modice incrassant & leniunt, vt amygdala, nuces pini, &c. *Bechica.*

Ἔρρινα sunt quę superfluam pituitam circa meninges & cerebrum per nares expurgant. *Errina.*

Ἀποφλεγμαντικοὶ sunt, qui per palatum expurgant: hi agunt aliquando occulta qualitate, & plærumque manifesta, incidendo, abstergendo, &c. *Ἀποφλεγμαντικοὶ.*

Postremo visceribus omnibus manifesta qualitate conueniunt, quæ robur membri conseruant, siue adstringendo corroborant, inprimis ventriculo hinc stomachica, iecori hinc hepatica, splenetica, cordi cordialia, capiti siue cerebro cephalica, matrici histerica, &c. *Partes corroborantia.*

Quartæ facultates medicamentorum sunt κακοχυμικὰ, venena Alexipharmaca & appropriata, &c. Hæ autem facultates à temperamento non promanant, nec à materia perfusa qualitatibus primis, sed immediate à tota substantia & forma substantiali, hæ Galeno qualitates à toto temperamento interdum vocantur. Agunt hæ non euidenti modo vt superiores, sed occulta ratione, extrinsecus vel intrinsecus, in bonum aut in malum, dupliciter; vel per motum aliquem localem, vel per transmutationem siue alterationem aliquam. Per motum localem tripliciter: 1. vel retinendo reprimendove ea, quæ præter naturam mouentur, in parte aliqua sistunt. 2. vel expellendo. 3. vel attrahendo è corpore noxia educunt. *Quarta facultates.* *Qualitates à toto temperamẽto.*

Καθαρτικὰ sunt, quæ certos ac determinatos humores educunt, aut saltem naturam ad eorum expulsionem irritant, dicuntur hæc electiue purgantia, & ab iis, quæ manifesta qualitate lubricando, abluendo, extergendo, comprimendo, quicquid obuium est euacuant. Euacuant autem peculiari proprietate vnum humorem determinatum potissimum, vt Rhabarbarum, bilem: Agaricus, pituitam: Helleborus, melancholiam; iris, aquas, &c. *Καθαρτικὰ.*

Deinde euacuant etiam alia ex quacunque parte corporis, alia ex peculiari potissimũ, vt quando Rhabarbarum ab hepate magis,

aloe ab inteſtinis & ventriculo, Agaricus à capite hermodactyli ab articulis potentius trahunt, &c. Præterea purgant alia magis per ſuperiora, alia per inferiora, &c. Per tranſmutationem aut alterationem aliquam, occulta ſubſtantiæ proprietate agunt medica medicamenta triplicia. 1. Deleteria ſiue venena. 2. Antidota, ſiue alexiteria vel alexipharmaca. 3. appropriata.

Venena. 1. Venena medicamentis & alimentis opponuntur, hæc potiſſimum cor fontem caloris natiui oppugnant, ipſamque ſubſtantiam caloris corrumpunt. Sunt autem venena non vnius generis, nec etiam vno modo agunt: Alia manifeſta qualitate interimunt, alia ſolius ſubſtantiæ proprietate. Manifeſta qualitas illa vel eſt, calida, vel frigida, vel ſicca, nonnunquam proprie humida. Sic calida corrodunt, vt lepus marinus: Vel inflammant, vt euphorbium, vel putrefaciendo corrumpunt veluti ſublimatus. Frigida vel congelando cor cum ſpiritu & ſanguine interimunt vt opium: vel obſtruendo vis ſpirituum impediunt veluti gypſum, &c.

Deinde ſicca vel depaſcendo humidum vt calx viua, vel erodendo vt arſenicum, mortem afferunt. His adduntur validiſſime purgantia, quæ violēter, & cum grauiſſimis ſymptomatibus euacuant. Verum quæ non tam manifeſta qualitate, quam totius ſubſtantiæ contrarietate calorem natiuum corrumpunt, & cor fontem caloris lædunt, ſunt ictus ſcorpii, viperæ, napellus, &c. Hæc dicuntur venena à tota ſubſtantia potiſſimum.

Ἀλεξιφάρμακα. 2. Venenis contraria ſunt alexipharmaca ſiue alexiteria propriè dicta, hæc venenum proliciunt, vel contrarietate ſubſtantiæ ſuæ vires eius frangunt, obtundunt, planeq; immutant, & cor confortant: Sub hoc genere continentur theriaca, mithridatium, lapis bezoar, ſem. citri & alia plura, quæ & alterant, & venenum à corde expellunt. Verum venena quæ euidenti calore potiſſimum interimunt, contrariis alexipharmacis alterantur & curantur, vt calida frigidis, ſicca humidis, &c.

Appropriata. 3. Quæ peculiari proprietate certas humani corporis partes reſpiciunt eaſque tranſmutant, alia totius ſubſtantiæ familiaritate iuuant, alia totius contrarietate lædunt. Totius autem familiaritate ſiue quadam *συμπαθείᾳ* ſaluia capiti, pulmo vulpis pulmonibus, &c.

con-

conferunt. Sub hoc genere comprehenduntur omnia, cephalica, stomachica, hepatica, &c. quatenus familiaritate substantiæ agunt. Item quæ certis morbis conueniunt, vt pœonia, viscus quercinus, cranium microcosmi, epilepsiæ: stercus canis, angiuæ: cinis leporis, sanguis hirci, calculo: cerebrum leporis, tremori: Verum totius substantiæ contrarietate siue ἀντιπαθείᾳ, cantharides vesicam, lepus marinus, pulmones exulcerat, mercurius dentibus & neruis infensus, &c. Hæc de medicamentorum facultatibus.

CAPVT IV.

De modo indagandi & explorandi vires medicamentorum, deque medicamentorum differentia respectu materiæ.

FVndamenta medicinæ duo, sic & duplex modus indagandi vires medicamentorum, primus fit per rationem, alter per experientiam: De primo seu de ratione prius dicemus, deinde & de experientia. Cognitio de medicamentorum viribus per ratiocinationem, ex primarum qualitatum manifestis effectibus oritur.

Modus indagandi medicamenta duplex.

Modus indagandi per ratiocinationem.

A primis qualitatibus autem in generatione mixti, duplices promanant effectus: Alii priores, alii posteriores.

Duplices effectus à primis qualitatibus.

Priores sunt vel meræ passiones mixtorum, nimirum congelatio, condensatio, resolutio, emollitio, &c. vel passiuæ qualitates vt combustibile, incombustibile, durabile, indurabile, &c.

Posteriores sunt obiecta sensuum, scilicet colores, odores, sapores, durities, mollities, quæ termini sunt passionum, & mixtionem consequuntur. His addit Auerth. considerationem loci, regionis, temporis, & naturalium operationum. Ex his omnibus sumitur coniectura aliqua de temperamento medicamenti: Nam primum ex modo congelationis, inspissationis, &c. Quæ frigore dissoluuntur, coagulantur siue concrescunt calore, & contra: quæ à calore tantum concrescunt; frigida siccaq; iudicantur. Quod vero à frigore tantum concrescit, sine actione caloris, frigidum humidumque est, vt sentit Auerrhoes.

Præterea ad obiecta sensuum quod attinet, cum in omni colorum genere calida, frigida, humida, sicca reperiantur, solo visu ex coloribus, de medicamenti temperamento nihil certi colligere licet, multo minus ex auditu, cum parũ referat in viribus indagandis, an medicamẽta sonora an insonora sint: Nec ex asperitate, leuitate, duritie, &c. Nam plurima tam dura, quam mollia, aspera quam leuia &c. oppositarum qualitatum sunt, & diuersimode corpora nostra afficiunt.

Præterea nec ex odoribus, nisi propter sapores, cum in homine olfactus obtusissimus sit, vt nihil pene olfaciat, sed cum sensu doloris aut voluptatis: Deinde quod plurima medicamenta odore omni careant, ac ex tam fœtidis, quam bene odoratis multa diuersas plane vires habeant. Nec etiam ex regione, loco & tempore, aut ex naturalibus quibusdam operationibus, vt ortu, incremento, fructificatione, &c. vt Auerrh. 5. collig. cap. 30. proponit. Nihilominus ex his omnibus de temperamentis medicamentorum aliquam interdum coniecturum facimus, sed ea incerta & dubia est.

Sapor. Sapor est qualitas orta ex sicco terreo diluto aqueo humore, actione calidi in mixto, determinante forma substantiali.

Distinguuntur autem sapores pro varia mixtione cum sicco, per diuersam actionem caloris. A Medicis enumerantur octo: vt 1. calidi tres, acris, amarus, salsus. 2. tres frigidi, vt acidus, acerbus, austerus. 3. temperati, pinguis, & dulcis, cui addũt nonnulli & insipidũ.

Sapores octo.

Ex his saporibus in dignoscendis medicamentorum facultatibus, decet Medicum præexercitatum esse in sensu gustus, & vniuscuiusque gustus proprietatem exacte tenere, deinde causas saporum & vires medicamentorũ ex saporibus indagare: verũ oportet ante omnia naturalem saporem cuiuscunq; medicamenti ab adscititio distinguere, item simplices sapores à compositis, &c.

Acerbus. Acerbus sapor hic linguam contrahit, & contrahendo exasperat: hic percipitur in galla immatura.

Austerus. Austerus sapor, hic linguam moderate contrahit, hic potest percipi in cydoniis. Causa vtriusque est dominium ficci terrei, à calore parum attenuati, & humido non satis permixti: Verum austerus sapor fit ex sicco magis attenuato, meliusque permixto aqueo humo-

humore, quam acerbus. ab Aetio acerbitas tripliciter resoluitur. 1. vel calefactione, 2. vel humectatione & 3. vtraque simul. *Triplex resolutio acerbitatis.*

Acidus sapor, hic linguam sine sensu caloris alte facileque penetrat, ac in terram effusus ipsam fermentat: hic percipitur in oxalide; oritur ex sicco terreo permixto copioso tenui humido, à calore attenuante, sed non perfecte elaborante, quia citius calor deficit aut exhalat, quam terminum assequatur. Hinc differentia est huius saporis in simpliciter acidam, cum tenuitate substantiæ, & vehementer acidam veluti acerbus. *Acidus.*

Dulcis sapor, hic cum manifesta iucunditate gustum oblinit & replet, ad nullum excessum trahendo: talis percipitur in sacharo. *Dulcis.*

Pinguis sapor, hic linguam cum lentore oblinit, & idem in gustu efficit quod dulcis, sed sine manifesta iucunditate; hic in oleo maturo percipitur. Oritur vterque in mixtis à calore proportionato, vt cæteri sapores ab inproportionato. *Pinguis.*

Acris sapor gustui oblatus, hic linguam cum vehementi calore penetrat, inflammat ac mordet: talis in pipere & cæpis deprehenditur. Oritur in generatione mixti ex sicco terreo permixto sufficienti humido, à calore igneo attenuante, & ita elaborante, vt efferuescat pars tam humida & sicca. *Acris.*

Amarus sapor est, qui linguam detergit, & cum grauissima molestia abradendo exasperat, & contrarium plane in gustu efficit ei, quod dulcis: hic in felle & colocynthide percipitur. *Amarus.*

Generatur à vehementi calore humidum totum fere exhaurente, & siccum terreum adurente.

Salsus sapor amaro propinquus est, vterq; enim linguam absterget, sed salsus magis eluendo, quam abradendo. Generatur salsus sapor ex sicco terreo, permixto copioso humido aqueo, à calore assante, verũ non prorsus humidũ depascente, sed cũ sicco cogente. *Salsus.*

Insipidus siue aqueus, proprie sapor non est, sed priuatione saporis intelligitur: Hic in aqua simplici & cucurbita aliquo modo percipitur. Oritur autem insipidum, non vt sapor, ex sicco terreo transcolato per humorem aqueum, verum ex materia crassa, non plane transcolata, sed potius perfusa humore aqueo, sine euidenti calore. Hęc pauca dicta sufficiant, de natura simplicium saporum, & ratione di- *Insipidus siue aqueus.*

ne dignoſcendi ex ſynceris ſaporibus vires medicamentorum: Nunc agemus de modo indagandi per experientiam.

Modus indagandi per experientiam.

In indagandis viribus medicamentorum per experientiam tria obſeruanda ſunt 1. Efficiens, id eſt medicamentum, quod explorare debemus, idque duplici modo 1. omni qualitate aliena, ſiue adſcititia aut accidentaria liberum eſſe debet, & ſua inſita facultate tantum agere. 2. ad agendum idoneas ſufficientesque vires habere, nimirum morbo ſemper oppoſitas, ſed lapſui morboſo gradibus, ſi fieri queat, æquales.

Tripliciter conſideratur.

1. Medicamentum

2. Subiectũ corpus in quo exploramus vim medicamenti.

2. Subiectum corpus, ſiue patiens in quo exploramus, eſt potiſſimum corpus humanum, ad quod proprie medicamentum refertur, & à quo præcipuum iudicandæ facultatis experimentum ſumitur: Quam enim vim in homine, eandẽ in alio animali non neceſſario ſortitur, licet in aliis interdum experimentum fiat. Corpus aliud eſt ſanum, aliud ægrum: ſanum vel temperatũ, vel intemperatum: Ægrũ, hinc aliud ſimplici, aliud cõpoſita laborat intemperie.

Corpus duplex.

Duplex medicamenti experientia.

Medicamentum experimur duplici de cauſa: 1. vt ſciamus ipſam facultatem tantum, vel facultatem & facultatis gradum, an calefaciat, vel refrigeret, & quo gradu: non autem an illi corpori proſit, vel obſit. 2. Experimur gratia ſanitatis in illo indiuiduo, an lædat vel iuuet.

3. Tempus & modus.

3. Obſeruandum in indagandis viribus medicamẽtorum modus ac tempus agendi. Non enim omnia vno eodemq; modo ſemper agunt, ſed nonnulla aliter initio quando applicãtur, deinde aliter. Si medicamentum à principio ad finẽ vno eodemq; ſemper modo agat, id eſt, calefaciat vel refrigeret, &c. Certum experimentum erit, per ſe & vi inſita agere, ac proprie calidum aut frigidum eſſe.

Si initio vno modo, deinde alio modo agat, experimentum dubium erit, & incertũ vtra actio ſit per ſe, id eſt, vi inſita & immediate, vtra ex accidente, ſcil. aliena vi aut mediante alio effectu.

Accidens agit duobus modis.

Duobus enim modis agit aliquid ex accipente: Veluti aqua calida admota corpori primum aliena adſcititia qualitate calefacit, deinde inſita vi refrigerat: At aqua frigida liberaliter affuſa æſtate iuueni laboranti tetano, primum vi inſita refrigerat, deinde ex accidente, quia calorem intro coercet, calefacit, &c. nunc de materia medicamentorum agemus.

Medi-

Medicamentum omne respectu materiæ, aut simplex aut compositum est: Simplex medicamentum vocamus, quod secundum suam naturam syncerum est, aut sua natura tale, ab arte nihil alieni permixtum habens. Compositum est, quod sua natura syncerum non est, sed arte ex diuersis commixtum. *Differentia medicamentorum.* *Medicamentum simplex.* *Compositum.*

Simplicium materia teste Gal. 6. de sumpt. mesi. fac. cap. 1. & 1. de compos. per gen. ca. 1. sumitur ex vegetabilibus, mineralibus & animalibus. *Materia simplicium triplex.*

Sub vegetabilibus continentur omnes siue plantæ, nimirum arbores, frutices, & herbæ; earumq; partes vt sunt radices, rami, ligna, cortices, stipites, surculi, folia, flores, semina, fructus, succi, liquores, gummi, resinæ, olea, &c. *Vegetabilia eorumque species.*

Sub mineralibus continentur non solum fossilia, sed etiam aquæ Thermales, & omnia mixta inanimata, cõtenta terra & aquis: Talia sunt metalla septem, eorumque recrementa, lapides ac gemmæ, terræ insigniores, media mineralia & minima, &c. his adduntur & illa quæ ex metallicis arte composita sunt. *Mineralia.*

Ex animalibus medicamentorum materia sumitur vel totis, vt sunt lumbrici, cantharides, &c. vel ex partibus aut excrementis animalium, veluti pinguedines, adipes, &c. Item ossa humana, cor cerebrum, caro, lapides cancrorum cornu, sanguis, tunicæ ventriculorum, &c. Item lac, oua, mel, cera, fel, vrina, stercus, &c. *Animalia eorumque partes.*

Horum vires & gradus quantum fieri potest, medico indagandæ sunt: simulac obseruatis iis, quæ simplicium vires augent ac minuunt qualia sunt: Regio, tellus, cultura & situs loci vbi proueniunt, item tempus collectionis, & ætas, tandem præparatio. Dosis medicamenti ac quantitas, in humano corpore mediæ ætatis ac constitutionis, ex facultatis ipsius ordine siue vehementia deprehenditur. Quæ enim pari ordine sunt, eademq; vehementia agunt, pari mensura siue dosi statuuntur: quæ dispari modo agunt, dispari dosi. Verum in alterantibus potissimum, pro magnitudine situque partis affectæ, dosis augenda minuendaque est, &c.

Nunc ad compositionem medicamentorum, eorumque causis.

CAPVT

CAPVT V.

De compositione medicamentorum, eiusque causis, modo componendi, ac differentiis compositorum.

Quid? medicamentum componere.

MEdicamentum componere, est plura simplicia in vnam aliquam formam redigere, gratia sanitatis restituendæ, aut conseruandæ, nimirum vt instrumenta idonea habeamus, ad id præstandum, quod indicatio requirit. Vbi igitur nullum simplex aptum reperitur ad id perficiendum, quod necesse est: Compositio aliqua necessaria est.

3. Causæ compositionum medicamentorum.

Scopus & necessitas omnis compositionis dependet à tribus: 1. vel ab ipso affectu, eiusq; causa & symptomatibus. 2. vel ab ipsa parte affecta, cui curatio debetur. 3. vel ab ipso medicamento, quo curatio perficitur.

1. Causa compositionis res præter naturam in corpore.

Omnium autem maxime necessaria componendi causa, est morborum diuersitas, item causarum & symptomatum vrgentium.

Teste Galeno 1. Method. Quilibet affectus, pro sua natura remedium indicat: simplex affectus, simplex remedium, simplici facultate præditum: compositus affectus, remedium compositum, aut natura vel arte tale. Si morbi complicantur, diuersa quoq; aut contraria exigunt remedia, vel in vna parte, vt vlcus cum inflammatione: vel in diuersis, vt hydrops cum febre.

Indicat etiam interdum aliud morbus, aliud symptoma vrgens, vt inflammatio in principio cum vehemente dolore: Deinde quæ à diuersis aut contrariis oriuntur causis, diuersa aut contraria exigunt remedia.

2. Causa compositionis natura agri, partisq; affectæ.

Secundo ipsa pars affecta, ægrique natura & constitutio, componendorum medicamentorum occasionem præbent.

5. Considerantur in parte affecta.

In parte affecta 5. considerantur. 1. Actionis dignitas: Laborante enim ventriculo, hepate, aut alia parte principe, non solum solis relaxantibus, verum & astringentibus vtimur, ne robur visceris dissoluatur, vel etiam alia quæ facultate substantiæ corroborant, vt monet Gal. 13. methodi medendi.

2. Vis medicamenti ad partem in profundo, aut remoto loco situm

tum non facile deducitur, nisi admixto aliquo, quod tenuitate aut peculiari proprietate eo penetret, aut quasi vehiculum sit: alioqui in longo itinere, magnoque interuallo, de virtutis robore multum perit. Sub situ continetur connexio partis cum aliis. 1. *Actionis dignitas.* 2. *Situs ac connexio partis.*

3. Temperamentum conseruatione semper indiget; Vbi enim cum temperamẽto morbus plurimum pugnat, vt si cerebrum erysipelate laboret, non solum vehementioribus indiget, sed etiam quæ partis temperamentum, & robur tuentur, & conseruant, præcipue si pars princeps sit. 3. *Temperamẽtum.*

4. Conformatio partis: Hæc medicamenti formam, modumque vtendi præscribit: componendorum medicamentorum occasionem aliquã exhibet: Propter formã enim idoneã multa miscemus. 4. *Conformatio.*

5. Quando pars acuti sensus validis remediis tentanda non est, ne vires dolore dissoluãtur, aut partes in consensum trahantur: Remedia congruentia erunt contemperanda, & si acria validaque ea; Miscenda, quæ acrimoniã obtundunt, & partis robur confirmant. 5. *Sensus partis.*

Qualis ratio partis affectæ: Talis & ipsius Ægri. In ægro autem considerantur ætas, sexus, consuetudo, vitæ genus, temperamentum, naturæ proprietas, hæc omnia Medici intentionem variant, & compositionis causam præbent. *Natura ægri.*

Tertia causa compositionis, est in ipsis medicamentis, quod nullum tale simplex reperiatur quale cupimus, & necessitas exigit. Non reperitur potissimum 1. vel ob minus idoneam substantiam. 2. vel non debitã qualitatem. 3. vel non iustam quantitatem. 4. vel minus conuenientem agendi modum. His & 5. addimus duas alias necessitates, scilicet formã, vt & medicamenta πολύχρηστα habemus. 3. *Causa compositionis in medicamentis.*

Porro in compositione medicamenti 6. probe obseruanda sunt. 1. Quid situm sit in ratione substantiæ, quæ varia variumq; apparatum, & permixtionem, requirit: Exempli gratia si liquidis sicca, & sicca liquidis miscemus: Item crassis, attenuantia, & attenuantibus crassa: putrescentibus, conseruantia, &c. 1. *Ratione substantiæ.*

2. Ratione qualitatis: Qualitas enim siue vis medicamenti simplicis aliquando intentione necessaria est, sed affectui non proportionata, & vel nimis remissa, vel intensa, vel cum malignitate aliqua coniuncta, vel parti affectæ non appropriata. 2. Aliquando 2. *Ratione qualitatis medicamenti.*

facultas aliqua medicamenti intentioni necessaria non est, sed superuacanea & aliena. 3. quod maligna qualitate præditum est, benignioris permixtione obtunditur aut contrariis contemperatur aut mitigatur. 4. Si parti affectæ, medicamentum appropriatum non sit adduntur dirigentia. 5. Si medicamentum superuacanea, non necessaria qualitate, sit præditum, vt si sola humectatio intentioni nostræ necessaria sit, & detur medicamentum frigidum humidum: tum debita permixtione calidi humidi frigiditatem illam superuacaneam temperabimus, & intentioni nostræ satisfacimus. His accedit saporis, odoris, interdum caloris iniucundi, &c. Item & color corrigitur interdum, præsertim in vnguentis; Deinde vt iucunda sint & foliis auri quædã integuntur, &c. 3. Propter quantitatem non debitam, interdum compositio necessaria videtur, sed rarius, & potissimũ, vbi iusti medicamenti necessarii quantitas deficit, qui defectus alio simplici, eiusdem facultatis, suppleri debet: vt si opus sit drach. ij. agari: & ii deficiant, suppletur turbith. 4. Modus agendi medicamentorum, vbi intentioni nostræ non satisfacit, compositionis occasionem præbet. Intentio est, vt nunc cito nunc tarde agat: nunc facile penetret, nunc subsistat, aut non descendat, &c. Horum omnium ratione aliquid plærumque miscemus. 5. Ratione formæ: Formæ autem multiplex vtilitas, alii enim hac alii illa forma delectantur: Deinde aliæ atque aliæ formæ, aliis affectibus, partibusq; affectis, & operationibus, magis accommodatæ sunt, vt pilulæ magis à capite, potiones vero è ventriculo & aliis vicinis partibus trahunt. Propter formam varia etiam miscemus: Et cum forma coniungimus medicamenta conseruantia. 6. Hic scopus compositionis est, vt medicamenta περιχρηστα semper in promptu habeamus, qualia sunt theriaca, diacatholicon, &c. quæ variis vsibus seruiunt, & intentioni nostræ prompte satisfaciunt. Nunc de modo componendi medicamenta.

3. Ratione quantitatis.

4. Propter modum agendi.

5. Ratione formæ.

6. Propter varias cõpositorum vires.

Duo requisita in modo componendi medicamẽta.

Modus componendi medicamenta duo requirit 1. Morbi speciem & magnitudinem, conditionem ægri, partisq; affectæ. 2. Naturam simplicium; eorum facultates, facultatum gradus ac dosis. Morbi species & magnitudo ex suis causis & signis indagatur. Natura ægri, partisque affectæ ex Physiologia petitur, de his in præcedentibus facta fuit mentio. Simplicium facultates, facultatum que gradus,

gradus doſes ac præparationes pete ex noſtra Baſilica chymica in lib. de animalibus ac vegetabilibus.

In compoſitione medicamentorum vna pars principalis eſt radix, & domicilium curationis, hæc per ſimilitudinem dicitur Baſis. Velut in ædificio, columen eſt baſis, ſiue fundamentum, cui totum ædificium ſuperſtruitur: Ita in compoſitis medicamentis, baſis eſt pars illa præcipua, quã cæteræ omnes ſpectãt, profligando morbo, accõmodatiſſima. Putatur autẽ accõmodatiſſima ſi morbo plane æqualis, id eſt qualitatẽ & quantitatẽ, ſiue gradũ idoneum habeat. *Baſis.*

Affectus alius ſimplex, alius compoſitus: Ita baſis, quæ affectui correſpondet duplex, alia ſimplex, alia duplex. *Baſis differentia.*

Simplex baſis duobus modis dicitur: 1. Vno modo ſimplex eſt, quæ vnum vſum præſtat, licet ex pluribus ſimplicibus eiuſdem facultatis, compoſita ſit vt in elect. diatrioopiperem. *Baſis ſimplex duobus modis dicitur.*

2. Alio modo dicitur, quæ vno ſimplici medicamento conſtat, vt aloe in hiera picra.

Baſis compoſita duplex eſt: 1. vel quæ plures vſus præſtat: 2. vel quæ ex pluribus ſimplicibus compoſita eſt. *Baſis compoſita duobus modis dicitur.*

Quæ ex pluribus ſimplicibus, eadem facultate præditis eſt compoſita, pro ſimplici habetur, quia vni intentioni tantum ſatisfacit. Quæ vero ex pluribus diuerſa, aut cõtraria facultate præditis compoſitæ ſunt, baſes compoſitæ potiſſimum vocantur, quod varios, diſcrepantesq; vſus præſtent, ex quib. fiunt medicamenta πολύχρηστα, quæ diuerſas operationes edunt. Baſis variatur pro qualitate, & quantitate cæterorum componentium quæ baſi inſeruiunt, vel ratione morbi, & cauſarum morbificarum, vel partis affectæ. Si morbum, cauſaſq; morbificas reſpicis: Baſis aliquando morbo accommodata plane eſt, aliquando non, & inæqualis. Inæqualis autem, quia vel nimis remiſſa, vel nimis intenſa, vel maligna, vel aliena ſiue non neceſſaria qualitate prædita. *Baſes in genere.* *Baſis varietas.*

Vis baſis ſi ignaua ſit, debilis ac tarda, aut in materia minus efficaci: extimulantibus & acuentibus corrigitur: ſub acuentibus continentur corroborantia. *Baſin corrigentia.*

Si baſis ſit nimis vehemens, violenta, acuta, corrigitur refrenantibus. Si maligna, aut aliena qualitate prædita: ad mixtis contrariis contemperantibus benignioris naturæ. Sub his continentur, *Baſin dirigentia.*

quæ calorem, odorem, saporem iucundum reddunt. Appropriata vero parti affectæ redditur basis directionis, seu dirigentibus. Sub dirigentibus cõprehenduntur, non solũ quæ familiaritate substantiæ parti cõueniunt, sed etiam quę vias ductusq; aperiunt; Humores præparant, & concoquunt. His adduntur basin conseruantia: horũ trium proportio in cõpositione medico summopere obseruãda est.

Basin conseruantia.

Vis medicamenti iudicatur ex basi, cui in compositione cætera seruiunt: nam ex debita simplicium proportione tota compositionis ratio dependet. Dosis vero & determinata quantitas basis, dependet ex ipsius facultatis vehementia. Si basis est robusta minorẽ in compositione sumimus quantitatẽ: si debilis maiorem: si mediocris mediam: attamen variatur dosis siue quantitas pro natura ægri, magnitudine, sensu, situ & dignitate partis affectæ, item actionis celeritate aut tarditate.

Proportio Basis.

Composita basis, pro ratione componentium, multis modis variatur. Commiscentur a. medicamenta secundũ qualitates primas, secundas, tertias aut quartas. Secundum primas a. quando in Vno simplici non datur gradus quem cupimus, sed vel remissior, vel intensior, vt si opus sit medicamẽto calido secundo gradu, & nullum detur simplex tale, sed vel calidum, aut frigidũ gradu primo, & calidum in tertio gradu; dubitatur, nõ solum ex quibus componi debeat calidum secundo gradu: sed etiam de dosi singulorum. Nam de proportione ordinum siue graduum in alterantibus non cõsentiunt Medici. Quare qui varias opiniones medicorum de gradibus eorumque partibus legere cupit, ipsissimos eos consulat, nos præteribimus.

Compositio Medicamẽtorum secundum qualitates primas.

Cum autem medicamentorum compositio, vera mixtio non sit, nec ipsa simplicia, quæ in potentia tantum sunt, & actum à corpore nostro recipiunt, in compositis agunt, aut patiuntur, nec à se inuicẽ contemperantur, nisi accedat Fermentatio, quæ nihil aliud propriè est, quam per mutuam alterationem vnio, quæ pristinæ singulorum vires integræ non permanent. Nam Theriaca recens aliis viribus, quam vetus, prædita est. Ante fermentationem igitur singula simplicia in compositis, vbi à calore nostro tantum excitata fuerint, & in particulas comminuta, secundum proprias vires agunt, nõ solum in

Actio simplicium in mixtis.

Fermentatio quid.

in corpus nostrum, sed etiam, dum à calore nostro diuiduntur, in se mutuo. Atq; ita actione sua se inuicem refringunt, orituṙq; ex proportione maioris & minoris æqualitatis, Actio. Post Fermentationem noua & occulta vis emergit. Oritur autem fermentatio ex mutua simplicium alteratione, ab igne, vapore, aere, putrefactione & similibus. *Vis fermẽtationis.*

Quæratio est in primis qualitatibus: Eadẽ quoq; est in secundis, tertiisq;. Verum cum secundæ, tertiæq; viribus primarum tantum agant: necesse est contemperatis simplicium primis qualitatibus, in compositis secundas, & tertias vna similiq; ratione alterari, nimirũ assumpta; in corpore secundũ vires proprias, singula simplicia agere propter actionem primarũ qualitatum; ex quibus resultant secundæ tertiæq;: quod si eiusdem sint facultatis, vt rosa, & galla astringentis, apium & semen melonis diureticæ: intensum intendere remissum, & remissum remittere intensum: sin diuersæ facultatis, veluti vnum emplasticum, alterũ epuloticum, pro modo mixtionis, & ratione primarum qualitatum nouam plerumq; secundam, aut tertiam, qualitatem oriri. Ex debita mixtione emplastici cum epulotico, aut detergente oritur sarcoticũ: ex sarcotici cum astringẽte, glutinans: ex astringentis cum valide siccante, epuloticum, &c. *Ratio miscendi simplicium secundum qualitates secundas aut tertias.* *Sarcoticũ.* *Glutinans.* *Epuloticũ.*

Purgantia medicamenta, alia manifesta qualitate quemcunque humorẽ euacuant, lubricando, abluendo & detergendo aut comprimendo. Alia occulta substantiæ qualitate peculiariter humorem euacuant. Deinde alia remisse & leniter purgant. Alia vehementer aut cito, alia mediocriter. *Purgantia varie humores euacuant.*

Purgantia miscentur variis modis: 1. ὁμοιότροπα, similia similibus, nimirum lenientia lenientibus, mediocria mediocribus, aut vehementia vehementibus. 2. Dissimilia dissimilibus; vt lenientia mediocribus, aut vehementibus: mediocria vehementibus. *Compositio purgantiũ.*

In his probe obseruandum, quæ manifesta vel occulta vi agant. Nam tutius multo est plura miscere, quæ manifesta, quam quæ occulta agunt qualitate. Vis enim compositi, ex simplicibus manifesta qualitate præditis, sensibus est euidens, & ratione diiudicatur: at ex simplicib. occulta facultate præditis, occulta, sensibus subq; obscura est, & non ratione, sed sola experientia, comprobatur. Nam in qua- *Obseruanda in mixtione medicamentorũ secundum qualitates occultas.*

litatibus manifestis euidens est, contraria se mutuo contemperare, remissum, remittere intensum, intensum intendere remissum, ad medium vtriusq; In occultis qualitatibus talis ratio. Nam compertum est, nonnulla simplicia similes effectus edere, tamē in compositis repugnant, & tacitis quibusdā viribus dissident. Quare ea simplicia occultis viribus prædita potissimum permiscenda, quæ longo vsu deprehenduntur cōsentire; nec temere noua composita excogitāda, sed vetera cōperta nouis incompertis semper preferenda.

Proportio Basis.

Proportio corrigentium, dirigentium, conseruantium.

Hinc obseruandum etiam est in mixtione medicamentorum proportio bassis, eius vehementia, debilitas, habita ratione morbi, ac partis affectæ. Deinde & habenda ratio proportionis in corrigentibus, dirigentibus, ac conseruantibus &c. Nunc in compositis medicamentis consideranda venit forma, deinde vsus.

Diuisio medicamentorum compositorū duplex.

1. Ratione formæ.

Solida.

Liquida.

Mediæ cōsistentiæ.

Medicamenta composita ratione formæ sunt triplicia: alia solida, alia liquida, alia mediocria.

Solida medicamenta vocantur quæ sicca vt pulueres: vel dura aut crassa, vt pastilli, catapotia, Elect: solida, emplastra, glandes, &c.

Liquida medicamenta sunt, quæ humidam fluxilemque substantiam habēt, vt aquæ destillatæ, decocta, infusa, syrupi, olea, &c.

Mediæ consistentiæ sunt, quæ medio modo se habent, vt eclegmata, elect. mollia, quæ communiter opiata dicuntur, linimenta, &c. Quæ consistentiam mediam habent interdum solidis annumerantur.

2. Ratione vsus.

Medicamenta interna.

Externa.

Ratione vsus, quia composita formam vsui accommodatam habere debent, pro modo vtendi distinguuntur communiter in interna & externa.

Interna autē medicamenta vocantur, quæ intra corpus assumuntur aut ingeruntur.

Externa vero, quæ extrinsecus corpori admouentur.

Internorum medicamentorū forma.

Medicamentorum internorum plura sunt genera: Horum alia assumuntur siue deuorantur: Alia iniiciuntur, siue ingeruntur.

Assumentia medicamenta.

Assumuntur siue deuorātur tragemata, trochisci catapotia, Boli, condita simplicia & composita, eclegmata, electuaria liquida & solida, nimirum confectiones aromaticæ, catharticæ, opiatæ, aut antipharmacæ, antidoti, sub quibus continentur tabulæ, orbiculi, pastæ mor-

ſtæ, morſelli, adduntur apotemata, potiones, ſyrupi, iulepi, emulſiones, ſucci, ſapæ, &c. Item olea, tincturæ, magiſteria, extractiones, ſales, elixiria, eſſentia, &c.

Ingerentia medicamenta.

Ingeruntur vero ſiue iniiciuntur, clyſteres, gargariſmi, errhina, apophlegmatiſmi, glandes ſiue ſuppoſitoria, peſſi, & ſimilia, quorum nonnulla magis ſunt facultatum, quam formarum nomina.

Medicamentorum externorũ formæ.

Formæ medicamentorum externæ ſunt, olea, vnguenta, linimenta, cerata, emplaſtra, cataplas: ſiue malagmata, fomenta ſicca & humida, ſacculi, pulueres inſpergendi, ſapones, ſuffitus, &c. His addunt aliqui cauteria aliaq; quæ magis ſunt facultatum nomina. Verum ex his omnibus nonnulla ſunt, quæ & apponuntur & iniiciuntur, vt olea, decocta, emulſiones & ſimilia.

Compoſita medicamenta vnde nomen ſortiantur.

Hinc compoſita medicamenta non ſolum à forma, ſed etiam ab effectibus, & à parte affecta diſtinguuntur.

Ab effectibus alia purgantia, alia Diuretica, &c.

A parte cui deſtinantur, aut ab vſu varie diſtinguũtur & denominantur, vnde quæ auribus iniiciuntur, ὠτηγχύτα; Quæ oculis collyria; quæ vtero, μητρηγχύτα; quæ naribus errhina; quæ pituitam per os purgant, apophlegmatiſmi nominantur. Eodem modo alia cephalica, cardiaca, &c. dicuntur, quia eum facultate talem formam habent, qualem figura partis requirit.

Nomen medicamenti cõpoſiti à forma & baſi.

In genere omne compoſitum medicamentum nomen habet à forma: ſed in ſpecie ſingula à Baſi potiſſimum: vt theriaca à tyriis ſiue viperis, dialaeca à lacca, &c.

Nomina medicamentorum varie deſumuntur.

Ab ingredientibus.

Ab vſu.

A parte.

A præſtantia.

Ab inuentore.

A loco.

A colore.

Aliquando ab aliis compluribus egredientibus, compoſita denominantur, & vel ab aliis ingredientibus, vt elect. diaphæniconis à dactilis: Vel ab vſu, vt elect. diacatholicon, lætificans: vel à parte cui conueniunt, vt pillulæ artheticæ, ſtomachicum laxatiuum: vel à præſtantia, vt hiera benedicta laxatiua, loch ſanum, &c. vel ab inuentore, vt mithridatium, philonium, confectio hamech: Vel à loco, vt ſyrupus Bizantinus: vel à colore vt emplaſtrum citrinum, vnguentum album, &c. conſequens eſſet vt nunc ageremus de præparatione medicamentorum, ſed in baſilica noſtra chymica hæc latius examinantur, & certis de cauſis hic omittuntur: porro agimus de purgatione, qua ratione & quibus perficiatur.

CAPVT

CAPVT VI.

De purgatione, qua ratione & quibus perficiatur, deinde quæ naturæ purgationes ferant, & quos humores purgare oporteat; Item quoties purgandum.

Purgatio quid.

PVrgare proprie est, per superiora & inferiora medicamento euacuare: in angusta vero significatione κατ' ἐξοχὴν dicitur tantum per inferiora educere.

In purgatione considerantur

In purgatione proprie dicta duo considerantur: 1. Id quod expurgatur, aut expurgari debet, & ipsam purgationem potissimum indicat. 2. Id quod expurgat.

Medicamēta purgantia duplicia.

Medicamenta quæ purgant duplicia sunt. 1. Quæ manifesta qualitate quemuis obuium humorem euacuant, nimirum

καθολικὰ quadruplicia.

καθολικά, quæ quadruplicia: Lubricantia, abluentia, detergentia & comprimentia. 2. Quæ vnum certum determinatum humorem educunt, & proprie

Pharmaca.

κατὰ μέρος appellantur, interdum per excellentiam pharmaca vnde φάρμακον 22. Aph. 1. Idem significat, quod electiue purgare, seu vnum peculiarem humorem educere.

Partes doctrinæ de purgandi ratione.

Tota ratio purgandi tribus compræhenditur 1. Ipsa medicamenta quibus perficitur purgatio. 2. Modus vtendi, siue methodus purgandi. 3. Accidentia purgationem consequentia.

Methodus purgandi 5. requirit.

In legitima methodo purgandi 5. obseruanda: 1. An, & quibus purgatio conueniat. 2. Quæ & qualia purgare oporteat. 3. quantum, quousque & quoties. 4. Quo tempore potissimum. 5. Per quas vias siue loca.

Differentia purgantiū medicamētorum.

Hinc notandum quod singula pene pharmaca vnum humorem potissimum euacuant, aliquando duos, raro plures, nunquam omnes, nisi natura à violentia & effrænata vi purgantis ita proritetur, aut tam languida sit, vt nec violentiam pharmaci coercere, nec impetum humorum fluentium cohibere queat; tum non solum determinatum humorem, sed etiam reliquos educit: Verum primum tenuiores & ad fluxionem aptiores, deinde crassiores, omnium vltimo sanguinem naturæ thesaurum.

Immo-

Immodicæ purgationes, quæ vtilia cum inutilibus educunt, vi- ὑπερκαθάρσεις.
ræsq; deiiciunt, ὑπερκαθάρσεις græcis dicuntur.

In pharmacis occulta substantiæ proprietate euacuantibus: 4. considerantur 1. Quem humorem proprie euacuare debeant. 2. per quas vias. 3. A qua parte potissimum. 4. Quo modo: ab his omnibus distinguuntur purgantia. *In pharmaco 4. cõsideranda.*

1. Humores purgandi 4. sunt: nimirũ bilis, vtraq; pituita & serũ. *4. Humores.*

Hinc medicamenta electiue purgantia quadruplicia erunt: cholagoga, melanagoga, phlegmagoga & hydragoga. 2. Alia per superiora, vt vomitu, alia per inferiora deiectione euacuant. 3. Alia à ventre magis, alia à iecore, splene, cerebro, &c. 4. Alia blande, leniterque aluum subducunt, alia valide, alia medio modo se habent. *Quadruplicia purgantia.*

Bilem leniter euacuantia sunt, manna, cassia, syr. rosarum tamarindi, myrobal. citrini, &c. Modice, aloe, rhabarbarum: valide scammonium, &c. *Purgantia singulos humores blande, modice ac valide.*

Melancholiam blande euacuant, epithymus, thymus, polypodium, myrobal. indi, &c. Validius fol. sennæ: validissime, helleborus niger, lapis armenius, lapis lazuli, &c. *Bilem. Melancholiam.*

Pituitam crassiorem leuiter euacuat: Carthamus, polypod. nupob. chebuli, &c. validius, agaricus, turbith, hermodactylus: validissime colocynthis, euphorbium, &c. *Pituitam.*

Aquosos, serososque humores leniter purgant, ebulus, sambucus, &c. validius iridis succus, soldanella, &c. validissime elaterium, mezereon, lathyris, &c. *Aquam.*

Vomitum leniter prouocant, aqua hordei, syrupus acetosus, hydromel, oxymel, ficus recentes, &c. validius, succus raphani, decoctum rad. betoniæ, raphani sem. atriplicis, anethi, puluis asari, radix peponis: validissime gratiola, helleborus albus, &c. His purgantibus adduntur secreta nostra chymica, qualia varia præparantur ex antimonio, vitriolo, Mercurio, Ioue, Saturno, ac Sole, &c. *Vomitoria.*

Hinc porro etiam notandum de purgantibus à determinatis partibus: vt quando proprietate substãtiæ agaricus & colocynthus potentius à capite trahunt: Aloe à ventre: Rhabarbarum à iecore: Cassia à pectore: Folia sennæ à Liene: Hermodactyli ab articulis, &c. *Purgantia à determinatis partibus.*

Vali-

Quæ medicamenta vitanda.

Validissime purgantia, naturam conturbantia, grauissima symptomata inducentia, aut rite corrigenda, siue legitima methodica manu præparanda, aut prorsus vitanda sunt: ne vt scribit Plinius libr. 29. hist. natural. cap. 1. Animas negotiari, & experimenta per mortes agere dicamur.

Forma medicamentorum purgantiũ.

Ex simplicibus purgãtibus composita etiam fiunt, variæq; compositorum formæ, & harum omnium non est vna ratio.

Purgantia interna & externa.

Sunt hinc alia purgantia composita interna, alia externa. Interna, per os assumuntur, & sunt triplicia: 1. Liquida. 2. Solida. 3. Mollia. Externa sunt: quæ corpori extrinsecus admouentur, qualia sunt clysteres, glandes, &c. Sin vero æger horum vsum renuat, cogimur aliqua ratione supplere per linimenta, aut malagmata ventri imposita: Vt sunt epithemata, & vnguenta Ætiilib. 1. ser. 3. cap. 135. Item per poma Rhasis, ex scammonio, aloe, myrrha, diu manibus agitata, donec incalescant; per odoramenta ex valde purgantibus, per pocula metallica, &c.

Purgationis differentiæ.

Quando purgatio humoris, alia perfecta plenaue, qua tota materia morbifica simul euacuatur: Alia imperfecta & paulatina, qua tota non simul educitur: Hinc continetur primo purgatio minoratiua, qua materia morbi minor tantum redditur, quod plerumque in initiis morborum fieri solet: Deinde purgatio quæ per ἐπίκρασιν dicitur, qua id, quod vitiosum est paulatim euacuatur, & pro eo quod salubre est, reponitur.

Purgatio per ἐπίκρασιν.

An & quibus conueniat purgatio.

Nunc notandum, an & quibus conueniat purgatio: Purgari autem primo debent corpora cacochymica, quæ prauis succis siue humoribus qualitate peccantibus redundant: Potissimum, si humores tam copiosi aut vitiosi sint, vt à natura facile superari, aut in vtiliorem substantiam conuerti nequeant.

Proprie purgatio non conuenit sanis.

Proprie purgatio sanis non conuenit, sed neutris, aut ægris, in quibus prauorum succorum redundantiæ.

Quando purgandũ, vel nõ purgandum.

Purganda sunt cacochymica corpora: 1. Si actu morbo laborẽt, vt corpora ægra: aut futurum metuant, vt neutra. Ast non semper, sed primũ si vires ferant, corporis cõstitutio, aer ambiens, cæteraq; permittant. 2. Purgare nõ decet, vbi aliis & leuioribus curare licet. 3. Vbi natura per se sufficit, ad morbificam causam depellendam,

4. Ratio-

aut

aut vbi natura se ducem non præstat. 4. Si humor ad purgationem plane ineptus & inidoneus sit.

Indicationes purgatiuæ. 1.

Prima indicatio in purgatione semper sumitur à causa morbifica, id est, humore peccante, qui sua natura euacuationem desiderat. 2. Indicatio sumitur à viribus ægri, quatenus illam euacuationem permittunt aut impediunt: per se enim vires conseruationem semper indicãt. 3. Accedens est partis affectæ cõditio: Item aer ambiens, sub quo tempus anni, regio, & constitutio cœli continentur.

2.

3.

Cum causa morbifica coniunguntur ipse morbus & symptomata vrgentia. Vires demonstrat, ætas, sexus, temperamentum, naturæ proprietas, habitus corporis, consuetudo & similia. Partis affectæ cõsideratio depẽdet ex ipsius temperamẽto, vsu, figura, situ & sensu.

Medicus obseruabit in purgationibus 1. *morbum.*

Medico in ægris obseruandus primo morbus, idq; his modis. 1. Qualis morbus, an acutus, vel diurnus, an cum alio morbo, vt febri, coniunctus. 2. Ex qua materia, an quieta vel furenti: An cruda aut concocta: Si cruda an concoctio sit expectanda, an sola præparatio, an sine his euacuatio aliqua molienda. 3. Quamdiu æger laborauerit. 4. Quæ naturæ proprietas an validis medicamentis apti & assueti sint, &c.

2 *Ætatẽ.*

Secundo ætas perpendenda, vbi ab iis incipiendum, quæ vires demonstrant: Ætas media habilior est & optima ad purgationes sustinendas, peior ætas senilis & infantia, ob virium debilitatem. Si vires non constent, & magna necessitas vrgeat, pueris & senibus purgantia exhibere non conuenit. Nam valide purgantia rara puerorum corpora dissoluunt & colliquant, debilia senum corpora ob boni sanguinis & spirituum defectum prosternunt, nihilominus tamen senibus validiora quam pueris, conueniunt. In magna prauorum succorum redundantia, si puer adhuc lactans est, purgatur teste Hipp. 6. epid. Cathartico videlicet diluto nutrici exhibito, quod lac purgantiũ vires contrahat: sin nõ respondet albus, manna, mel rosar. grandiorib. syrupus diasereos, &c. propinari possunt.

3. *Sexum.*

Tertio viri purgantia validiora ferre possunt, quam mulieres, licet interdum accidat contrarium. Mulieribus menstruorum fluxum laborantibus purgatio non conuenit: præterea & vtero gerentes difficulter ferunt, nisi in morbis acutis, periculo vrgente, & tumoribus turgentibus, vt præcipit Hippocr. 1.

Aph. 4. prægnantes quadrimestres vsq; ad septimum mensem purgabis; sed has parcius, ne violentia fœtus ligamenta rumpantur. Virginibus, & viduis castis, ob seminis retentionē & vteri suffocationem, valida purgantia exhibere non oportet, quia vterus acribus facile irritatur.

4. Temperamentum & habitū corporis. Aetius lib. 1. serm. 3. cap. 23.

4. Temperamentum & cōstitutio media purgationibus maxime opportuna est: corpora vero sicca, frigida, macilenta, laxa, rara, mollia, aut nimis ob æsa purgationes ægrius ferūt; cōtra robusta, carnosa laborib. assueta, &c. Pingues, graciles, plethorici etiā inepti, &c.

5. Idiosyncrasiam & consuetudinem.

5. Temperamento additur ἰδιοσυγκρασία, & consuetudo. Nam ob peculiarem proprietatem substantiæ nonnulli valida purgantia facile sustinent, alii leuibus multum offenduntur: Alii his, alii illis magis delectantur. Consuetudo vero purgandi, valide purgantia minus infesta reddit; Ideo eos validioribus purgare non oportet, qui purgationibus assueti non sunt: Nisi natura robusti fuerint.

6. Aeris & temporum constitutionem.

6. Constitutio aeris, & temporis ac regionis temperata, purgationibus maxime accōmodata est: Aer calidus ac humidus: Tempus vernum, autumnale, zona temperata, &c. Deinde sub cane & ante canes difficiles sunt purgationes. Eadem ratio in ardentibus febribus, si materia non turgeat, & similibus.

7. Morbos & symptomata vrgentia.

7. In morbis tandem symptomata vrgentia, vires debilitantia, veluti vehemens dolor, vigiliæ, morsus circa orificium ventriculi, &c. Purgationes prohibent. Item valide purgantia, teste Hippoc. lib. de hellebori vsu, nō conueniunt decoloratis, siticulosis, flatuosis, siccū tussientibus, raucedine laborantibus & hęmorrhagia: qui præcordia distenta habent, &c. Item iis, qui praua victus ratione vtuntur.

Præparatio humorum duplex.

Nunc considerandum quis humor & qualis sit purgandus: Deinde in omnib. purgationibus, de hac præcipit Hipp. 22. Aph. 1. &c. Hinc & duplex est præparatio humorum 1. propter concoctionem, quod attinet, intelligere etiam necessarium est, quæ eam postulent aut impedimento sint: vnde sumēda est differentia cruditatis, quæ humorū & putrefactio & in venis potissimū corruptio teste Hipp. & Gal. Ad hanc corrigendam, accommodata est singulis humoribus præparatio: veluti Gal. 4. de sanit. tuend. Oportet inquit, primo hu-

mo humores incidere & attenuare, deinde concoquere. Exempli gratia: Pituitosus, frigidus; aut crassus humor cõcoctioni aptus redditur calefacientib. extenuantibus, & incidentibus. Melancholici humores, humectãtibus & modice calefacientibus. Bilioſi acreſq; humores refrigerãtibus & humectantibus. Obſtructiones, aperientibus: Humoreſq; impacti attenuantibus, pro natura humorũ, &c.

Hippocrates præcipit, corpora ſi quis voluerit purgare, fluida facere: Fluida redduntur, quando humores ad expulſionem idonei & prompti ſunt: Deinde viæ, per quas purgantur, liberæ & patentes. Humores autem ad fluxionem idonei ſunt tenues, calidi, turgentes & mobiles: Inepti vero ſunt craſſi, viſcidi, impacti, &c. Viæ præcipuæ ſunt, ventriculus, inteſtina & venæ, &c.

Nunc & de doſi medicamentorum purgantium dicendũ eſſet, verum de hac dicitur in noſtra Baſilica Chymica, quare hic eam omittimus.

Præterea in purgatione obſeruandum, quantum purgandum & quoties. 2. Quando paulatim aut copioſe euacuandũ. 3. Quando ἐπικρατεῖ locum habeat. 4. Quo ordine purgandum. 5. Quando purgationem phlebotomia præcedere debet. 6. Tempus, quando ſtatim vel non eſt purgandum. 7. Locum plenæ purgationis. 8. Quando minoratiua purgatiua requiratur. 9. Quibus diebus. 10. Quibus horis & denique per quas vias, &c. *Summe requiruntur ad obſeruandu in purgatione.*

Inter purgantia referuntur etiam vomitoria, vbi obſeruandum quibus cõueniat vomitus & quibus nõ: Deinde quibus affectibus. *Vomitoria.*

Et his conſideratis, reſpiciendum eſt ad formam medicamenti, & quid agendum ſit aſſumpto pharmaco: Item vnde dignoſcatur, num vtilis ac perfecta fuerit purgatio; Et quid malam purgationem oſtendat, &c. *Medicamenti forma. Vtilis purgatio. Mala purgatio.*

CAPVT VII.

De Phlebotomia.

PHlebotomia eſt euacuatio humorum quantitate nocentium arte facta per apertionem venæ aut arteriæ, in eum finem vt vaſa multitudine diſtenta, aut vires onere grauatæ, leuentur; vel vt

Differentia inter phlebotomiam & purgationem.

materia noxia à parte affecta auertatur. Differunt phlebotomia & purgatio non solum instrumentis quibus perficiuntur, sed etiã forma modoq;, & quod purgatio certos selectos humores qualitate distinctos educat: Phlebotomia vero qualitatis rationem non habeat, sed quantitatis tantum.

Plethora.

Dispositio humorum quantitate nocentium plethora dicitur. Hinc plethora proprie est redundantia boni succi, veluti κακοχυμία praui. Primario autem est affectio venosi generis à redundantia sanguinis, secundario habitus corporis. Sanguis enim primum in venis & arteriis abundat, ab his deinde in habitu corporis.

Plethora duplex. Plenitudo duplex.

Duplex autem est plethora, (quia plenitudo duplici modo afficit) 1. Quo ad vasa siue capacitatem vasorum, quando ob nimiam sanguinis redundantiam ipsa vasa ita tument, vt maximum tensionis sensum inferant, metuſq; sit ne vasa disrumpantur, aut ægri subito suffocentur. 2. Quo ad vires, quando adest tanta sanguinis redundantia, vt natura eam gubernare nequeat, sed vires premat, sensumque grauitatis inferat.

Plenitudo simplex. Plenitudo Notha. Plethora cacochymica. Cacochymia plethorica.

Ratione contentorum autem omnis plenitudo, vel est exquisita, & simplex, ex solius boni succi redundantia: vel Notha quando cum bono succo aliquid vitiosi accumulatur, quæ ob id plethora cacochymica dici solet, sicut quando cum prauo succo redundat nonnihil boni, cacochymia plethorica.

Simplex plethora duplex. Plethora vniuersalis & particularis. In vasis. In habitu. Actu. Potestate, &c.

Simplex plethora duplex est: 1. propriissime dicta, quando omnes 4. Humores seruata ad inuicem proportione augentur. 2. sanguinea dicta, quando solus sanguis purior redundat.

Plethora ratione corporis affecti, aut est vniuersalis aut est particularis: Vniuersalis, quæ per totum corpus diffusa est. Particularis quando in determinata parte redundantia consistit. Alia etiam est in solis vasis. Alia simul in habitu corporis. Item alia actu, quæ totum corpus aut partem aliquã occupat. Alia potestate, quę occupatura, vt cum ex suppressa consueta sanguinis euacuatione, plenitudinem in toto timemus, vel quando ex fluxu humorum ad determinatam partem, partis inflammationem, putredinem, dolorem, &c.

Finis phlebotomiæ non vnus est, plerumq; autem vt per se prosit, quan-

fit, quando plenitudinem euacuamus, aut auertimus, nõnunquam propter aliud, aut alterius finis gratia, quando aliquid præstare cupimus, quod sine sanguinis euacuatione fieri nequit, vt quando initiis morborum, venam secamus euentationis gratia, vt concoctio melius procedat, putredo restinguatur, cæteraque remedia commodius exhibeantur, &c. *Finis phlebotomiæ duplex.*

Phlebotomia proprie triplex: 1. Euacuans. 2. Reuellens. 3. Deriuans. Euacuans alia simpliciter ex toto corpore, alia ex determinata tantum parte, si parti inhæreat humor citra affluxionem. Verum si aliquid simul affluat auxilium postulat ex reuulsione aut deriuatione coniuncta cum vacuatione. *Phlebotomia proprie triplex.*

Phlebotomia simpliciter euacuans à toto corpore, respicit solos humores in toto corpore adauctos, citra alicuius particulæ affectæ considerationem, & proprie morbis vniuersalibus à plenitudine cõuenit, secundũ plenitudinis modũ: sanis vero, quibus morbus vniuersalis à plenitudine imminet, aut singulis annis aut certis temporibus in vniuersales morbos decidunt, non particulares. *Phlebotomia simpliciter euacuans.*

Simplex euacuatio à parte affecta in particulari plenitudine locum habet. Particularis autem plenitudo, si in fieri, auersionem, si in facto, euacuationem simpliciter indicat. Si per vicinam, plerumque deriuatio dicitur. Si per ipsam partem, simpliciter euacuatio. Hinc simplex euacuatio interdum pro deriuatione sumitur, sæpe sub deriuatione ista euacuatio continetur. *Phlebotomia euacuans à parte.*

Reuulsio proprie, teste Galen. 5. & 13. Method. est illabentis humoris in contrarium tractus, siue auersio humorum cum impetu fluentium, aut qui fluxuri sunt in partem contrariam vt impetus fluxionis quam citissime cohibeatur. *Phlebotomia reuellens.*

Contrarietas autem illa in reuulsione est secundum motum humorum fluentium per venas in partes affectas. Influunt autem in partem affectam nonnunquã à toto corpore omnibus vasis plerumq; à parte aliqua mandante, aliquando vna parte potissimũ & simul à toto. Nam accidit non raro, vt ad partem debilem aut affectam, omnes partes sua excrementa deponant. Hæc omnia in reuulsione consideranda erũt, & semper secundum quam rectitudinem fit influxio, eadem via in contrarium instituatur reuulsio. *Reuulsionis consideratio.*

Si flu-

Si fluxio est à toto, reuulsio fit ad partes maxime distantes. Si à parte mandante, recursus ad originem fiat, aut ad partē ei proximam, euacuando primum transmittendam: Nam reuulsio primum partem respicit mandantem: deinde recipientem, aut affectam: contra deriuatio.

Reuulsionis vsus. Conuenit autem reuulsio potissimum affectibus illis, in quibus fluxiones vehementes & humorum copia magna, vt inflammationibus initio potissimum. Deinde in angina ophthalmia, phrenitide, hepatitide & similibus affectibus; quos sanguis aut eruptio calidorum humorum progenuit. Conuenit & ad præseruationem, quando humores fluere solēt ad partem aliquam, vt in vulneratis, fractis, luxatis, &c. respicientes ad id quod futurum est, si metus sit, inflammationis partis affectæ, item in profluuio sanguinis, narium, hæmorrhoidibus, &c. in sputo sanguinis, ne copia confluat ad locum affectum.

Phlebotomia deriuans. Deriuatio proprie humorum est citra impetum in partem affectam defluentium, vt qui defluxerunt, sed nondum impacti sint auersio ad locum vicinū, aut pars affecta à noxio humore liberetur.

Respicit autem deriuatio primo partem affectam, & à reuulsione & vacuatione differt, teste enim Gal. 6. epid. text. 7. com. 2. Deriuamus humores fluentes, aut non impactos, nec per partes remotas, vt in reuulsione, nec per partem affectam, vt in simplici euacuatione, sed per propinquas ad latera ex venis vicinæ partis: Eiusmodi venæ necessario communionem habere debent cum parte affecta, nam optima deriuatio fit à venis deductis ab his, quæ in ipsis partibus affectis sunt.

Vsus deriuationis. Conuenit deriuatio in affectibus ortis à debili aut diuturna fluxione: Item post euacuationem à toto ad reuulsionem, in magnis inflāmationibus cessante impetu fluxionis: Præterea in affectibus, qui aliis euacuationibus non cedunt, duplici modo 1. Vt id, quod in venis affectæ partis continetur, per eas detrahatur. 2. Vt id, quod in mandante aggregatum est, per ei vicinas extrahatur. Tandem in sanis conuenit deriuatio, humoribus quiescentibus, sed fluere assuetis in partē aliquam debilem, quando cum impetu fluere non solent. Ex his apparet quibus affectionibus phlebotomia conueniat, & quæ qualisque; Nunc de venis.

Quando

Quando de venis acturi, obseruandum est primum, venarum nomine duo. Vasorum genera ab Hippocr. I. Epid. sect. 5. comprehendit, nimirum quas proprie, venas vocamus, & ipsas arterias. Venæ autem quæ secantur, numero certo non definiuntur, nec in omnibus eodem modo perspiciuntur, vnde alii plures alii pauciores enumerant. *Venarum nomine duo sunt vasa.*

Conspicuæ venæ sunt maxime cubiti, deinde crurum, manus pedum & capitis. Arterias Galenus insomnio admonitus secare non dubitauit, hodie vero pauci arterias secant, quia grandes secare periculo non vacat, & minores conspicuæ non semper sunt: secantur tamen nonnullæ in certis affectibus, vbi materia calida & spirituosa est, aut dolor diurnus aut pulsatorius. *Venæ conspicuæ.*

Primum vbi requiritur phlebotomia simpliciter à toto evacuans quauis vena secta effunditur sanguis. Commodissime tamen plenitudo in toto detrahitur, sectis cubiti venis, præcipue interiore vena cubiti dextri lateris, quæ à caua plurimum, à jecore validissime prolicit: maxime si plenitudo simplex aut biliosa fuerit, quod si melancholica, interior sinistri cubiti potius secari debet. Euacuat interior cubiti vena, quæ basilica dicitur, non solum à toto corpore, sed etiam à partibus infra collum & renes cito valideq; reuellit: tardius & segnius eius propago, quæ saluatella dicitur inter minimum digitum & auricularem.

Eodem modo euacuat simulq; cito & valide reuellit à partibus supra, clauiculas vena cubiti exterior siue humoraria, vnde cephalica dicitur: tardius vero & debilius vena illa brachii, quæ funiculus dicitur. Item vena, quæ inter indicem pollicemq; excurrit. At venæ communis ex basilica & cephalica, in, aut circa mediam iuncturæ flexuram deducta, quia ab vtrisq; deriuata est, partim à superioribus, partim ab inferioribus euacuat & reuellit.

Sub renibus si affectus constiterit secta vena crurum citius & perfectius euacuatio efficitur, tardius sectis venis malleoli: Renes medii quodammodo ponuntur inter partes superiores, & inferiores ob initium & productionem venarum. Proinde Gal. 11. de compos. sect. loc. cap. 2. renibus inflammatis à cubito & cruribus venam secare iubet, semper autem à superioribus ad inferiora conuertitur

humor secta vena crurum & pedum, contra ab inferioribus ad superiora vena brachii. Proinde fluxus menstruorum aut hæmorrhoidum sistuntur, sursumq; retrahuntur secta vena cubiti: contra sanguis deorsum conuertitur mensesq; suppressi mouentur, secta vena in poplite aut talo interiore, quę saphena dicitur: potissimum instante tempore menstruæ purgationis.

In Ischiade secatur vena cruris aut exterioris malleoli, &c. Verum vbi causa partis alicuius sanguis, secanda vena illa erit, quæ parti affectæ maxime congruit. Nam optima euacuatio partis fit, per venas vel ipsius partis vel deductas ab his, quæ in partibus sunt.

Reuulsio verò humoris fluentis à parte affecta in contrarium fieri debet, seruata quantum fieri queat rectitudine, & communione venarum: Rectitudo autem venarum est secundum longitudinem potissimum. Nam à dextris ad sinistra & contra non est tanta venarum rectitudo, nec etiam communio, quanta dextrorum cum dextris, aut sinistrorum cum sinistris.

Communicant quidem omnes venæ prima communione, at priuata communione partes communicant per proximas venarum diuisiones, quæ sunt vni trunco communes, quo modo basilica dextra brachii cum omnibus venis & partibus dextri lateris, basilica sinistri cum omnibus sinistri lateris communicat. Magis adhuc proprie venæ illæ communicant, quæ ab vno eodemq; trunco deductæ sunt, vt vena humeraria cum venis capitis.

Communicant quoq; venæ superiores & inferiores per sua orificia, ob quam communionem cum rectitudine in pleuritide eiusdem lateris venam secamus, licet vtrumq; latus à vena sine pari recipiat alimentū. Verum quia defluxiones potissimū à locis communibus fiunt, sectio communis venæ reuulsiones rite complet, licet non satis perfecte à qualibet parte, vt infra apparebit.

Rectitudo autem in omni phlebotomia temere negligenda non est, licet nonnullis casibus solam communionem obseruemus: sicuti contra corporis rectitudinem non habita ratione priuatæ alicuius communionis: cum rectitudinis magna vis sit. Nam partes, quæ secundum rectitudinem sitæ sunt, plurimum communicant, & teste Galen. lib. de curat. per phlebot. eruptiones sanguinis, quæ

per

per rectitudinem fiunt, magnum emolumentum adferunt, quæ contra, nullum aut exiguum.

Et in pleuritide phlebotomia, quæ à contrario latere fit, obscuram vtilitatem aut longo tempore adfert: nam sinistræ in sinistras, dextræ in dextras se facilius exonerant, ob rectitudinem vasorum, siue attractio illa intelligatur fieri secundum rectitudinem fibrarum, vt Fernelius arbitratur, siue potius consecutione ad id, quod euacuatur, vt plerique volunt, cum ipsæ fibræ rectæ euacuationem non perficiant. Nihilominus vbi humores à toto corpore cum impetu in partem affectam irruunt, vtile erit, vt præcipit Gal. lib. de Fract. cap. 20. & lib. 1. de humoribus cap. 1. ad contrarias & distantissimas partes, imo ad opposita latera concitatas fluxiones retrahere, atq; hæc reuulsio simplex dici poterit. Vbi vero fluxio à certo fonte aut determinata parte defluit, spectanda est ipsa origo, & laborandum, vt reducatur ad originem aut ad partem proximam, vnde localis reuulsio à nonnullis dicitur. Vbi vero pars mittēs, per se debilis est, aut proptio affectu laborat, aut simul fluxio à toto sit, nunquam ad originem fluxionis reuellendum erit, sed vt impetus fluxionis sistatur, ad partem ei proximam. In omni quidem phlebotomia rectitudo quædam obseruari debet per directum ex venis deductis ab iis, quæ in parte affecta sunt, non habito respectu paris mandantis: at reuulsio contra, partem mandantem primo respicit, deinde recipientem, requiritur enim in reuulsione, vt illam venam secemus, quæ transmittentem proxime euacuare queat, & partem mandantem euacuantes, secundario à parte affecta abducamus.

Quare in reuulsione locali tria requiruntur: 1. Vt per venas fiat, quæ communionem & rectitudinem habent, primum cum demandante, & propter demandantem cum recipiente. Deinde vt vena sufficientem distantiam habeat à parte affecta. 3. Vt in contrariam partem humorum retractio fiat, aut contrario motu agitentur, vt impetus fluxionis sistatur. Nam ad contraria retractio in omni reuulsione necessaria est, & vnice vtilis ad cohibendos impetus fluxionis, licet magis fluxionis quam affectus remedium.

Verum nec retractio ad notissimas partes, nec ad originem re-

cursus, in omni reuulsione necessarius est, sed retractio ad partes distantes his potissimum affectibus exusu est, qui fomentum ex toto suscipiunt : at recursus ad originem iis, qui ex aliqua certa parte fontem trahunt. Plerumq; autem recursus ad originem non fit ad partes remotissimas, sed interdum ad propinquas.

Quare quando pars fluxione periclitatur ob humores motos aut moueri solitos, reuulsio triplici modo fieri poterit. Primo retractione humorum ad partes contrarias, maximeq; distantes secta vena in opposito latere: vt excitato cõtrario motu impetus fluxionis tandem cohibeatur. 2. recursus ad originem fluxionis secta vena, quæ in partem mandantem inseritur aut vicinam, vt inde recurrant humores vnde prodeunt .3. Retractione in directum secta vena communi seruata rectitudine cum parte mittente & affecta, vt non solum humores influentes reuellantur, sed etiam aliquid à parte affecta euacuetur. Optime enim venę communes, vt supra dictum est ab eodem latere reuellunt, simulq; euacuant, quia defluxus à communibus locis per directum, vt plurimum fiunt. Hæc non solum fluxioni, sed etiam affectui aliquid confert, at retractio ad partes maxime distantes aut opposita latera etsi fluxionis idoneum remedium sit, longius tamen distat, quam vt affectui gratiam aliquam præstare queat.

Quapropter vna horum trium modorum ratio in omnibus non est. Nam quando magna fluxionis causa adest, ut vulnus ictus, magna plenitudo, &c. aut à toto confluunt humores : secata vena non solum in recto, sed etiam in distanti situ, & aliquando in opposito latere. Deinde vbi opposita euacuatio sanguinis fieri nequit, ex vicino loco venæ sectio institui nunquam debet, sed ex maxime distanti : quia in sufficiens loci vicini vacuatio maiorem, concitat fluxionem ad partem affectam. Quare fluxiones quas citius aut tutius auertere conamur, per proxime distantes partes reuellimus. Quas vero citius quam securius, per propiores partes, & ex venis communibus seruata rectitudine citius autem reuellimus, quo magis vrget affectus.

Igitur in plenitudine, quæ vehementissime plerunq; vrget secamus venam ab eodem latere contenti rectitudine & communione

ve-

venarum; vt non solum influxus humorum reuellatur, sed etiam ab affecta parte quam plurimum, extrahatur, licet interdum ex vsu fit, potissimum si humor ex toto confluat, aut in annua plenitudine præseruationis causa, ex contrario latere sanguinem mittere.

Verum ex contrario latere venæ sectio tantum reuellit, ipsam inflammationem non imminuit, nec à parte inflammata euacuat. Præcautionis vero gratia monet Hipp. lib. 2. de natura humana sectiones quam longissime à locis illis facere, vbi dolores fieri, & sanguis coaceruari solent. Eadem est ratio in inflammationibus oculorum, aurium, &c.

Verum, quando datur pars mandans, communitas venarum cum mandante obseruanda erit: deinde vbi fluxio intra corpus cum magno impetu in partem affectam irruit, vt in inflammationibus, quia cito subuenire oportet, vtile est maiores venas secare, si partis affectæ conditio ferat: vbi vero extra erumpit, vt in hæmorrhagia, satius erit minores venas eligere, potissimum si vires debiles sint; vt minus spirituum dissoluatur: & sæpius missionem sanguinis repetere, vt natura assueta crebris motibus reuulsoriis locum affectuum deserat.

Deriuatio proprie fit, secta ea vena, quæ in partem affectam inseritur aut secta vena deducta ab his, quæ in parte affecta sunt. Vtimur vt diximus aliquando deriuatione per se, aliquando post reuulsionem aut euacuationẽ à toto, cessante impetu fluxionis, itaque in morbis capitis ex plenitudine, vena cubiti exterior reuellit, ac deriuat fluxus sanguinis narium, & in dolore anterioris capitis, stupore, &c. sectio venæ frontis deriuat: verum reuellit, in dolore posterioris capitis: deriuat quoq; in inflammationibus oculorum sectio venæ in angulis oculorum: In angina orisque affectibus sectio venæ sub lingua, item in vehementi angina, peripneumonia, catharro suffocante sectio iugularium: inlienis affectibus, apertio hæmorrhoidum: in inflammationibus sub renibus primo secatur cubiti vena interior, deinde pedis eiusdem lateris non tam ob deriuationem, quam vt id, quod superat, exhauriatur, & deorsum conuertatur.

Eadem propemodum ratio est in arteriarum sectione, vt in-

venarum: licet arteriarum sectio periculo ἀνευρίσματος non careat, potissimum si maiores fuerint. Galenus tamen insomnio admonitus in diuturnis laterum doloribus arteriam dextræ manus, inter indicem & pollicem secuit. Secantur arteriæ iuxta aures, vt in vertigine, in diuturnis capitis doloribus, in rubore faciei, &c. licet Hippocrati suspectæ sint. Secantur quoq; arteriæ iuxta malleolos in antiquis coxendicum doloribus, &c. Verum in his omnibus magno iudicio vtendum erit.

Perficitur venæ sectio, vt plurimum phlebotomo siue scalpello: tutissime lancetta siue gladiolo, interdum admota hirudine ipsi venæ.

Venæ tres, cubiti supra flexuram potissimum secari debent, ne tangantur arteriæ & nerui, quæ sunt priores in ipsa iunctura, quam supra. Deinde dum tunditur phlebotomo basilica, periculum est propter arteriam potissimum, aliquando neruum: dum mediana propter neruum, quare pro vera mediana, alii ramum basilicæ, alii ramum Cephalicæ secant, paulo supra medianam, quæ ab utrisq; deriuata est. In Cephalicæ sectione tantum periculi non est, sed tantum obseruandum est, ne sectio fiat in initio musculi, vbi tendo sub digitis duris sentitur.

Quando venæ confusæ sunt, aut vna non satis conspicua, vt Cephalica, aut Basilica, secetur proxima, nimirum ramus proximus, vnde deriuata est mediana, & alter remotior digito arcte comprimatur. Venæ minores aliquandiu in calida aqua mergantur, vt intumescant, antequam secentur, deinde in calida iterum detineantur.

Si vires non satis firmæ sint, aut sanguis tenuior, sectio angusta fieri debet, vt paulatim sanguis exeat, & pauci spiritus exhalent. Idem quoque in reuulsionibus fieri conuenit, aut vbi reiteratio ex usu est. Vnde nonnulli foramini digitum aliquandiu admouent, vt retractio à parte affecta quasi per vices melius procedat, verum amplior sectio magis accommodata est euacuationi, & crassum sanguinem facilius educit.

Consequens est, vt demonstremus, quibus sanguinis missio conueniat. Nam in ægris non statim, quicquid affectus requirit, faciendum

dum est, sed primum videndum, an sustinere aut non sustinere queant. Ostensum supra est morbũ magnũ præsentem aut imminẽtem phlebotomiã indicare si vires ferant, ætas, anni, tẽpus cæteraq; consentiant. Nam vires validæ sufficientem sanguinis missionem permittunt: mediocres mediam: debiles aut plane deiectæ exiguam aut nullam. Verum non omnis virium debilitas sanguinis missionem prohibet. Nam debilitantur vires duobus potissimum modis, dum opprimuntur, aut dissoluuntur. Vires autem oppressæ siue afflictæ in sua substantia nihil patiuntur, nec euacuationem semper prohibent, sed dissolutę siue languidæ.

Opprimuntur autem vires ab humorum multitudine aut infarctu, vt in plethorica dispositione athletarum, interceptionibus venarum, vehementissima synoche, &c.

Dissoluuntur vero dissolutione substantiæ spirituum, partium carnosarum, & spermaticarum, aut labefactato eorum omnium temperamento; quod accidit in phtisi, atrophia, hectica, febribus malignis, magnis cruditatibus & similibus.

Nam consistunt vires in temperamento spirituum, substantiæ carnosæ & spermaticæ; ac æstimantur ex facultatibus, vel insitis singulis partibus, vel influentibus à corde, cerebro, & iecore. Vires autem cordis, siue virtus vitalis, quæ maxime necessaria est ex pulsu iudicatur: Vires animales, ex functionibus sensus & motus: Vires naturales ex signis concoctionis & cruditatis, vt Prognosticis demonstratum est. Galenus solius virtutis vitalis in sanguinis missione mentionem fecit, quod reliquarum facultatum fundamentum sit, & ea deiecta cæteræ facile collabantur. Verum in singulis morbis, qui euacuatione indigent, considerare oportet, quæ facultas morbum debellare & finire potissimũ debeat, vt eius robur conseruetur, nec immodicis euacuationibus succumbat; sed virtus vitalis imprimis spectanda erit, an sibi & cæteris sufficere queat.

Vires variant res naturales, non naturales, & præternaturales. Nam primum temperamentum calidum habitu denso solido firmoq; præditum cum latis venis, copiosissimas euacuationes sustinet: contraria constitutio, aut nullas aut exiguas. Deinde corpus calidum humidumq; molli raroq; habitu prędituin, ex quo continuo

nuo plurimum dissipatur, validas euacuationes nullo modo sustinet. Calidum vero modice siccum cum laris venis, liberalius quam corpus frigidum & siccum euacuari potest, quia vtraq; constitutio angustas venas habet. Semper autem corpora, quæ tenuium sunt venarum & pauci sanguinis, aut nihil, aut quam minimum extrahi sinunt. Plerunq; autem in pingui habitu venæ augustę sunt, quod si latæ fuerint, facilius euacuationes sustinent, quam graciles.

Deinde cuiq; ætati suum robur à natura est. Nam media siue florens ætas, naturaliter vires omnes robustas, spirituum & sanguinis copiam habet; & copiosas sanguinis euacuationes sustinet. Contra, ætas decrepita ob virium debilitatem omnem sanguinis euacuationem metuit.

At ætas puerilis (ante annum 14.) licet substantia virium abundet: tamen quia corpore humido molli & tenello prædita est, ex quo continuo plurimum dissipatur propter insitam à natura euacuationem, respiciendo non tam ad vires præsentes quam futuras, sanguinis euacuationes, aut nullas aut exiguas sustinet.

Verum ex ætate nõ absolute virium robur coniicere oportet, sed iuxta cuiusq; corporis naturam & conditionem. Nam eadem ætate aliis corpus robustum, aliis debile est. Quare, vt præcipit Celsus lib. 2. cap. 9. si iuuenis imbecillis est, aut mulier non grauida parum valet, male sanguis emittitur: emoritur enim vis, & quæ supererat hoc modo erepta est.

At firmus puer & robustus senex, & mulier grauida valens, tuto curatur. Puer autem firmus præcipue non lactans, habitus densi & multi sanguinis, si graui morbo laboret, vt interiturus videatur nisi hoc modo adiutus fuerit, non erit cunctandum sanguinem mittere: Condonantur aliquid ętati, tẽpori, &c. Quare Auenzoar filio trimo vtiliter in tali casu venam secuit. Eadem est ratio in robustis senibus, graui morbo à plenitudine laborantibus, ut longa experientia demonstrat Rasis.

Viri plerumq; sanguinis missionem melius ferunt, quam mulieres, præcipue quæ habitu molli laxo & raro præditæ sunt cum venis angustis. Quando autem menstrua naturaliter fluunt à phlebotomia abstinere conuenit.

Mulie-

Mulieres quidem grauidæ teste Hipp. 31. Aph. 5. si sanguis mittatur abortum faciunt: attamen si magnus morbus vrgeat aut immineat à plenitudine, cum virium robore medici erit potius anceps auxilium eligere quam nullũ. Verum minus extrahere, quam vires tolerant, potissimum primis ac vltimis mensibus, vt dictum est supra.

Præterea aer ambiens temperatus, euacuationes feliciores reddit, contra intemperatus difficiliores. Nam caliditas vires & corpora dissoluit, frigiditas coercet. Proinde ver omnibus euacuationib. magis accommodatum est, deinde autumnus: minus accommodata est æstas, deinde hyems. Quæ ratio in anni temporibus, eadem in regionibus & locis ac cæli tempestatibus.

Præterea qui non assueti sunt venæ sectionibus, & qui parsimonia vitæ vsi sunt, & multis curis & laboribus torquentur, minus sanguinis euacuationem sustinent: Contra, qui assueti sunt venę sectionibus, & liberalius pleniusque viuunt.

Tandem res contra naturam quatenus vires debilitant aut dissoluunt, euacuationem sanguinis prohibent, vt morbi ab humoribus prauis aut crudis sine plenitudine, vt hydrops, &c. magnæ intemperies partis principis, grauissima vulnera, &c. Item neruorum distensiones, morsus aut dolor in orificio ventriculi, syncope, diuturnæ vigiliæ, fluxus alui immodicus, spontanea sanguinis euacuatio, quatenus vires dissoluit, aut materiam morbi sufficienter demit, &c. Oportet autem non solum in ægris vires præsentes obseruare, sed etiam futuras prospicere.

Ex his omnibus iudicamus non solum, quibus vena secanda sit, sed etiam aliquo modo, quantum sanguinis extrahendum, siue quousque sit euacuandum & quoties.

Quantitas autem sanguinis euacuandi correspondere debet quantitati illius, quod multitudine peccat, modo feratur à viribus: verũ cum nec multitudinis nec virium sit certa mensura, neq; etiam perspectum sit, qualis sit futura aeris constitutio, &c. quantitas sanguinis mittendi incerta erit. Nihilominus, quia cum secatur vena, in manu nostra est, quantum detrahamus; si comparatio fiat virium cum magnitudine morbi aut plenitudine, ex vtrisque propriis

signis, nõ prorsus difficile erit, artificiosa coniectura ad iustam quãtitatem quam proxime accedere.

Verum si res adhuc incerta videatur, satius erit in defectu peccare, & sectionem repetere, quam in periculum ægrum abducere subito & inopinato virium lapsu. Vires autem validæ copiosam sanguinis detractionem facile sustinent, & simul causas morbificas facile excutiunt; at si vires deficiant, relicto morbo viribus subuenire oportet; nam auxilia per se morbos extirpare nequeunt, sed naturæ auxilium requirunt.

Verum si vires nec satis firmæ, nec prorsus debiles sint, ita curatio instituenda erit, vt nec vires nec morbum contemsisse videamur. Proinde quantitatem euacuationis semper æstimari oportet ex quantitate requirentium & tolerantium missionem; requirit enim morbus, tolerant vires.

Ex mutua autem comparatione, morborum requirentium & virium tolerantium ipsa sanguinis missio triplicem differentiam admittit, alia enim phlebotomia perfecta magnaue est, quæ totam aut maximam materiæ morbificæ partem detrahit; alia utilis sed imperfecta, quæ portione aliqua detracta, reliquam leuiorem facit, vt à natura facilius regatur: tertia non solum imperfecta, sed etiam tam exigua est, vt inutilis videatur, & nihil laborantem leuet.

Quemadmodum phlebotomia, ita vires & morbi diuiduntur. Vires autẽ in integras, siue robustas, mediocres, & debiles siue prostratas. Vires robustæ perfectam, mediocres imperfectam, sed vtilem, deiectæ autem exiguam, aut prorsus nullam sanguinis detractionem sustinent. Morbi vero alii magni, alii parui, alii mediocres sunt. Semper autem morbi magnitudo cum virium robore conferenda est, si tutam curationem exequi velimus.

Parui morbi licet à plenitudine leuioribus remediis curantur, nec sanguinis detractionem requirunt, vt supra diximus. Morbi vero magni à plenitudine, magna remedia scilicet, phlebotomiam indicant, sed pro modo magnitudinis & viriũ robore. Nam si morbus extremus fuerit cum virium robore; quia vehementissime vrget, cito subuenire oportet, plena integraq; sanguinis detractione: at si morbus minor fuerit, & vires integræ, plena euacuatio necessaria

ceſſaria non eſt, ſed vtilis ſufficere videtur, vt tuto magis quam cito curemus. Nam ſemel & vniuerſum euacuare periculo non caret.

Sin vires debiles fuerint, ſed non plane proſtratę, & morbus vehemens, conſultum erit per vices ſanguinem extrahere, & intermedio tempore, antequam fiat reiteratio, vires ſemper reficere. In acutis vero morbis quia periculum magis vrget, ſanguinem paulo liberalius mittere oportet, modo vires ferant.

Nam ſi proſtratæ fuerint, omnino abſtinendum erit, ſi magis oppreſſæ, quam languidæ, nequaquam ſanguinis miſſionem omittere decet, ſed reiterato ſanguinem detrahere, & per vices reficere, qualis phlebotomia per ἐπιμέρισιν dicitur.

In Chronicis vero, quanto morbus diuturnior, tanto minus ſanguinis detrahere oportet, ne ſubtractione ſanguinis natura invia deficiat. Nam in Chronicis potiſſimum, non tantum vires præſentes, ſed etiam futuras conſiderare oportet.

Deinde in phlebotomia gratia præcautionis imminente morbo à plenitudine, neceſſitas nondum exigit, vt tantum ſanguinis detrahamus, quantum plenitudo poſtulat; quemadmodum in phlebotomia gratia curationis. Nam vrgente morbo & plenitudine, vtile eſt quam plurimum euacuare.

Præcipit Hipp. in talibus vſque ad animi deliquium ducere, ſi æger perferre queat. Verum ſimpliciter ad animi deliquium ſanguinem detrahere, nec certa nec tuta menſura eſt. Nam nec omnibus qui animo deficiunt, ſat ſanguinis detractum; neque ſi plurimum detrahatur, omnes ſtatim animo delinquunt, ſed nonnulli interdum poſt minus copioſam ſanguinis detractionem, in ſubitum & inopinatum virium lapſum incidunt. Deinde ſatis certa detractionis mẽſura, nõ eſt quæ ſumitur à mutatione caloris ſanguinis, ſi pars aliqua inflammata fuerit: aut in cæteris, à mutatione coloris faciei & oculorum: neq; etiam ex fluxionis impetu, ſi ſubſederit, licet nulla harum contemnenda ſit; ſed potiſſimum ex conferentia & ægri tolerantia. Confert enim euacuatio, quæ morbum manifeſte minuit, toleratur, ſi viribus moleſta non ſit. Et licet non videatur phlebotomia morbum ſtatim imminuere: tamen ſi viribus moleſta non ſit, proderit ſemel aut iterum potius reiterare, quã ad ex-

tremum euacuationes ducere. Nam vt consulit Celsus, parcendum semper est remediis, quę & vitæ custodes vires demunt, & medico pro gloria dedecus conciliant. Verum in desperatis, vbi nulla superest spes, nisi in sanguinis missione, iubet Aetius vsq; ad experimentum procedere.

Tolerantiam æstimat Gal. ex pulsu, qui vitalis roboris signum est, cuius consensu seruato vitali robore certam aliquam quantitatem extrahere licebit. Verum vt supra monuimus, cum vitalis consideratione coniungere oportet æstimationem illius facultatis, quæ morbum debellare debeat; cauentes, ne immodicis vacuationibus robur illius succumbat. Nam præter robur virtutis vitalis, quidam morbi postulant robur virtutis animalis, aliqui naturalis, nonnulli vtriusq; : Veluti in pleuritide omnium facultatum robur desideratur, vt vitalis propter dissolutionem spirituum vitalium à dolore, febre, &c. naturalis ob concoctionem materiæ in pectore animalis ob expulsionem siue exspectorationem.

Cum viribus coniungere oportet considerationem temperamenti ætatis, loci, temporis, & cætera, vt supra dictum est. Nam quantitatem debitam non sinunt euacuare, ætas puerilis, aut senilis, sexus fæmineus, regio, aut tempus nimis calidum, aut frigidum, vigiliæ, inedia, cruditas, morbus ad syncopen inclinans, orificii ventriculi debilitas, aut nimis exquisitus sensus.

Ex quantitate requirentium & tolerantium æstimatur non solum, quantum & quousque sit euacuandum, sed etiam quoties scilicet an simul & semel, an iterato siue per vices & partes. Vbicunque enim semel misso sanguine, omnibus necessitatibus requirentium satis factum non est, iteratio conuenit.

Requiritur autem phlebotomia gratia euacuationis simpliciter, aut reuulsionis, aut deriuationis, quæ omnia nec simul & semel nec ex vna eademque vena perfici possunt, vt ex supra dictis patet. Deinde vbi vires periclitantur tam reuulsiones & deriuationes, quam euacuationes partiri decet, imo teste Galen. lib. de Cur. per venæ sect. cap. 12. quanto maiorem in numerum particulares detractiones auxeris tanto efficaciorem reuulsionem effeceris.

Præterea vbi vires periclitantur, vt in debilibus conualescentibus,

bus, qui recidiuam patiuntur, aut qui facile animo deficiunt, optimum est detractiones iterare & per ἐπίκρασιν euacuationes instituere: Idem aliquando requiritur in graui angina & affectibus suffocantibus, &c. Item si sanguis simplex non fuerit aut in plures partes diuisus, aut partim in vasis, partim extra. Verum in reiteratione si necessitas plurimum non vrgeat, & vires ægri nondum expertas habeamus, melius est à pauca quantitate incipere, at si vrgeat necessitas, & constet de viribus, satius est prima vice plus detrahere, quã secunda, & secunda quam tertia.

Superest, vt de tempore opportuno agamus, quo phlebotomia instituí debeat. Tempus autem oportunum præscribit necessitas vrgens, & virtus tolerans. Necessitas alia maxima est, quæ sanguinis missionem tardare non sinit, sed ob imminens periculum statim venam secare cogit: alia minor, quæ non tantopere vrget, sed dieni aut saltem horam diei accommodatam eligere sinit; vnde alia phlebotomia coacta dicitur, alia electa. Instituitur phlebotomia aut gratia curationis, vt in ægris, aut præseruationis, in sanis. In ægris autem considerantur morborũ tempora non solum vniuersalia, sed etiam particularia, in sanis & ægris anni tempora, dies & horæ, quibus securior phlebotomia. De temporibus anni supra dictum est. Vbi necessitas magna non vrget, vt in præseruatione, ver maxime oportunum phlebotomiæ, deinde autumnus; dies nec magni caloris, nec magni frigoris, hora diei temperatissima præcipue matutina. Commodissime enim instituitur phlebotomia mane, vna aut altera hora à somno post leuem deambulationem, stomacho vacuo, concoctione celebrata, & eductis excrementis in intestinis primisq; venis, ne vasa exinanita aliquid vitiosi sugant, correcta etiam si opus fuerit nimia orificii ventriculi sensibilitate aut debilitate, &c.

In morbis vero si necessitas vehementer vrgeat (vt in vehementi synocho aut interceptionibus venarum) & vires ferant, sanguinis missio tardari nõ debet, sed statim nõ habita ratione diei & horę, aut præparationis corporis venam secare oportet; cum in mora periculum sit. Nam in sectione venæ tempus morbi aut numerus dierum non semper obseruandus est, sed necessitas vrgens, & virtus tolerãs. Quo enim die teste Galen. hos scopos in ægrotante inueneris, in eo

auxilium illud adhibeto, etiamsi 20. is ab initio morbi extiterit. Igitur cum necessitas vrget, quam celerrime sanguinem mittere conuenit, modo vires ferant. Ferunt autem vires, quo tempore minus exhaustæ sunt. Exhauriuntur vero in morbis duobus modis.

Nam primum in plerisq; morbis exsoluitur virtus tractu temporis, quare mittendi sanguinis occasio dierum numero deperditur, & differenda in talibus non est ob virium dissolutionem, sed vt monet Hipp. inchoantibus morbis si quid mouendum sit, moue, cum consistunt melius est quiescere. Igitur, si quando vel secundo die ab initio morbi vires exsolui videantur, à phlebotomia abstinebimus. Deinde in morbis, qui certis quibusdam periodis mouentur, & exacerbationes, remissionesq; habent, exsoluitur virtus in accessionibus, quo tempore ægri maxime affliguntur. Proinde in febribus continuis differtur phlebotomia, ad remissionem in intermittentibus ad intermissionem, quacunq; hora diei aut noctis euenerit; nam hoc tempore maxima morbi tranquillitas est, & vires facilius ferunt.

Verum, vbi propter dolores, inflammationes, alioſque affectus citra febrem hoc auxilio opus est, non oportet remissionem aliquam exspectare, sed magnitudinem doloris aut affectus tantum intueri & in ipsa vehementia sanguinem detrahere, (sed quantum vires ferre queant) vt à parte affecta sanguis retrahatur: quia ad partes dolentes cæteræ spiritum cum sanguine transmittunt, doloresque vehementiores excitant.

Phlebotomia simpliciter euacuans à toto, in principio morbi adhibetur, vt multitudine detracta corpora liberalius transpirent: vnde consulit Gal. 9. Method. med. initio febrium putridarum venam secare. At reuulsio & deriuatio affectibus rheumaticis conueniunt, sed reuulsio initio potissimum, aut quamdiu cum impetu fluunt humores. Deriuatio vero post reuulsionem aut euacuationem à toto, cessante impetu fluxionis, & c. vt supra dictum est.

Valida existente virtute tantum sanguinis euacuare oportet, quantum postulauerit morbus; Sin minus, repetitione vtamur. Repetitio vero in quibus simpliciter euacuare conamur magis eodem die esto, si vires sufficere queant, sin minus, sequente die, donec to-

ta

illa sanguinis copia, quæ supra mediocritatem est, fuerit prope euacuata.

At reiteratio gratia reuulsionis, melius iudicatur, si duobus diebus deinceps fiat & frequenter. Nam vena pluries aperta vehementius reuellit, quia natura assueta crebris motibus reuulsoriis, eo humores mittit, & locum affectum deserit. In inflammationibus laterum aliarumque partium, quando materia è vasis ad locum confluit, repetitio commode in diem sequentem aut vltra defertur, vt materia vitiosa interim ex affecta sede in venas exhaustas subeat.

Verum in pestilentialibus tumoribus ne violenta contagio diutius inhæreat, aut latius serpat, reiteratio procrastinanda nullo modo est, si vires ferant. In omni vero sectione vires ægri semper obseruare conuenit, manu arteriis illius admota, vt suadet Galenus, & si confertim euacuationem ferre nequeat, primo die tantum reficere expedit, secundo detractionem reiterare. Tantum de Phlebotomia.

Quia vero sanguis, qui parti affectæ inhæresit, non semper venæ sectione detrahi potest, non enim facile venas subit aut in venas exhaustas remeare solet. Proinde magis particulari euacuatione indiget, si tanta eius copia sit, vt insensili euacuatione discuti nequeat. Particularis autem sanguinis euacuatio est, quæ ab ipsa parte affecta sanguinem manifeste educit.

Manifeste autem educitur vel per hirudines, vel per scarificationem, sine aut cum cucurbitulis. Hirudines autem eligere oportet non nigras, aut virides, aut quæ magna capita habent, & in aquis putridis & cænosis degunt, &c. vt docet Auicenna & Rasses. Deinde vt statim captæ & ablutæ sunt, vt omnem virulentiam deponãt, aquæ limpidissima mergantur, sæpeq; aqua permutetur, addito interdum pauxillo sacchari.

Hirudo præparata partiq; admota, morsu suo trifidum vulnus primum infligit. Deinde sanguinem à vicinis partibus sugit, donec copia turgescens decidat. Anthillus iubet forcipe caudas earum incidere. Nam effluente sanguine retrahere non desinunt, quousq; sal aut nitrum osculis earum inspergatur.

Hirudo in calamum vtrinque perforatum demissa, & venæ legi-

tima-

tima ratione admota, ita plerumq; attrahit, vt post sectionem sanguis confertim erumpat. Proinde vniuersalis sanguinis euacuatio per hirudinem fit affixam venis maioribus, vt supra diximus. Reuellunt autem in pluribus affectibus hirudines, si brachiis adhibeantur, venæ saluatellæ, &c.

Deriuant quoq; à liene, mesereo & vtero, simulque melancholiam euacuant, si venis hæmorrhoidalibus admoueantur, nam præ cæteris auxiliis putantur optime melancholiam detrahere. Item venę frontis affixæ à capite deriuant. Verum cuti aut parti admotæ, cui venæ amplæ non sunt eam potissimum exhauriunt, & à remotis partibus nihil alliciunt. Proinde cutis vitiis conueniunt, vt scabiei, lepræ, &c.

Deinde scarificatio cutis pro ratione loci, & prout magis minusque alte scalpellus adigitur, magis aut minus copiosam sanguinis detractionem facit: vtilitatem autem interdum non minorem præstat, quam ipsa venæ sectio: Euacuat enim non solum humorem parti inhærentem efficacius multo quam phlebotomia, sed etiam redundantiam à toto quodammodo. Item reuellit & deriuat tutius quidem quam phlebotomia: verum segnius, tardiusq; & citra minorem commotionem: aut virium iacturam corporis etiam in vigore morbi licet in pueris tam vehemens auxilium sit, quam in grandioribus venæ sectio.

Vtimur autem in tollenda plenitudine scarificatione brachiorum & crurũ, cum cucurbitulis plerumq; quando tutum non est venam secare. Ita Orbasius, sibi aliisque in peste Asiatica crus scarificauit, duasque libras sanguinis fere detraxit, atq; ob eam causam periculum vitauit. Nonnulli in talibus affectibus nates scarificant. Conducit scarificatio potissimum crurum in plenitudine à suppressione menstruorum aut hæmorrhoidum.

Reuellit quoq; scarificatio & ad partes distantes seruata rectitudine aut communione; Veluti inflammatione cruris dextri, scarificatio manus dextræ, aut cruris sinistri. Item ab interioribus ad exteriora revellit, & simul deorsum mouet scarificatio crurum. Deriuat vero in suppressione menstruorum scarificatio femoris aut surarum. At humorem parti inhærentem, qui aliis remediis non cedit,

cedit, efficacissime euacuat scarificatio partis affectæ, vt diximus.

Proinde cutis fæditatibus conuenit, item scyrrhis inueteratis, inflammationibus, gangrænis, tumoribus pestilentialibus, morsibus venenatorum, &c. Verum in ipsa scarificatione distinctio quædã adhibenda est; magnæ enim profundęq; scarificationes, multũ euacuant, & è longinquo facilius trahunt, meliusq; duris corporibus eraſſoq; sanguine conueniunt; contra tenues & superficiarię.

Semper autem scarificatio largius, & è distantioribus penitioribus partibus sanguinem euacuabit, si statim adhibeatur cucurbitula: attrahit enim cucurbitula potissimum cum multa flamma, pro sui magnitudine & forma, vt describit Gal. Auic. &c.

Vtimur autem scarificatione aut sine cucurbitulis, aut cum cucurbitulis: & vicissim cucurbitulis, aut siccis sine scarificatione, aut cum scarificatione. Scarificatione autem sine cucurbitulis vtimur, vbi attractione magna opus non est, nec copiosa euacuatione, & potissimum in pueris, in corporibus mollibus raris, &c.

Cucurbitulæ, vero magnum vsum præstant non solum cum scarificatione, sed etiã siccę sine scarificatione: vtroq̃ n. modo euacuant, attrahunt, loco materiam mouent, reuellunt, alterant, dolores mitigant. Euacuant autem siccæ tantum insensibiliter, & flatuosos spiritus discutiunt, proinde colo, intestino aut ventriculo propter flatus dolente, teste Galen. 12. Method. curcubitula magna cum multa flamma admota incantamenti instar iuuat.

Deinde sistit quoq; vomitum & singultum, ventriculo imposita: ac menses fluentes, mammis. Præterea cucurbitulæ destillationes in stomachum suspendunt: sanguinẽ attrahunt, & profluentem rursus sistunt, obiectis partibus admotæ, sed vt monet Paulus cum scarificatione efficaciorem perspiratum præbent. Nam cum scarificatione sensibiliter sanguinem cæteroſq; humores euacuant; & à remotioribus altioribusq; partibus eliciunt.

Quare in nonnullis locum phlebotomiæ implent cucurbitulæ, cum scarificatione cruribus, natibus, aut brachiis admotæ. Reuellunt etiam ad longissimas partes, & in febribus malignis ab internis ad externa humores euacuant. Verum autore Gal. purgatis in primis corporibus vtiles potissimum sunt, non plethoricis. Nam

vbi tam cucurbitulis, quam venę sectione aut purgatione opus est: semper venæ sectio aut purgatio præcedat.

Deinde initio inflammationis, parti affectæ nunquam admouendæ erunt, sed partibus distantibus laboranti in directum coniunctis, reuulsionis causa. Ipsi vero parti affectę aut vicinæ tum cucurbitulas admouere conuenit, cum nihil amplius affluxerit, totumq; corpus exinanitum fuerit, vt inflammationis materia è loco moueatur, vel à parte nobili ad ignobilem transferatur, vel euacuatione sensibili aut insensibili amoliatur, vel ab interioribus ad exteriora trahatur, sed de his aliisq; legendus erit

Oribasius lib. 7. & 8. & Paulus lib. 6. cap. 11.
Celsus lib. 2. Auicen. lib. Fen. 4.
Doct. 5.

FINIS.